FLORES

THEOLOGICARVM QVAESTIONVM,

In Quartum Librum Sententiarum.

COLLECTI, DENVOQVE, POST varias æditiones selecti, & vtilissimè aucti a R. P. F. Iosepho Angles Valentino,

Ordinis Minorum regularis obseruantiæ, Prouinciæ sancti Iacobi, sacræ Theologiæ professore.

PARS SECVNDA:

Quæ addita sunt sequens pagina indicabit.



VENETIIS,
Ex Officina Damiani Zenarij.
M D LXXXVI.

CANDIDO LECTORI.

Appositi sunt prioribus æditionibus tracta-
tus tres vtilissimi, nempe de Oratione, Ieiunio,
& Eleemosina, & Difficultates aliquot notatu
dignissimæ una cum Indice Alphabetico lo cu
pletissimo, quæ omnia reperies in calce toti us
operis.

A/3895/2

BIBLIOTEKA KÓRNICKA

NOS Don Franciscus Perez Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Calaritanus & Episcopus vnionum, Prior S. Saturnini, Primas Sardiniæ; & Corsicæ, S.R.E. vexillarius, & de consilio suæ Maiestatis. Cunctis inspecturis attestamur, & notum facimus comparuisse coram nobis R.P.S. Theologię professorem F. Iosephum Angles, & Seraphici S. Francisci Ordinis de Obseruantia in præsenti Sardiniæ Regno Cõmissarium generalem, & exhibuisse nobis secundam partem libri ab eo recollecti, ãditi, & compositi denominati, Flores Theologicarum quæst. visi, recogniti, & approbati ab eruditißima uniuersitate Complutensi de mandato Regij consilij Aragoniæ; & cum permissu examinatorum librorum imprimendorum ab Illus. D. Archiepiscopo Valentino deputatorum pro illo excudendo. Quæ omnia nobis aperta fuerunt per publicas litteras, & instrumenta in prima parte impreßa. Quibus existentibus fuit per nos commißa reuisio eiusdem libri R. Antonio Montano in Sacra Pagina Magistro, & Canonico nostræ Primatialis Ecclesiæ Calaritanæ, & habita ab eo relatione, licentiam concessimus ipsum imprimendi in præsenti Ciuitate; prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cumque postmodum per eundem R. P.F. Iosephum Angles simili modo fuisset petita facultas, pro secunda eiusdem libri parte, & per nos commissa eidem magistro Antonio Montano illius reuisio, nobisque retulerit nihil in eadem secũda parte offendisse quod bonis moribus, Sacræ Scripturæ, œcumenicis Conciliis, aut Sacros. R.E. præscriptum contraueniat, quin potius conducibilem, atq; usui Reipub. Christianæ maximo futurum. Idcirco quibusuis Impreßoribus, seu Typographis harum uigore concedimus, ut libere, & licite ipsum librum euulgare, atque imprimere possint, & euulga-

tum, atque impressum distribuere obstaculis, & prohibitionibus cessantibus quibuscunque. In quorum testimonium præsentes nostra manu subscriptas, & sigillo roboratas per Not. & Secret. infrascriptum expedien. decernimus.

Dat. Calari, in Palatio nostro Archiepiscopali, Die 28. mensis Ianuarij, Anno Dom. M D LXXVI.

F. Archiepiscopus Calaritanus.

QVAESTIONIS DE CLAVIBVS.

QVAESTIO DE CLAVIBVS.

DD. De hac quæstione disputant distinct. 18. & 19. Alexan. Alen. quæstione 19 & 70. S. Tho. in additionibus a q. 17. usque ad 22. Turrecrem. lib. 1. summæ eccle. a cap. 93. usque ad finem lib. & lib. 2. Victoria in duabus prælectionibus circa hanc materiam.

Art. 1. An sint in ecclesia claues regni cælorum.

CONCLVSIO.

IN statu innocentiæ fuisset aliqua potestas spiritualis, si genus humanum in illo perseuerasset. Quia tunc fuisset ecclesia multo perfectior, & de ratione ecclesiæ est, ut sint in ea diuersa officia: nam ut in triumphante quidã Angeli sunt alijs in potestate superiores. Ita in statu innocentiæ fuissent alij homines alijs superiores: alioqui. n. non esset ecclesia. *Al. Alẽ. q. 79. m. 2. & 3. S. Tho. q. 17. ar. 1. 2 reliqui d. 18. Bona. art. 1. q. 1. ad 2. Ri. art. 1. q. 1. & seq.*

CONCLVSIO.

In statu legis naturæ a lapsu primi parentis, usque ad legẽ scriptam fuit potestas spiritualis, habens spiritualem iurisdictionem in subditos coercendi, & amouendi illos a peccatis propter eorundem spirituale bonum. Hæc conclusio eadem ratione, qua proxima confirmatur. Fuit enim tunc ecclesia iustorum Noe. s. Abrahæ, Iacob, & cæterorum Patriarcharũ, quos ecclesia connumerat. Fuitque Sacerdotium Melchisedech.

CONCLVSIO.

Tempore legis scriptæ fuit potestas aliqua spiritualis, cui sub pœna mortalis peccati subditi obedire tenebantur. Constat Deut. 17. ubi de Sacerdotibus illius generis dicitur; qui

autem superbierit uolens obedire. Sacerdotis imperio, qui eo tẽpore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis, morietur homo ille. Qua quidem pœna, nisi propter mortale peccatum, plectebatur nemo.

CONCLVSIO.

Clauis qd Non tamen in Lege naturali, uel scripta penes aliquam spiritualem potestatem claues regni cœlorum, fuerunt. Clauis enim est potestas ligandi, atque soluendi, qua iudex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos a regno cœlorum excludere debet, per quam quidem & peccata remittuntur, & gratia confertur, ut in Extrauag. de uerb. significatione constat. Qua potestate Sacerdotes ueteris lẽgis caruerunt, ut B. Pau. multis in locis author est, ut ad Rom. & ad Gal. ex operibus legis non iustificatur &c. Et rursus, si per legem Iustitia. &c. Et ad Hæbr. de sacrificijs legis ueteris loquens ait, sanguis hircorum coinquinatos sanctificat ad emundationem carnis, ideſt, ab irregularitatibus contractis propter cæremoniarum transgressionem.

Appen. Hinc colligitur, sacrificia illa uirtute propria regnum cœlorum non aperuisse & per consequens Sacerdotes ueteris legis claues regni cœlorum non habuisse. Remittebantur tamen tunc peccata uirtute cõtritionis sine ordine ad aliquod sacramentum, ideſt, sine sacramento in re, uel in uoto.

CONCLVSIO.

Christus Iesus Apostolis claues regni cœlorum dedit, illos q. totius orbis Episcopos instituit, & authoritatem *absoluendi* quemlibet Christianum uirtute sacramenti pœnitentiæ, & ligandi uirtute excõmunicationis tradidit. Pater Ioan. 20. sicut misit me pater, & ego mitto uos. Etc. Christus autem missus est a patre, non solum ad prædicandum, uerumetiam ad peccata authoritatiue remittenda; ut quando dixit paralytico: Remittũtur tibi peccata tua. Quare eodẽ modo misit Apostolos, conferens illis tanquam iudicibus, & ministris potestatem remittendi peccata, &c.

CONCLVSIO.

Clauis potestas ad tria se extendit; nempe ad peccatorum remissionem uirtute pœnitentiæ faciendam, ad ligandum, & soluendum in foro exteriori, ad Diuinam Scripturam authoritatiue interpretãdam. Et ratio est, quia clauium potestas est aperiendi, & claudendi regnum cœlorum, quod quidem regnum trifariam sumitur. 1. pro Ecclesia triumphãte: A diebus Ioannis regnum cœlorum uim patitur. 2. pro militante.

Simile

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, &c. Et 3. Pro Scriptura Sacra Auferetur a uobis regnum Dei, &c. Sicut D. Hie. exposuit, quamobrem potestas clauium extendet se ad aperiendum Ecclesiam triumphantem uirtute sacramenti pœnitentiæ, & ad claudendam militantem excommunicando, uel aperiendam ab excommunicatione absoluendo, & tandem ad obligandum homines ad certam diuinę scripturæ intelligentiam.

Ex prima potestate sequitur, nullum esse peccatum, quod uirtute pœnitentiæ remitti non possit, quia sine limitatione Apostolis dictum est, Quorum remiseritis peccata &c. Et rursus. Quecunque ligaueritis &c.

Secundo sequitur, posse Ecclesiam instituere sacramentalia, quorum uirtute uenialia peccata remittãtur: quia cum uenialia peccata non sint ex præcepto confitẽda, & Ecclesia omne genus peccati remittere possit, poterit profecto extra cõfessionem sacramentale aliquod instituere, quo authoritate ex opere operato uenialia condonentur. *Ioan. 20.*

Ex potestate admittendi, & excludendi ab Ecclesia militante colligitur, Posse Rom. Pont. condere leges obligantes trãsgressores uirtute obedientiæ, uel excommunicationis ad gehennam. Dictum est enim Beato Petro; Tibi dabo claues regni cœlorum, id, est, Ecclesiæ militantis. Quodcunque ligaueris super terram, &c. *Appen.* *Appen.*

Inde etiam infertur: Posse Papam hac potestate sibi a Christo super totam Ecclesiam militantem tradita, ideſt, in foro exteriori, dispensare, in his etiam, quæ sunt iuris Diuini, uel potius, si mauis, ius ipsum declarare, aut interpretari, legitima tamen causa interueniente. Vt in uoto, & alijs. *Appen.*

Ex tertia potestate dependet, posse Rom. Pont. concilium congregare, & Concilium rite congregatum authoritatiue Diuinam Scripturam interpretari, & leges obligantes transgressores ad mortale peccatum, condere posse.

CONCLVSIO.

Eandem potestatem, quam Apostoli in Primitiua Ecclesia habuerunt, habet modo Rom. Pont. habebitque usque ad seculi consumationem.

Hæc Conclusio a Doctoribus probatur ex illo loco. Ecce ego uobiscum sum usque ad consumationem sæculi. Et ad Ephesios Beatus Paulus, de Ecclesia uerba faciens, ait, Christũ dedisse quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c.

in opus ministerij in ædificationẽ corporis Christi, donec occurramus oẽs in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in uirũ perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. ubi apertissime testatur, Ecclesiasticum ministerium usque ad consummationem sæculi esse duraturum.

Hæresis. Hinc confutatur error Nouatianorum, & Lutheranorum affirmantium, claues Apostolis non fuisse datas ad remittenda peccata, sed ad prædicandum Euangelium.

Al. Alẽ. q. 79. to. m. 6. Sco. d. 19. q. 1. 1. *Dif. Fuerunne Claues datæ Apostolis ante resurrectionem, an post.*

Tres sunt opiniones. Primo Armachani lib. 11. cap. 14. & 15. de Quæstionibus Armenorum asserentis, Claues fuisse Apostolis traditas multo ante Iesu mortem. Secunda & opposita est cõmunis, tenens post resurrectionem fuisse datas. Tertia est Magistri Victoria in relectione de Potestate Ecclesiæ, qui docet, diuersis temporibus traditas fuisse, quia diuersa est Ecclesiastica potestas. Nam potestatem in foro exteriori con-
Mat. 18. dendi leges, & ligandi per excommunicationem, & obedien-
Luc. 21. tiã, acceperunt, quando omnibus simul dixit: Amen dico uobis, quæcunque ligaueritis super terram, &c. Potestatem uero super corpus Christi uerũ, Quando dixit Iesus in Cœna, hoc facite in meam commemorationem. Et tandem potestatem remittendi peccata in foro conscientię post resurrectionem, quando Ioan. 20. dixit: Accipite Spiritum sanctum, &c.

CONCLVSIO.

Ex Euangelio minime constat ante resurrectionem in foro exteriori Apostolis fuisse traditas Claues. Nam locis in tertia opinione citatis solum pollicetur Christus se Claue tauiturum: loquitur enim per uerba futuri temporis.

Roma. 3. Hinc apertissime colligitur, Ecclesiam habere Claues: nam Deus uerax est in promissionibus: ait enim Beatus Paulus; Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? absit.

CONCLVSIO.

Apostoli potestatem consecrandi Eucharistiam in Cęna acceperunt, dicente Christo, hoc facite in meam commemorationem. Ratio est, quia pronomen (hoc) demonstrat omnia, quæ Christus tunc fecit, & cum ipse ibi consecrauerit, potestatem consecrandi pro culdubio illis tradidit.

CONCLVSIO.

Claues in utroque foro fuerunt Apostolis traditæ, quando

do dixit Christus, Accipite Spiritum sanctum &c. Ratio est, quoniam illis uerbis, remissionem, & retentionem peccatorum sine limitatione, quantum ad utrumque forum, concesit. Ioan. 20.

Beato Matthiæ fuit concessa plena potestas, quando fuit electus Apostolus, & B. Tho. quando erat absens, fuerunt quæ alijs traditæ, Ioan. 20. Hæc est opinio patris a Castro uer. Sacerdotium. Hæresi. 1.

2. Diff. *An Apostoli habuerint immediate a Christo respectu omnium christianorum, in utroque foro iurisdictionem, fuerunt que Beato Petro in illa æquales.* Al. Alē. ib. & m.

Tres sunt opiniones. Prima est Turrecrem. lib. 2. summæ Ecclesiasticæ, cap. 765. Potestatem episcopalem, quam ad excommunicandos subditos, ad ecclesiam gubernandam accepit B. Petrus a Christo, eam ipse aliis communicauit, sicut & modo Papa episcopis exteriorem iurisdictionem communicat. Secunda opi. quam refert Caiet. tract. de authoritate Papæ, & Concilii. c. 1. tenet; omnes Apostolos fuisse B. Petro æquales in potestate quo ad utrumque forum, & illam immediate a Christo Domino recepisse. Tertia opi. media est, & explicatur concl. positis.

CONCLVSIO.

B. Petrus, & cæteri Apostoli fuerunt Episcopi totius orbis a Christo Iesu constituti. Patet, quoniam quod Christus promisit B. Pet. idem omnino, & cæteris Apostolis pollicitus est, & quod B. Petro contulit dicens; Pasce oues meas, idem omnino omnibus simul concesit dicens; Accipite Spiritum Sanctum, &c.

CONCLVSIO.

Hæc authoritas alijs Apostolis collata, non erat Ordinaria, sed delegata, & hoc solum cæteri Apost. a B. Petro, differebant, quamuis esset illorum pastor. Ratio est, quia potestas ordinaria datur officio, & dignitati, & transit ad successores.

CONCLVSIO.

Si comparemus B. Petri & aliorum Apostolorum potestatem ad gubernationem omnium credentium, tantam alij Apostoli habuerunt potestatem, quantam Petrus habuit, ita quod poterant quemlibet christianum totius orbis, sicut modo Romanus Pontifex, excommunicare, & in qualibet Ecclesia Episcopos, & sacerdotes creare, Ratio est, quia

omnis potestas B. Petro promissa & tradita, fuit etiam cæteris Apostolis collata, & hoc sine personarum, loci, uel fori discrimine.

Mat. 18.

CONCLVSIO.

Ioan. 20.

Si comparemus reliquos Apostolos B. Petro, maiorem ille habuit potestatem. Ratio est, quia erat pastor omnium Christianorum. Vt constat Ioan. 20. Pasce oues meas &c. ita erat etiam Pastor aliorum Apostolorum, & Sanctissimę Virginis & per consequens erat illorum Prælatus, & illis superior.

Appen.

Hinc sequitur prima differentia, potestas B. Petri, quia erat ordinaria, erat enim Christi Vicarius, & ita dicitur regiminis potestas; aliorum uero delegata, quæ exequutiua nominatur. Vnde 2. ad Corint. 5. Legatione pro Christo fungimur. Et ad Eph. Vlt. Legatione fungor. &c.

2. Cor. 5. Epist. 6.

Cæteri Apostoli solum habebant potestatem super alios Christianos, non super se inuicem; at uero B. Petrus habuit potestatem super omnes Apostolos.

Appen.

Potestas B. Petri quia ordinaria, transit ad omnes eius successores: quoniam habet potestatem super uniuersum orbē. Apostolorum autem successores, nempe Episcopi non habent similem potestatem, quia erat delegata, & talis potestas finitur uel finita persona, uel ad placitum superioris delegantis.

Appen.

Al. Alē. q. 79. m. 7. art. 2. S. Tho. q. 19. ar. 2 Sco. d 19 q. 1. Dur. d. 18. q. 1. Al. Alē. q. 79. m. 8. Ric. d. 29. ar. q. 1. et 2. S. Th. q. 19. ar. 1. 3. et 4. D. Bon. ar. 1. Sc. ead. d & Dur. q. 1. ibid.

Tertia Differ. An Christus habuerit Clauem.

CONCLVSIO.

Habuit authoritatiue ut Deus, & excellentiæ ut homo: habuit enim potestatem aperiendi, & claudendi regnum.

Quarta. Difficultas, An claues sint penes Sacerdotes Euangelicos tantum.

Duę sunt opiniones. Prima Gersonis in tractatu de Ecclesiastica potestate: & Almayn in tractatu de comparatione Papæ & Concilij cap. 6. affirmantium, potestatem iurisdictionis esse in tota Ecclesia, ad hunc sensum, quod ut olim reges quando per electionem constituebantur, toto regno eligente regiam potestatem accipiebant, ita nunc Papa accipit potestatem a Cardinalibus qui nomine totius Ecclesiæ illum eligunt, & ipse dat illam Episcopis, & alijs Sacerdotibus. Altera opinio est Turrecrem. lib. 2. cap. 71. & in sequentibus, & Gaieta. de potestate Papę. hi tenent, Papam habere immediate potestatem a Christo, & non ab Ecclesia, quam ipse dat Episcopis, & alijs Sacerdotibus. Eligi ur, inquiunt, a Cardinalibus nomine Episcoporum tantum, & non totius

Eccle-

Ecclesiæ. Christus autem sic a Cardinalibus electo dat potestatem in utroque foro.

CONCLVSIO.

Hæreticum est Affirmare characterem ordinis ad consecrandum esse penes omnes Christianos. Definita est expresse in Conc. Tridenti. Sess. 7. Cano. 10.

CONCLVSIO.

Non est pœnes Ecclesiam potestas ligandi, atque soluendi, uel iurisdictionis potestas, ita ut Papa, & alij Prælati iurisdictionem ab ecclesia recipiant, sed immediate a Christo. Ratio est, quia Christus non dedit illam Ecclesię, sed Petro & alijs Apostolis. Vt patet Ioan. ult. Pasce oues meas, Et alibi: Accipite Spiritum Sanctum. Quare non erit hæc potestas nisi tantum pœnes Sacerdotes. *Ioan. ult. Ioan. 20.*

CONCLVSIO.

Papa habet authoritatem immediatę a Christo in utroq; foro. Ratio est, quia cum non habeat illam ab Ecclesia, ut modo diximus, a Christo profecto habebit.

CONCLVSIO.

Episcopi autem, & alij Sacerdotes habent a Papa iurisdictionem. Nam ut supra diximus, potest Episcopos, & alios Sacerdotes deponere.

Contra hanc ueritatem surrexit maledictus Lutherus dicēs; oēs Christianos esse sacerdotes. Quam hęresim copiosissime confutat Pater a Castro uerbo, Sacerdotium. hæresi. 1. *Hæresis.*

V. Differ. An Claues quoad iurisdictionem in foro exteriori possint in fœminis esse. *S. Tho. 1q. 19. ar. 3. D. Bon. d. 25. art. 1 q. 1. ad 2 Reliqui d. 19 Ri. q. 1. ubi supra.*

CONCLVSIO.

Nulla fœmina potest habere iurisdictionem spiritualem. Non enim potest excommunicare. Vt constat in cap. Dilecta. de maioritate, & obedientia. neque est capax potestatis absoluendi, & ligandi in foro conscientiæ, ut constat ex cap. Noua. de pœnitentijs, & remissionibus.

CONCLVSIO.

Non est iure Diuino prohibitum, ne fœmina possit habere iurisdictionem spiritualem in foro exteriori.

Hæc conclusio est Glossæ in cap. Dilecta, citato, & Innocentij ibidem. Ratio est, quia laicus absque ullo ordine potest habere iurisdictionē spiritualem. Potest enim iure Ecclesiastico nō Presbyteris cōpetere, ut Episcopis nōdū ordinatis.

CONCLVSIO.

Abbatissa potest sub præceptis moniales sibi subditas obligare,

bligare, quemadmodum ciuilis potestas; ita ut ratione iniustitiæ, aut publicæ nocumenti, transgredientes eius præcepta uenialiter, aut mortaliter, secundum quantitatem nocumenti peccent. V.g. si præ nimia literarum frequentia monialis aliqua in periculo peccandi constitueretur: præciperet quæ illi Abbatissa in uirtute Sanctæ obedientiæ, ne literas scriberet, scribendo mortaliter peccaret. Ratio est, quia potestas politica ratione nocumenti obligat transgressores legum ad M. Propter inobedientiam. Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus; quia cum non prohibeantur iure diuino habere spiritualem iurisdictionem, poterit Papa in hoc ex legitima causa dispensare.

VI. Diffic An quilibet Sacerdos uirtute Clauium possit quemlibet pœnitentem absoluere.

CONCLVSIO.

Sacerdos non recipit in sua consecratione, potestatem iurisdictionis, ita ut quemlibet possit absoluere. Quia si hoc ratione characteris competeret, quamuis prohiberetur audire confessiones, si tamen de facto audiret, & absolueret, ualeret absolutio; quemadmodum degradatus de facto consecraret; quia character Sacerdotalis est indelebilis. Et ita sequeretur; Omnes Sacerdotes esse æquales Papæ in iurisdictione, & non posse aliquem casum illis reseruari. Quæ omnia sunt erronea.

CONCLVSIO.

Sacerdos sua consecratione, ordinis tantum potestatem recepit. Ratio est, quia accipit characterem, qui est potestas spiritualis conficiendi corpus Christi, & administrandi sacramenta: est enim potestas ordinis potentia remota administrandi sacramentum pœnitentiæ, quæ reducitur ad actum per materiæ, ideſt, subditorum applicationem.

Circa hanc ueritatem Catholicam, quæ est cõmunis Theologorum sententia, errauit Armachianus in quæstionibus Armenorum, qui tenuit contra primam conclusionem, & Abulensis etiam: sed dixit ligari ab Ecclesia, ne possit illa in quẽ libet uti. Vide Patrem de castro lib. 2. de iusta Hæreticorum punitione cap. 21.

Al. Alẽ. q. 80. m. 1. S. Tho. q. 8. d. Bona a. 18. uto ar. 2

Art. II. An uirtute clauium Sacerdos proprie dicatur culpam remittere, & gratiam conferre.

Duæ sunt opiniones. Prima negans Magist. dist. 28. quem sequuti sunt antiqui DD. Alex. Bona. Ricar. Gabr. eadem dist. Contraria opinio fuit Th. Sco. eadem distinctione,

quos

quos sequitur Adrianus quæst. 2. de Clauibus, scilicet, uirtute huius sacramenti a Sacerdote ministraliter gratiam conferri, & culpam remitti. *Ric. ar. 2 q. 1. Dur. q. 2. et Sc. d. 18.*

CONCLVSIO.

Contritus accedens ad sacramentum pœnitentię, uere & remissionem peccatorum, & gratię augumentum consequitur. Ratio est, quod sensus absolutionis est, Ego impendo, quantum est ex parte mea, conferoque tibi absolutionis sacramentum, per quod, nisi posueris obicem, tibi peccata remittentur, & de lege non remittit Deus peccata, quin conferat gratiam.

CONCLVSIO.

Attritus cum ignorantia uincibili, uel culpabili, uel suæ attritionis conscius, uirtute huius sacramenti peccatorum remissionem minime consequitur. Ratio est, quoniam est præceptum contritionis, a quo per ignorantiam culpabilem, uel quando est conscius suæ attritionis non excusatur. atque ita peccat mortaliter non habendo illam, & ex consequenti ponit obicem sacramento, quamuis per illud peccata sibi remittantur.

CONCLVSIO.

Attrito cum ignorantia inuincibili suæ attritionis confert Sacerdos ministerialiter uirtute huius sacramẽti primam gratiam. Patet ex Conc. Flor. dicente, effectum huius sacramenti esse peccatorum remissionem. Quamobrem uere Sacerdos illud applicando remitit peccata, & ex consequẽti primem gratiam confert.

CONCLVSIO.

Solus Deus remittit peccata principaliter. Ratio est, quia solus uirtute propria remittit, & solus est uitæ, & mortis Dominus. Causa enim principalis est, quæ uirtute propria, & nõ aliena operatur.

Prima Diffic. An Sacerdos uirtute clauium possit pœnam temporalem pro peccatis debitam remittere. *Al. Alè. q. 83. m. 5. D. Bo. S. Th. R. & Du. ubi supra*

Communis est Doctorum sententia d. 18. est tamen opinio Durandi eadem d. uirtute clauium remitti non amplius, quam quartam partem pœnæ.

CONCLVSIO.

Virtute huius sacramenti aliqua pars pœnæ pro iam dimissis soluendæ ex opere operato remittitur. Ratio est, quia cũ Sacerdos uirtute clauium habeat potestatem ligandi ad pœnam, habebit etiam remittendi illam. Clauis enim ad ligan-

gandum, & ad soluendum se extendit.

CONCLVSIO.

Virtute clauium non omnis pœna in purgatorio infligenda, sed minima remittitur. Patet, quia cum ex opere operato non detur nisi minima gratia: non remittetur profecto nisi minima pœna. Non enim est maior ratio de uno quam de alio.

CONCLVSIO.

Tanta potest esse contritio; ut omnis pœna temporalis remittatur. Per contritionem enim non solum pro pœna æterna, sed etiam pro temporali satisfacimus.

II. Diffic. An Sacerdos uirtute clauium possit pœnitentem compellere ad pœnitentiam acceptandam.

Tres sunt opiniones. Prima Scot. dist. 18. & 19. qui tenet non obligari, nisi semel illam acceptauerit, & Gabrielis d. 16. q. 2. dub. 1. & 5. Sylvest. uerbo confessio 1. parag. 27. & 28. Secunda est Caiet. in tractatu de satisfactione q. 2. dicentis, nec teneri ad illam acceptandam, nec acceptam adimplere. Tertia est D. Tho. & Ric. & Magistri dist. 16. & aliorum multorum, qui affirmant teneri ad acceptandam pœnitentiam sub pœna mortalis peccati.

Ric. d. 18. ar. 1. q. 5. D. Bon. q. 1. & S. Tho ar. 4 ubi supra

CONCLVSIO.

Tenenda est Ricard. & D. Tho. opinio. Ratio est, quia clauis non solum data est ad soluendum, uerumetiam ad ligandum pœnitentem, & cum pœnitens iudicio sacerdotis quoad absolutionem a peccatis subijciatur, subijcietur quoque quãtum ad ligationem ad aliquam pœnam.

III. Diffic. An Sacerdos possit quamcunque pœnitentiam, quam uoluerit pro suo arbitrio imponere.

CONCLVSIO.

Non potest, neque debet. Ratio est, quia non oportet, ut pœnitens satisfaciat pro tota pœna debita per pœnitentiam a confessore iniunctam, alioqui enim frustra esset purgatorium.

Appen. Vnde si pœnitentia esset intolerabilis, pœnitens non tenetur obedire.

Dubium. An Sacerdos debeat imponere aliquam pœnitentiam sub consilio.

V. g. dicens pœnitenti, si uolueris poteris hæc, aut illa præstare in remissionem pœnæ debitæ pro peccatis.

CONCLVSIO.

Recte facit imponendo. Ratio est, quia talis pœnitentia pro-

propter consilium Sacerdotis est magis meritoria. quam si ec sola mera uoluntate illam efficere. Hoc S.Tho.approbat, Paludanus, Syluester, & alij faciendum esse admonent.

4. Diffic. *An Sacerdos uirtute clauium possit per quamlibet pœnitentiam redimere, totam pœnam in purgatorio luendam.*

Vera est Scoti opinio d.18.q.2.dicentis, iudicium Sacerdotis non consistere in aliquo indiuisibili, ut per eum tota pœna purgatorij remittatur. Sed habet quæstio latitudinem: ut in alijs contractibus. Nam si Sacerdos imponat plures dies pœnitentiæ, quam sint a Deo taxati, tota pœna purgatorij remittetur, atque etiam si pauciores, quia Deus pronior est ad miserandum, quam ad puniendum.

Al. Alē. q.80.m.3 art. 1. & 2. S. Tho. q.18.art. ult. Cę. intelectio ne de pęnitentia prope finem. Sy. uerbo confes. §. 27

CONCLVSIO.

Aut Sacerdos imponit pœnitentiam intra latitudinem iustam, aut citra, aut ultra; si primum, remittetur tota pœna purgatorij, aut acutissime probant rationes Scoti. Si secūdum, nō tota pœna, sed pro rata remittetur, residuum uero in purgatorio soluetur, quia quando clauis errat, non acceptatur in cœlo Sacerdotis sententia. Si tertium, quod relinquitur, thesauro indulgentiarum applicatur.

CONCLVSIO.

Optimum erit consilium si Sacerdos imponat pœnitenti, ut indulgentias aliquas lucretur, quia per illas pœna purgatorij remittetur.

5. Diffic. *An unus Sacerdos possit pœnitentiam ab alio impositam relaxare.*

Vide Sylestr. uerb. confessio §. uigesimo septimo. Distinguendum est. Si pœnitentia fuerit iusta, superior audita confessione, in qua fuit talis pœnitentia iniuncta, poterit illam relaxare, non autem poterit sacerdos æqualis, quia par in parem non habet imperium. Si uero fuerit iniusta, poterit tunc, quicunque confessor relaxare illam, iterum audiendo confessionem. hæc de clauibus.

FLORES.

QVAESTIONIS DE INDVLGENTIIS.

Lege Alex. Alen. 4. parte, q. 83. Caiet. in tractatu indulgentiarum. DD. 20. S. Tho. q. 25. 6. & 7. Adria. in 4. in materia de indulgentijs. Eckius in Enchirid. c. 24. Sumistæ uerbo, indulgentię, & Pater a Castro, uerbo, indulgentiæ. contra Hæreses.

Art.

Art. I. An Ecclesia habeat potestatem concedendi indulgentias.

CONCLVSIO.

HÆreticum est asserere, Ecclesiam non posse indulgentias concedere. Definita est in multis Concilijs. in Cõstantiensi contra Ioannem Vuicleff. in Lateranensi: ubi præscribitur Abbatibus, & episcopis modus elargiendi indulgentias, & numerus dierum. Et habetur in c. cum ex eo. De pœnitentijs & remissionibus, & in Conc. Trid. Sess. 21. c. 9. & Sess. 25. in decreto de indulgentijs.

1. *Dif. Quid est indulgentia.*

Variæ sunt indulgentiæ definitiones, de sententia tamen communi ita definitur.

CONCLVSIO.

Remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccato actuali iã dimisso, concessa existenti in gratia, data prælato ecclesię de thesauro ecclesię propter rationabilem causam. Ex hac descriptione multæ colliguntur appendices.

Appen. Prima ex illa uoce (remissio) infertur, indulgentias non esse tantum condonationem thesauri ecclesiæ (ut ait Sylu. uer. indulgentia §. 2.) sed esse pœnæ remissionem uirtute illius thesauri. unde in extrauag. unigenitus. indulgentia remissio nominatur.

Appen. Ex particula (pro actuali iam dimisso) sequitur, indulgentiam non concedi pro originali, cui solum respondet pœna damni: indulgentia. n. remissio pœnæ sensus est.

Appen. Ex particula (iam dimisso) colligitur; pro culpa indimissa neminem indulgẽtias lucrari: quia illi debetur pœna æterna, quæ per indulgentias non remittitur.

Appen. Ex particula (existenti in gratia) sequitur, indulgentiã non prodesse existenti in mortali, passio siquidem Christi; cuius uirtute indulgentia conceditur, uiuis membris, & non mortuis applicatur.

Appen. Ex particula (a prælato ecclesiæ) colligitur, neminem a nõ suo prælato posse consequi indulgentias.

Appen. Ex particula (propter rationabilem causam) concluditur; indulgentiam absque causa concessam non ualere quantum sonat, de qua re infra.

Appen. Ex ultima particula (de thesauris ecclesiæ) fit consequens, indulgentiam esse quandam satisfactionem ex alienis operibus pœnalib. ut si soluturo debitum Imperator, siue Rex tribueret ex ærario publico, unde posset soluere: ita Papa dispen

sat

pa dispensat per indulgentias de Thesauro Ecclesiæ, ut Deo satisfaciamus,

Secunda diffic. quantum ualeant indulgentiæ.

S.Tho.q. 25.art.2

Lege Alexandrum, Ric. Palud. ubi supra duas proponentes opiniones. Gloss. in cap. quod autem. de pœnitentijs, & remiss. ubi quinque opiniones referuntur. Prima opinio dicit ualere quoad Deum: non tamen quoad Ecclesiam ut leuius puniatur. id est indulgentia non liberat hominem a pœnitentia iniuncta, aut iniungenda, neque a totali pœna purgatorij; ualent tamen; ut leuius illas obtinentes in purgatorio torqueantur. Secunda opinio, indulgentia non liberat nisi a residua pœnitentia, quando scilicet, peccatori secundum iudiciam Dei non fuit sufficiens satisfactio imposita. Tertia opinio, scilicet, indulgentiæ ualent ad remissionem pœnæ tẽporalis. Hac tamen lege: ut obtinens illam, tantam eleemosynam, totasque preces effundat, ut æquiualeant pœnitentiæ in hac uita, uel in purgatorio soluendæ.

D.Bo.ar. 1.q.6.

Ric.ar.3 q.1.ad.2.

Dur.q.3 est 4.

Quarta opinio est, indulgentiæ solum ualent ad relaxationem pœnitentiæ, negligenter commissæ. Quinta opinio, Indulgentiæ tantum liberant a præcepto Ecclesiæ, non autẽ a pœna in purgatorio infligenda. Sexta opinio est Caieta. in tractatu ad Iulium Cardinalem, ubi ait; quod licet Papa possit concedere indulgentias, liberantes a pœnitentijs iniungẽdis, & a tali pœnitentia peccatorum, tamen non liberabit nisi a pœnitentijs iniunctis peccatorum, tam quoad Deum, quam quoad Ecclesiam. ultima opinio est, indulgentiæ tantum pœnæ temporalis relaxant, quantum fuit expresse per Indulgentias concessum; ita ut si annus concedatur, pœna in purgatorio luenda unius anui remittatur. Innocentij est in ca. Quod autem, & Adriani quomodo, de indulgen. ibi, Sed potest ulterius. §. si quis dubitat.

CONCLVSIO.

Indulgentia non est absolutio a pœna luenda in purgatorio: sed est illius pœnæ recompensatio. V. g. Ioannes erat in purgatorio per annum passurus, & recompensat illam pœnã per alienas Passiones, Christi, scilicet, & sanctorum, quas Papa Thesauri Ecclesiæ dispensator illi per indulgẽtias applicat. Et ratio est; quia absolutio est gratuita remissio. & uirtute indulgentiarum gratis pœna purgatorij non remittitur; ut constat. quemadmodum si quis satisfaciat creditori p. alienã pecuniam quamobrem erit recompẽsatio, & noua absolutio.

CONCLVSIO.

Indulgentiæ tantum pœnę temporalis relaxant, quantum fuit expresse per illas concessum. Hæc conclusio est definita, in extrauagan. Vnigenitus, vbi legitur Papā posse uirtute thesauri Ecclesiæ, aut totalem, aut partialem pœnam temporalem, pro peccatis luendam relaxare.

Textus diffic. An qui consequitur indulgentias pœnitentiam iniunctam adimplere teneatur.

De hac disputat glossa in cap. Quod autem. de pœn. & remiss. quam omnes Canonistæ sequuntur, cui non contradicunt Theologi.

CONCLVSIO.

Qui consequitur indulgentias, non tenetur præcepto aliquo pœnitentiam adimplere. Pater, in cap. 11. ex eo, de pœnit. & remiss. ubi dicitur, per Indulgentias eneruari pœnitentias iniunctas, quæ si non relaxarentur, non eneruarentur. Tum etiam, quia quod erat per pœnitentias satisfaciendum, per indulgentias satisfacimus. Intelligitur Conclusio de indulgentijs concesis generaliter, uel specialiter de pœnitentijs tantum iniunctis.

CONCLVSIO.

Cuicunque obtinenti indulgentias consulendū est, ut pœnitentiam iniunctam adimpleat. Ratio est, quia opera pœnalia, & sunt satisfactoria, si existant in gratia pœnitētes, & medentur peccatori extenuando uitia. At uero Indulgentiæ solum sunt satisfactoriæ.

Quæria diffic. An quando conceditur indulgentia hac forma, Concedimus annum pœnitentiæ iniunctæ, intelliganur de pœna respondente in purgatorio, an de satisfactione respondente pœnæ in hac uita.

Appen. De hac disserit Adrianus ubi supra, notabili, sed ex hoc peretes ulterius. Et cum illo respondeo: tantum ualent illę Indulgentiæ, quantum ualeret pœnitentia acta per annum in hac uita. Hinc collige aliquod Appendices.

Amplior est indulgentia, quæ conceditur sub hac forma; Concedimus unum annum pœnitentiæ iniungendæ, quam sub hac; remittimus unū annū purgatorij. Ratio est, quia magis satisfacimus per opera pœnalia exhibita in hac uita.

Secundo Indulgentiæ, quæ communiter concedantur in forma communi nulla habita ratione ad pœnitentias iniunctas, ut quando dicitur: Concedimus quadraginta dies indulgentiarum remissionis peccatorum: incertum est, an æquiualeant Pœntientiæ luendæ in purgatorio, an pœniten-

tię

rię in hac uita agendæ. Ratio est, quia huiusmodi ualor pendet ex intentione concedentis, quæ in bulla non exprimitur.

Quinta diffic. Quidnam significat illa clausula. Concedimus Indulgentiam plenariam.

Nota indulgentiam aliquando dici plenam, aliquando pleniorem, quandoque plenissimam. Plena est, quando dimittitur omnis pœna pro mortalibus dimissis luenda, siue sit pœnitentia iniuncta, siue non. Plenior, quando remittitur pœna pro mortalibus, & uenialibus soluenda. Plenissima uero conceditur non solum pro pœna, uerumetiam pro culpa uenialium. Verum cum in uia Sco. remissio uenialium sit solutio pœnæ, idem erit plenior, & plenissima. At uero in uia Palud. & Thomistarum tenentium ad deletionem uenialis requiri aliquam uirtualem pœnitentiam, ultra indulgentiam plenissimam necessaria, illa erit ad uenialium deletionē, sed iam supra diximus, quomodo Scoti opinio, sit eadem cum Sancti Thomæ opinione. *Pal. q. 4. Adr. d. in dulg. §. pro intellectu.*

Sexta diffic. An eadem Indulgentia ualeat magis uni, quam alteri.

CONCLVSIO.

Quando Indulgentia conceditur generaliter absque determinatione causæ, ut, si Papa dicat, elargientibus eleemosynam ad constituendam Basilicam conceduntur indulgentiæ Quadraginta dierum, tunc qui plus erogauerit; ampliorem consequetur indulgentiam quantum ad intentionem, sed omnes æqualem quantum ad extensionem. Ita exponunt Ric. Adrian. Antonius. & Patet, per Extrauagantem Antiquorum. ubi Bonifacius V. ait: Vnusquisque plus merebitur, & efficacius Indulgentiam assequetur, qui Basilicam Petri, & Pauli amplius, & deuotius frequentauerit.

Hinc, si duo homines æque diuites, unus elargiatur decem alius uiginti, singuli consequentur Quadraginta dies indulgentiarum, id est, singulis Quadraginta dies pœnarum remittentur. sed elargienti uiginti ualebunt illi Quadraginta dies ac si duplo satisfeciisset, etsi plus satisfacit, non erit uirtute indulgentiarum. Notanter dicitur, æque diuites, quia potest contingere, ut pluris faciat Deus eleemosynam unius oboli a paupere datam, quam 10. aureorum datam a diuite, ut patet de eleemosyna Viduæ pauperculæ. Appen.

CONCLVSIO.

Quando indulgentia habet causam determinatam, ut quando dicitur: qui audierit missam Corpotis Christi, con- Lucæ. 21

sequetur Quadraginta dies indulgentiarum tantum. qui deuotius audierit, non ampliorem consequetur indulgentiam, quam qui minus deuote audierit: quamuis plus gratiæ mereatur, non tamen uirtute indulgentiarum plures dies remittentur uni, quam alteri. Ratio est, quia Indulgentia non proportionatur labori, aut deuotioni, sed meritis Christi, iuxta uoluntatem dispensantis, & cum dispensans non uelit applicare nisi Quadraginta dies, siue sit magna, siue parua deuotio, non plus profecto indulgentiarum intensiue, aut extensiue, unus, quam alius consequetur.

Appen. In utraque Concluſ. consideranda est intentio dispensantis, ita quod, si intentio sit; ut omnes sufficienter deuoti, & ualde deuoti æqualiter indulgentiam consequantur, non plus consequitur unus, quam alius. Si uero sit intentio ut deuotius accedens, siue deuotius laborans consequatur indulgẽtias labori, & deuotioni respondentes, tunc plus, aut deuotius laborans plures indulgentias lucrabitur. *Ratio* est, quia papa, qui est Thesauri Ecclesiæ dispensator *rationabili* causa existente poterit cui uoluerit, indulgentias impartiri. Vide Adria. cuius sunt hæc quomodo de Indulgen. notabili: sed probabili dubio. §. ex his omnibus.

Septimæ diffic. Quidnam significat illa clausula, a culpa, & pœna.

CONCLVSIO.

Hæc clausula ortum habuit ab Extrauaganti: Antiquorũ. Vbi Bonifacius V. ait, uisitanti Basilicam Apostolorum concedimus plenissimam indulgentiam, & ueniam omnium peccatorum suorum.

CONCLVSIO.

Virtute indulgentiarum remissionem culpę consequitur nemo. Patet, Quia Indulgentię præsupponunt culpam dimissam; ut definitur in extrauaganti. Vnigenitur. Et in Extrauaganti, Antiquorum. Non enim nisi contritis, & confessis conceduntur.

CONCLVSIO.

Hæc clausula significat consequenti Indulgentias remissionem peccatorum quantum ad culpam, & pœnam dari, diuersis tamen conditionibus. Quia culpæ remissionem obtinebit uirtute contritionis; pœnæ autem uirtute indulgentiarum. *Art. II. Quibus meritis Thesaurus indulgentiarum aggreganur.*

CONCLVSIO.

Sancti multa opera satisfactoria fecerunt, quibus ipsi ad satisf-

satisfaciendum non indigebant: uel quia peccato carebant, cuius ratione temporaliter essent puniendi, uel quia pro peccatis dimissis plura opera satisfactoria, quã debebat Deo, obtulerunt. Iob. 7. utinam appenderentur peccata mea in statera, & calamitas, quam patior, quasi arena maris multo grauior appareret. Quo loco maiores pœnas passum fuisset Iob. Spiritus Sanctus docet, quam eius peccata merebantur. *Apoc. 6. 14.* Confirmatur exemplo Sanctissimæ Virginis, in qua nefandissimum est, culpam inuestigare, & B. Ioan. Bapt. & aliorum sanctorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, &c. Nam. B. Virgo quanta passa est sine peccato. & alij San. quot opera satisfactoria ultra debita præstiterunt.

CONCLVSIO.

Ecclesiæ Thesaurus ex superabundantia meritorum Christi aliorumq; sanctorum aggregatur. Definita est in Extranaganti. Vnigenitus, & multis locis Sacræ scripturæ confirmatur. Vide Castrum Verbo, Indul.

CONCLVSIO.

Ecclesiæ Thesaurus non conflatur ex operibus sanctorum quatenus sunt gratiæ & gloriæ meritoria, sed ut sunt satisfactoria. Ratio est, quia Papa non dat indulgẽtias ad gratiæ augmentum, sed ad pœnæ remissionem. *Coloss. 1.*

CONCLVSIO.

Sancti hoc animo expresso, aut uirtuali, opera satisfactoria supererogationis exhibuerunt: ut nobis in remissionem pœnæ temporalis applicarentur. Patet ad Colossen. 1. Gaudeo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, & Christianorum (ut B. Tho. declarat) in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. *1. Cor. 4.*

CONCLVSIO.

Papa applicare, & dispensare Christi, & Sanctorum opera, quę quantum ad satisfactionem non sunt a Deo remunerata, *in* satisfactionem pro alienis peccatis potest. Vsus enim & Ecclesiæ authoritas confirmat, & D. Paul. dicens, Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores, &c. & c. 9. dispensatio mihi credita &c. *1. Cor. 9.*

Vide Caieta. in tractatu de Thesauro indulgentiarum. In hac difficultate refutantur Hęretici, præsertim Lutherani, quorum initium fuit contemptus indulgentiarum, & Catholici, Ioan de Mayro. dist. 19. & Durandus. dist. 20. affirmantes, quod licet Papa possit indulgentias concedere, non tamẽ Thesaurus indulgentiarum meritis sanctorum nititur. Est *Mayr. et Dur. cau le legend.*

Al. Alē. q. 83. m. 4. & 7. S. 1ho. q. 25. ar. 3. D. Bo. d. 20. q. 4. Adr. ubi sup. §. respōde ad primis et idē S. Th. 22. q. 66 ar. uls. ad 2.

tamen hæc opinio condemnata in Extrauag. Vnigenitus.

I. Diffic. An requiratur sufficiens causa ad dandas indulgentias.

Duæ sunt opiniones, Prima affirmat, Papam peccare, si absque ulla causa aliquem plenissime absoluat, pœnitentem, tamen, si fuerit recte dispositus, consequi remissionem ita, ut si tunc moriatur, in cœlum migrabit. Palu est q. 3. ar. 1. ubi supra, & Mayro. opinio est contra Extrauagantem Vnigenitus. Vide Adrianum de Indulgentijs, notabili, sed probabili dubio. Secunda opinio est opposita, quam refert Caiet. tenens, causam rationabilem concessionis indulgentiarum debere esse æquiualentem indulgentijs.

CONCLVSIO.

Vt indulgentiæ ualeant, sufficiens causa in obtinēte indulgentias desideratur. Ratio est, quia in his quæ sunt iuris Diuini, nō potest Papa absque rationabili causa dispensare, uel cōmutare, ut in uoto, & iuramento, & pati pœnam temporalē pro peccatis dimissis, de iure diuino est.

CONCLVSIO.

Sufficiens, & rationabilis causa indulgentiarum erit quantitati ipsarum commensuranda, ita ut maior indulgentia maiore causa indigeat. definita est Conclusio in c. ex ea. de pœn. & remission. & in Extrauag. Vnigenitus.

Hinc, Indulgentiæ, quæ minima de causa conferuntur nō tantum ualēt, quantum sonant, quia nō commensuratur causa quantitati indulgentiarum.

II. Diffic. Huiusmodi Indulgentiæ ualebuntne saltem aliquid.

CONCLVSIO.

Appen. Valebunt quidem secundum proportionem causæ, quia indulgentia debet causæ proportionari.

Hinc, melius erit recitare orationem. ob quam conceditur indulgentia, quia saltem ualebit iuxta proportionem causæ.

Appen. Hinc, communis sententia, qua dicuntur Indulgentiæ ualere quantum sonant, intelligenda est, si causa sufficiens interueniat, alioqui iuxta causæ sufficientiam ualebunt.

CONCLVSIO.

Appen. Rom. Pont. indulgentias concedere non potest nisi causam concessionis honori sanctorum, & Christi Iesu applicet, aut in publicos & pios usus referat: debet enim eleemosynam, ob quam indulgentia plenaria conceditur, applicare, uel ad ædicandam alicuius Sancti Basilicam, uel in fauore fidei, ad redemptionem scilicet captiuorum, expugnandamve Mahometicā sectam, uel in publicam utilitatem, scilicet,

licet,ut persona publica.v.g. Romanus Pont. recte Ecclesiã gubernet,uel ut hospitale aliquod ædificet, quę pia causa est.

Appen.

Hinc,non poterunt indulgentiæ applicari ad ædificandã arcem regiam, uel ab erigendos ciuitatis alicuius muros. Ratio est, quia quamuis sint publica ædificia, non sunt pia. Nam usus pius est, quando aliquid ex operibus misericordiæ corporalis intercenit,quale opus est,mortuos sepelire, infirmos uisitare &c.

Tertia diffic. An requiratur in recipieme indulgentias alia dispositio a gratia.

Adri. & Caiet. ubi sup.

CONCLVSIO.

Existenti in gratia,qui parum,aut nihil curat operibus pœnalibus pœnam purgatorij redimere, non prosunt indulgentiæ.Ratio illius est, quia qui sibi non opem fert, auxilio, & ope amicorum indignus esse censetur.

Appen.

Hinc, ut quis indulgentias consequatur. Primum desideratur animus paratus ad satisfaciendum Deo, uel per se, uel per aliud. 2. deuotio, scilicet,reuerentia,& intenta uoluntas placandi Deum per sanctorum merita,nec tam intendere debet pœnam redimere, quam Deum placare,& illi satisfacere.

Magister Soto tenet contrariam opinionem,ex cuius sententia fit Conclusio.Proderunt & illi indulgentiæ.Ratio est, quia iure amicitiæ tenetur amicus amici quoque defectus supplere.

4. Dif. An tempore,quo quis elargitur eleemosynam assignatam pro indulgentia,sit necessarium,ut in gratia existat, An tempore quo plenariæ absolutur.

Similis quæstio est de Iubileo v. g. datur Iubileus omnibus peregrinis,si per 15.dies uisitauerint Basilicam Apostolorum.si peregrinus in medio itineris in mortali existat uisitando postea Ecclesias consequetur indulgentias.

Duæ sunt opiniones. Prima est B. Antonini in 2. p. titulo 2.cap.3.§.5.uersiculo. Qui rite,tenentis non esse necessarium ut operans sit in gratia tempore, quo fit opus ad indulgentiam consequendam. Secunda opinio est Caiet. tractatu de indulgen.quem uidetur sequi Adrian.q. sed probabili dubio uersiculo necessarium &c.

CONCLVSIO.

Si opus consequendi indulgentias est causa immediata,ita ut tempore,quo fit opus,indulgentia concedatur; necessariũ est operantem in gratia existere.Patet ex forma concessionis: dicitur enim in diplomate,& in Extrauaganti Antiquorum.

Qui Basilicam Petri, & Pauli indulgentias consequatur, & in hoc sensu est uera Caiet. opinio.

CONCLVSIO.

Quando opus non est immediata causa, & propinqua concedendi indulgentias, non est necessarium opus in gratia fieri, ut si dicatur in bulla, qui duos argenteos elargitus fuerit semel in uita, & in mortis articulo plenariam absolutionem omnium peccatorum consequatur. Ratio est, quia ex tenore bullæ non colligitur, ut tempore, quo Christianus duos argenteos tribuerit, sit in gratia. Cum igitur Rom. Pont. non concedat bullam sub hac forma, talis lex non erit ponenda, & in extrauaganti. Antiquorum. expresse definitur, ueraque est opinio B. Antonini in hoc sensu.

CONCLVSIO.

Adri. est. Etsi ad consequendas indulgentias, quæ in bulla continentur, tempore receptionis status gratiæ non requiratur, nihilominus tamen, ut actus sit moraliter bonus desideratur. Bulla enim non debet pro opere male, quale est opus moraliter malum concedi, habenti enim propositum peccandi mortaliter, nempe, quia uolo peccare, deinceps illam accipio (nam si dicat, si forte peccauerim, actus prudentiæ est, oppositum, scilicet, non peccabo, esset temerarium) bulla suffragari non debet, uel sumenti illam ob quæstoris importunitatem, siue ob gloriam vanam, siue alia sinistra intentione, quæ bonitatem moralem ab opere auferat.

Appen. Hinc, consulendum est omnibus Christi fidelibus, ut tempore, quo recipiunt bullam cum proposito confitendi conterantur, quod efficere tenentur Bullarum promulgatores.

CONCLVSIO.

Etiamsi existens in mortali non possit sibi indulgentias consequi, nihilominus tamen poterit alteri illas consequi, si in bulla expresse contineatur. Ratio est, quia, ut potest aliquis consequi indulgentias per ministrum peccatorem, eleemosynam elargiendo, ita potest explicare indulgentias alicui existenti in gratia, quamuis erogans eleemosynam sit in M. Eleemosyna enim erogata a peccatore pro anima existente in purgatorio, est satisfactoria, authore Caiet. ubi supra in solutione ad ult. quamuis oppositum huius conclusionis teneatur.

Al. Alē. q. 83. m. 7. S. Th. q. 25. ar. 3. *V. Diffi. An eleemosyna pro bulla Cruciata oblata sit sufficiens causa comparandi omnes illas indulgentias.*

CONCLVSIO.

Est quidem sufficiens causa ad consequendas omnes indulgen-

dulgentias in illo diplomate contentas. Confirmatur, quia diploma conceditur toti Hiſpaniæ, & omnibus regnis Inuictiſſimi Regis noſtri Philippi pro ingenti Theſauro, qui explicatione diplomatis ad expugnandos Turcas aggregatur, & cum tantus Theſaurus non poſſit ab uno offerri, hac de cauſa omnibus, qui partem illius Theſauri ſoluerint, conceditur. Quemadmodum eſſet ſufficiens cauſa ſi Rex 100000. ducatos Romanos Pont. offerret, ut alias indulgentias omnibus regnis Hiſpaniæ conferret, etiamſi Rex poſtea a ſingulis ciuibus partem illius ſummæ exigeret, & Confirmatur, nam (inquit Caiet. in tractatu ad Iul. Cardinalem) Papa die Paſchatis omnibus in platea Sancti Petri exiſtentibus benedictionem impartitur, ſtatimque duo Cardinales plenariam indulgentiam denuntiant, cuius indulgentiæ hanc eſſe licet ſufficientem cauſam, ſcilicet, quia omnes illi fidem Romanæ Eccleſiæ proteſtantur. Ita quoque hic ſoluentes duas dragmas argenteas fidem Chriſti, & Eccleſiæ aduerſus infideles proteſtantur, atque ita erit ſufficiens cauſa concedendi, & conſequendi tot indulgentias.

Oppoſitum defendunt, Doctiſſimus Victoria, & Magiſter Soto dicentes, continere huiuſmodi diplomata intolerabilem errorē, propterea quod pro minima eleemoſyna ampliſſimæ indulgentiæ conceduntur.

Art. 12. Qui poteſt indulgentias concedere.

CONCLVSIO.

Summus Pon. & Concilium, Patriarchæ, Primates omnibus ſub primatu, Patriarchatu, exiſtentibus. Archiepiſcopi omnibus ſuis ſubditis, & ſuffraganeorum, & Epiſcopi omnes ſuis ſubditis etiam delegatis indulgentias concedere poſſunt. Communis eſt ſententia Doctorum, & confirmatur per cap. Quod autem per cap. Noſtro de pœnitentijs & remiſſ. & per Extrauagantem Vnigenitus. In his enim omnes partes huius Concluſionis definiuntur.

Al. Ale. m. 3. q. 26. Scot. qui d. 20 Bon. q. 3. Ri. ar. 5. Du. q. 5 §

CONCLVSIO.

Epiſcopus non tantum præſentatus, ſed electus nondum conſecratus, nondum ſacris initiatus indulgentias concedere poteſt. Ratio eſt, quia electus ad Epiſcopatum ante conſecrationem habet iuriſdictionem, quæ ſola eſt ſatis ad indulgentias concedendas.

CONCLVSIO.

Generales miniſtri Ordinum, & prouinciales per conceſſionem Rom. Pontificis habent authoritatem concedendi indul-

di indulgentias. Patet ex concessionibus diuersorum Pontificum, quæ in compendio priuilegiorum nostri ordinis assignantur.

CONCLVSIO.

Nullus Episcopus potest alicui non sibi subdito, nisi ex facultate proprij Episcopi, indulgentias cõcedere. Definita est expresse in cap. quod autem. de pœnit. & remiss.

CONCLVSIO.

Appen. Indulgentiæ ab Archiepiscopo concessæ comitantibus Sanctissimę Eucharistię sacramentũ, quando infirmis defertur, non prosunt peregrinis, qui Eucharistiam comitantur.

CONCLVSIO.

Omnes isti a Rom. Pont. non possunt, nisi Quadraginta dies ex rationabili causa, uel annum indulgentiarum ratione ædificandi aliquam Basilicam, concedere. Definita est in cap. Cum ex eo. de pœn. & remiss.

CONCLVSIO.

Quicunque Prælatus habens subditos, ut Guardianus uel Prior &c. potest opera satisfactoria superabundantia suorum subditorum, cui uoluerit applicare, licet indulgentias non possit concedere. Nam ut Christus Iesus dolores nostros tulit, ita & nos debemus alter alterius dolores portare. Coloss. Gaudeo in passionibus pro uobis &c.

Thom. Vualdensis tomo 3. de sacram. ti. 10. cõfutat errorẽ Vuicleff, qui hanc suffragiorum applicationem irridebat.

I. Dij. Potestne Papa existentibus in M. indulgentias concedere.

S. Th. qõ. 27. ar. i. Ric. qõ. i. ar. 4. Duran. q. 4.

CONCLVSIO.

Non potest de plenitudine potestatis existentibus in M. indulgentias concedere. Ratio est, quia indulgentia est applicatio passionis Christi ad satisfaciendum pro peccatis dimissis, & passio Christi non membris mortuis, sed amicis, & uiuis, id est, in gratia existentibus applicatur.

II. Diffic. An Papa possit indulgentias concedere.

Ric. ar. 4. q. 2. Pal. ar. 3. q. 4

CONCLVSIO.

Quicunque Prælatus a Papa potest consequi indulgentias, quas ipse alijs concedit. Ratio est, quia non sunt deterioris conditionis, quam alijs Christiani, ut illis merita Christi, & aliorum sanctorum ad satisfaciendum pro pœna temporali prodesse non possint.

Dubium. Quomodo illas consequi possit.

Ricar. & Palu. est

Respondeo non potest concedere sibi indulgentias directe, potest tamen uti indulgentijs, quas alijs dedit, præstando

do, quod alijs faciendum imposuit.

CONCLVSIO.

Papa, ut subdit se sacerdoti, quem elegit ut a peccatis eum absoluat, potest se subdere alij, & concedere illi facultatem donandi sibi indulgentias, etiam circa confessionem. Ratio est, quia concedere indulgentias est actus iurisdictionis, & nullus supra seipsum iurisdictionem habet.

3. Diffic. Possumne exempti a iurisdictione Episcopali lucrari indulgentias ab Episcopo concessas.

Ale. Alē. in 3. ad ultimum.

Palud. ubi supra tenet, exemptos, ut sunt Religiosi uiuentes intra iurisdictionem alicuius Episcopi, posse consequi indulgentias ab illo concessas. Ratio est, quia suffraganei consequuntur indulgentias a Metropolitano concessas etiamsi illi immediate non subijciantur.

CONCLVSIO.

Dubia, & anceps est hæc difficultas. Patet, quia indulgentia est absolutio a pœna iniuncta, uel iniungenda, a qua solus superior potest absoluere, ut dicitur in cap. quod autem. de pœn. & cum potestas soluendi competat cui conuenit potestas ligandi, & econuerso, & Episcopus non potest ligare exēptos, neque soluere poterit.

Quarta Diffic. Sintne actus imperfectionis indulgentias quærere.

CONCLVSIO.

Qui querit Indulgentias, ut pœnalia opera fugiat, imperfectionis actum exercet. Ratio est, quia huiusmodi actus est peccatū. Cū quęrat indulgentias amore rerū delectabiliū, & odio temperantię, cuius actus sunt opera pœnalia, appetitui carnis opposita, & hic non consequitur indulgentias.

Caie. q. de thes. ro indulgent.

CONCLVSIO.

Quærere illas ea intentione, ut Deo satisfaciamus, & cælestis patriæ desiderio, ne in purgatorio remoremur, actus perfectionis est. Nam est finis optimus, & cuius rei finis bonus est, res quoque bona esse censetur.

V. Diffic. Possumne animabus in purgatorio existentibus indulgentiæ concedi.

Rom. Pont. potest thesaurum Ecclesiasticum animabus purgatorij communicare. Ratio est, quia non potest aperire illis cœlestem ianuam, nisi merita sanctorum ad satisfactionē applicando.

CONCLVSIO.

Hoc non potest authoritatiue efficere, iam enim sunt extra iuri-

tra iurisdictionem Ecclesiæ militãtis, in quam solum iudiciariam potestatem habet.

CONCLVSIO.

Potest per modum suffragij illis indulgentias concedere. Ratio est, quia tantam potestatem habet super opera pœnalia sanctorum, quantam priuata persona super propria opera, &, ut potest quis orationes, ieiunia, & alia id genus opera pœnalia animabus purgatorij ad soluendam pœnam temporalem debitam applicare, ita & Rom. Pont. eisdem animabus sanctorum passiones &c.

CONCLVSIO.

Indulgentiæ animabus purgatorij concessæ non de rigore iustitiæ, sed ex Dei misericordia illis prosunt. Ratio est, quia non sunt subiectæ Rom. Pont. & redimere aliquem non sibi subditum non est in potestate liberantis, sed ex creditoris beneficio dependet.

VI. Diffic. Sitne aliqua dispositio præter gratiam necessaria, ut indulgentias consequantur.

CONCLVSIO.

Caie. q. 5. ar. 3. ubi sup.

Suffragia uniuersaliter oblata omnibus animabus plus, aut minus secundum Diuinam dispensationem prosunt. Ratio est, quia cum sint capaces auxilij sanctorum, & participes timentium Dominum, possunt quidem spiritualibus eleemosynis iuuari iuxta Dei beneplacitum.

CONCLVSIO.

Suffragia in particulari pro anima alicuius iusti *oblata nõ* prosunt illi, nisi dum uixit, uno ex tribus modis istud meruit, uel quia uiuens opera satisfactoria exercere conabatur, uel quia peculiarem habuit erga Ecclesiam Romanam deuotionem contra hæreticos pugnãdo, uel quia dum uixit, pia quadam misericordia erga animas defunctorum afficiebatur. Ratio est, quia indignum est, ut illa anima alienis operibus iuuetur, quæ uel pro se satisfacere spreuit, uel Ecclesiæ claues contempsit, uel nullam defunctis misericordiam præstitit, &c. Confirmatur per Canonem. Non æstimamus 13. q. 2. Hæc opinio satis probabilis est. contraria tamen magis pia est, & absque erroris periculo defendi potest.

VII. Diffic. An uiuorum suffragia defunctis in purgatorio existentibus prosint.

dd. d. 25. d. Bon & Ric ar. 2 Dur. q. i.

CONCLVSIO.

Prosunt quidem uiuorum orationes, ieiunia, & eleemosynæ: Patet Machab. 12. sancta & salubris est cogitatio pro defunctis

defunctis exorare, ut a peccatis soluantur, id est, a pœna temporali pro peccatis debita.

CONCLVSIO.

Negligentia hæredis non nocet defuncto, si ipse non potuit uiuens pro seipso satisfacere. Ratio est, quia aliena peccata alteri ad pœnam non imputantur.

VIII. Diffic. Prosuntne suffragia pro una anima oblata omnibus animabus in purgatorio existentibus. Ric. q. 2. d. Bon. q. 3. & 4.

CONCLVSIO.

Prosunt omnibus quantum ad diminutionem pœnæ intensiue, quia cum sint in charitate, gaudent cum gaudentibus animabus per suffragia liberatis, & illis congratulantur, quod quidem gaudium expellit aliquam intensionem tristitiæ ex tormentis prouenientem. ubi sup.

CONCLVSIO.

Non prosunt autem alijs animabus ad diminutionem pœnæ extensiue, quia, ut apud homines satisfactio pro uno debitore exhibita nō liberat alios neque prodest, ita satisfactio oblata Deo pro una anima alias non liberabit.

IX. Difficultas. Prosuntne suffragia uniuersalia pro omnibus animabus oblata, ac si pro una sola offerentur.

Fuit opinio Præpositiui asserentis partem affirmantem. Bon. q. 3.

CONCLVSIO. Ric. q. 3.

Non prosunt singulis illa suffragia, ac si pro una sola offerentur. tunc enim Sacerdos obligatus pro duobus defunctis satisfaceret semel pro ambobus celebrando, quod est falsum. Tum etiam, quia meritum finitum, (ut ait Scotus) est gradus satisfactionis ex opere operato per missam collatus, Si totum uni detur, nihil alteri dandum remanebit. ar. 5. Du ran. q. 3. Sco. quod. 20

CONCLVSIO.

Suffragia oblata pro omnibus, aut pluribus animabus singulis iuxta intentionem offerentis diuiduntur. Deus enim diuidet secundū animum offerentis, ideoque determinauit Ecclesia, ut alia sacrificia pro pluribus, alia pro singulis offerantur.

X. Diffic. An suffragia ab existentibus in M. facta defunctis prosint. dd. d. 45. d. Bon. 1. 2. arti. 2. Ric. q. 4. ar. 2. Du ran. q. 1.

CONCLVSIO.

Sacrificium Missæ a malo Sacerdote oblatum defunctis prodest. Quia ex opere operato est satisfactorium illi, pro quo offertur, offerturque nomine, & intentione uniuersalis Ecclesiæ, cuius oblatio semper est Deo grata.

Opera

CONCLVSIO.

Opera satisfactoria a peccatore, iuta causa principali oblata defunctis non prosunt, qualia sunt ieiunium, oratio &c constat Isaiæ. 1.c.& cum multiplicaueritis orationem uestrã, nõ exaudiam, manus enim uestræ sanguine plene sunt, &c.

CONCLVSIO.

Existens in P.M. si offerat eleemosynas ex imperio alicuius iusti pro animabus purgatorij, erunt tales eleemosynę satisfactoriæ. Quia quando causa principalis est Deo accepta, qualis est intentio meritoria iusti, malitia ministri operis uirtutem non destruit.

XI. Diffic. An orationes æternaliter damnatis aliquo modo prosint.

D. Bon. recitat quatuor opiniones, 4. & Catholica hac conclusione continentur.

CONCLVSIO.

Damnatis nullo modo uiuorum suffragis iuuantur. in inferno enim nulla est redẽptio, & qui pro illis oraret, peccaret quia contra uoluntatem Domini oraret.

FLORES DE EXCOMMVNICATIONE.

DD. d.18 Al. Alé. q.21. & 2. Al. Alé. Bon. ar 4. q.1. Ri. ar 13. 3. Durand. q.3.

QVAESTIO VNICA

Art.1. An Ecclesia habeat excommunicandi authoritatem.

CONCLVSIO.

Ecclesia habet authoritatem excommunicandi excommunicatione maiori rebelles, & contumaces sibique inobedientes. Patet. Matth. 18. si peccauerit in te frater tuus &c. si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, & publicanus. Nam ut ethnici non admittuntur, ut sacris interfint, ita & excommunicati a communione fidelium expelluntur. Dicit enim. B. Io. si quis uenerit ad nos, & hanc doctrinam non habet, nolite recipere eum in domo, nec aue ei dixeritis.

CONCLVSIO.

Excommunicatio salutaris, & medicinalis pœna esse dicitur. Definita est per Concilium Lugdunense cap. 1. de excõmunicatione, in 6. ubi dicitur, Cum medicinalis sit excõmunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamẽ is, in quem lata fuerit, non contemnat &c. Et B. Pau. 1. ad Cor. 5. decreui tradere huiusmodi hominem sathanæ, ut spiritus saluus fiat in die Domini &c.

Hinc, confutatur hæresis Vuicleff, cui adhæsit Lutherus, qui, qui asserebat; Ecclesiam potestatem excommunicandi & priuan-

& priuandi aliquem bonis spiritualib. minime habere. Contra hanc Pater a Castro, Verbo excom. disputat.

Hinc, colligitur caute legendum esse Gabrielem 18. q. 2. qui affirmat duo: primum est, hominem per quodcunque peccatum mortale esse excommunicatum minori excommunicatione, ita ut excommunicatio minor quantum ad hoc a peccato mortali non differat, quod est falsum. Quia excõmunicatio minor tollitur per absolutionem sactamentalem, & non indiget contritione: at uero ad remissionem mortalis utrumque desideratur. Appen.

Secundum est, scilicet, Ecclesiam per sententiam excommunicationis maioris neminem damnificare, aut suis suffragijs priuari, sed solum per suam sententiam declarare hominem peccatorẽ esse, ratione peccati mortalis, priuatũ, hoc autẽ est erroneum. Nam ab Ecclesia sunt orationes institutæ p existentibus in mortali, ut est illa; Deus qui iustificas impium &c. nulla tamen est oratio pro excommunicato iustituta, quamobrem Ecclesia aliquo suffragio priuat excommunicatum, a quo peccantes mortaliter minime excludit.

I. *Differ. An effectus excommunicationis ex iure Diuino sequatur, uel solum sit effectus ex Ecclesiæ institutione.*

Opinio Almayn d. 18. q. 1. est esse de iure diuino, ita ut hæreticus ipso facto sit excommunicatus.

CONCLVSIO.

Effectus excommunicationis iuri diuino sunt consentanei. Constat ex utroque testamento Io. 19. Pharisæi enim instituerunt, ut qui Christum Dei filium confiteretur, a Synagoga excluderetur. & Mat. 18. sit tibi tanquam ethnicus, &c.

CONCLVSIO.

Cum sint tres excommunicationis effectus, scilicet, priuatio generalium suffragiorum, exclusio a cõmunione fideliũ, & priuatio participationis actiuè, & passiuè sacramentorum; Duo priores non comprehendunt excommunicatum ex iure diuino, sed tantum ex Ecclesiæ institutione. Ratio est, quia solus effectus posterior fuit a Christo institutus, & Ecclesia non potest dispensare, ut aliquis excommunicatus recipiat Sacramẽta, cum ratione excommunicationis obicem ponat: dispensat tamen de facto, ut excommunicatus cum domestico communicet, & pro eo preces fundantur.

Hinc collige, Excommunicationem a iure diuino, modũ autem excommunicandi esse a iure Ecclesiastico. Sunt non manducent. cum illo, neque illum salutent. &c. Appen.

Hinc

Appen. Hinc, Episcopus uel Prælatus non poterit dispensare cum aliquo, ut cum excommunicato cõmunicet, nisi prius absoluatur, præterquam in casibus a iure concessis, nempe, utile, &c. quia quod incurrat excommunicationem minorem, est de iure, & inferior in ius superioris dispensare non potest. Soto d. 22. 4. q. 1. ar. 1. sine discrimine affirmat omnes effectus excõmunicationes esse ex iure tantum Ecclesiastico.

Al. Alè. q. 81. in. 3. Bon. q. 2. Ri. ar. 3. q. 2. du ran. q. 3.

II. Diffic. An excommunicatio semper pro mortali tantum sit ponenda.

CONCLVSIO.

Nunquam incurritur excommunicatio, nisi excommunicatus mortaliter peccet. Ita definitum est in Concil. quodam generali expressè, & refertur, in Cano. Nemo Episcoporum, 11. q. 3.

CONCLVSIO.

Quatuor sunt casus, in quibus homo ab excommunicatione excusatur, quia obedire minime tenetur, primus est, quando excomunicatio cõtinet intollerabilem errorem, V. g. quãdo aliquid in ea præcipitur contra ius Diuinum naturale, aut positiuum, tunc enim tenetur subditus obedire.

Hinc, si alicui præcipitur absque legitima causa, ne a creditoribus debitum petat, non tenebitur obedire, & de similibus, simile est iudicium.

II. casus si excommunicatio pro re minima inferatur, ut si excommunicentur non reddentes pretium uuarum ex aliena uinea, qui uuas ualentes quatuor dipondijs sumpsit, non excommunicabitur, etiamsi pretium non reddat. *Ratio est*, quia ex transgressione leue sequitur nocumentum, nisi plures separatim alienam uineam deuastauerint, tunc namque graue nocumentum esset non restituere, atque ita excommunicatio ligaret.

III. casus, quando quis nõ potest obedire sine maxime detrimento, ut si, præcipiatur restitutio laboranti inopia: hic enim ut a præcepto Diuino, ita ab Ecclesiastico excommunicationis excusatur. Animaduerte, quam primum, poterit ad restitutionem obligari, alioquin eadem excommunicatione ligabitur. præterea nota, manere excommunicatum, qui tempore excommunicationis potuit restituere, & noluit, etiamsi postea restituere non possit, erit nihilominus absoluendus a Iudice, præstito iuramento de restituendo, quam primum poterit.

IIII. casus, quando aliquis retinet alienum titulo recompensationis, licet. n. peccauerit accipiendo, non tamen ad restitu-

stitutionem tenetur, quia alienum non retinet. Quare cum iure naturali a restitutione excusetur, similiter ab excommunicatione liberabitur.

Ex his omnibus collige, posse excommunicationem inferri aduitandum incommodum temporale, quando. s. ille qui tenetur uitare, non uitando mortaliter peccat. Appen.

Diffic. An ignorantia iuris, aut facti ab excommunicatione excuset.

CONCLVSIO.

Quando aliquis inuincibiliter ignorat, sitne factum excõmunicationi subiectum, excommunicationem minime incurrit. Definita est in cap. si uero, 2. de sententia excommunicationis, de eo qui occidit Clericum non gestantem tonsuram, neque habitum clericalem, & comam nutrientem, qui liber esse ab excommunicatione censetur, quia inuincibiliter illum esse clericum ignorabat.

CONCLVSIO.

Qui inuincibiliter excommunicationem generalem latã a Prælato ignorat, qua aliquid cauetur, non est excommunicatus, quamuis in illud incidat. Ratio est, quia cum non sit admonitus, non est inobediens, & ex consequenti non manet excommunicatus.

Hinc, qui inuincibiliter aliquod statutum Episcopale ignorat, quo aliquid sub excommunicatione prohibetur, non illam incurrit. Ita expresse definitum est in cap. Vt animarum periculis. De constitutionibus.

Hinc, si statuto Diœcesani, ne quis furetur, aut quid simile præcipiatur sub excommunicatione, qui illud inuincibiliter ignorat, ut laicus, nequaquam eam incurrit.

Diffic. An ignorantes inuincibiliter excommunicationes iuris communis, & committentes crimina per illas prohibita sint excommunicati.

Vt est excõmunicatio iuris cõmunis latę sentẽtię aduersus contrahentes in gradu prohibito, & aduersus hæreticos &c.

Duæ sunt opiniones. Prima ascribitur Scoto in 4. d. 6. quæstione 8. qua dicitur, committentes aliquod delictũ mortale iure diuino prohibitum, propter quod a iure communi excõmunicatio imponitur, excommunicationem ignorantes illã incurrere, ut constat de eo, qui percutit clericum, & ignorat. Cano. si quis suadente &c. & loquitur opinio generaliter de quacunque pœna canonica, & fuit opinio glossæ in textu cap. A nobis 2. de sententia excommunicationis, quam amplexus est Adr. q. 3. de Clauibus.

Contraria opi. est Pan. in c. A nobis, citato & Sylu. uerbo excom. 2. §. 7. & uerbo excom. ultimo §. 3. ubi citat alios Doctores eiusdem opinionis.

CONCLVSIO.

Ignorans inuincibiliter ius commune, quo excommunicatio contra facientes aliquid iure diuino prohibitum imponitur, quamuis illud efficiat, non erit excommunicatus. Ratio est, quia excommunicatio non infertur propter inobedientiam in Deum, sed in Ecclesiam, & qui ita excommunicationem iuris communis ignorat, non est Ecclesiæ inobediens, cum non sit admonitus, & ex consequenti non erit excommunicatus.

V. Diff. an excommunicatio possit poni pro inobedientia præterita.

Al. Alè. q. 81. m. 3 Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. tenet, posse aliquem pro crimine præterito excommunicari.

CONCLVSIO.

Excommunicatio non potest ferri pro peccato præterito, sed pro futuro tantum. Ratio est, quia excommunicatio non fertur nisi contra contumaces post admonitionem, & admonitio non fit, ut peccatum præteritum caueatur, quia quod factum est, infectum reddi non potest, sed ad cauendū peccatum futurum. quid? quod fortasis qui peccauit, iam contumaciam deposuit.

Art. 3. de effectu excommunicationis.

Ric. toto ar. 7. Du. q. 3. Animaduerte uarios esse excommunicationis effectus, quidam enim sunt in foro conscientiæ, alij autem *in foro* exteriori. De quibus longissime Authores summarum disputant. In foro conscientiæ sunt tres effectus, nam aut priuatur excommunicatus actiua & passiua Sacramentorum participatione, aut suffragiorum participatione, aut fidelium cōmunione.

I. Diff. an sacramentum ab excommunicato receptum sit nullum.

Hæc difficultas de solo sacramento pœnitentiæ intelligitur, nam de aliis dubitat nemo.

Duæ sunt extremæ opiniones. Prima Angeli, quem Caiet. Verbo, solutionis impedimenta, in summa sequitur, nempe excommunicatum excommunicationis conscium uerum sacramentum suscipere, quod recedente fictione suum sortitur effectum, quamuis mortaliter suscipiendo absolutionem peccet.

Contraria opi. est communis, quam defendunt Adria. q. 1. prin. de clauibus, & Palud. d. 14. q. 4. Sylu. uerbo, excommuni-

catio

catio 3. § i.

CONCLVSIO.

Excommunicatus qui inuincibili ignorantia iuris, aut facti, fuę excommunicationis laborat, ut rusticus, qui hanc propriam esse excōmunicationis ignorat, uel literatus, qui ignorantiam facti habet, ideo illam non confitetur, uerum recipit pœnitentiæ sacramentum, ita, ut excommunicationis postea conscius confessionem reiterare nō teneatur. Ratio est, quia propter ignorantiam nullum sacramento posuit obicem, veraque interfuit forma, & materia, & ministri intentio.

CONCLVSIO.

Qui excommunicationis est conscius, quantumcunque de aliis peccatis conteratur, uel ignorans ignorantia culpabili, ut literatus, quamobrem non est confessus, se esse ligatū uinculo excommunicationis, uel si sit confessus, si a peccatis, propter ignorantiam sacerdotis, & non ab excommunicatione absoluatur, sacramentum erit nullum, & confessio iteranda. Ratio est, quia deficiente materia, sacramentum est nullum, & quando excommunicatus excommunicationis conscius, aut culpabiliter illam ignorans, recipit absolutionem a peccatis, priusquam ab excommunicatione, deficit materia, nempe dolor de peccatis. Cum habeat actualem complacentiam huius inobedientiæ, nam recipit sacramentum contra mādatum ecclesiæ. in c. salubriter. de clerico excommunicato ministrante.

Idem dicendum est de excommunicato excommunicatione maiori. Ratio est, quia peccat mortaliter sacramenta recipiendo. Vt constat ex c. salubriter citato. Appen.

II. Diff. Quomodo excommunicatus a participatione actiua sacramentorum excluditur.

Supra in q. de ministro, de sacram. in genere, & in q. de cōfessore egimus.

Dub. Peccabitne excommunicatus nondum denunciatus mortaliter, cum alijs in diuinis, aut extra communicando. D. Bon. q. i.

CONCLVSIO.

Peccabit quantumcunque sit contritus communicādo ante absolutionem. Desinita est in extrauag. ad uitanda scandala, quia dicit Concilium Constantiense, in nullo intendere releuare excommunicatum, cæteri uero minime peccant. Limitanda est conclusio, ut in q. modo citata de sacram. in genere diximus. Quando sacerdos excommunicatus est curatus, quia tenetur suo subdito sacramentum petenti ministra-

re, quod poterit præstare sine peccato, si prius conteratur, & proponat ecclesiæ obedire, tunc enim non peccabit administrando.

Appen. Hinc, reuocatum est Concilium Basilense, ubi excõmunicatum notorium ante denũciationem uitandum præcipiebatur, ut refert Adr. q. 3. de Clauibus & Syluest. Ver. excommunicatio 5. §. 9. nam Ecclesiastica consuetudo, quæ est optima legum interpres, solum tenorem Concilij Constantiensis, ut habetur in Extrauagante. Insuper ad euitanda, seruat.

Ri. ar. q. 7. 2. dur. q. 5. & 5

III. Diffic. De 2. effectu excommunicationis, sine excommunicatus suffragijs Ecclesiæ priuatur.

CONCLVSIO.

Excommunicatio maior priuat excommunicatum suffragijs, quæ nomine totius Ecclesiæ pro omnibus fidelibus etiã in mortali existentibus offeruntur. Patet Matth. 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, &c. cum Ecclesia Ethnicis, & alijs Infidelibus non communicet, excommunicatos illorum participes minime efficit. Vide Cano. Omnes Christianos, 11. q. 3. die tamen parasceues dispensat cum hæreticis, & excommunicationis exemplo Christi, qui tunc pro inimicis orauit.

Appen. Hinc colligitur, orationem, aut processionem pro hæreticis fieri non posse, neque missam pro eis offerri, sunt enim excommunicati. bene tamen potest fieri oratio pro statu Ecclesiæ amplificando, atque ita indirecte fit oratio pro hæreticorum conuersione.

CONCLVSIO.

Oratio priuata potest pro excommunicato fieri, quia excommunicatus solum priuatur suffragijs ecclesiæ, & cum Ecclesia sit fidelium congregatio, unius oratio, non erit totius Ecclesiæ oratio, S. Tho. est, ut refert Syluester, uerbo, excommunicatio. 1.

IIII. Diffic. Poteritne Sacerdos in memento Missæ pro excommunicato orare.

Syluester ubi supra affirmat, Soto d. 22. q. 1. art. 1. negat.

CONCLVSIO.

Nequaquam potest. quia cum non possit sacrificium missæ pro excommunicato offerre, neque pro illo poterit in memento orare. Sacrificium enim. in memento pro quibus Sacerdos orat, offertur, nam finito memento, ait, pro quibus tibi offerimus &c.

Potreit

CONCLVSIO.

Poterit nihilominus tunc pro excommunicato orare, si tamen proponat non offerre pro illo sacrificium, neque orare nomine Ecclesiæ, sed proprio. Ratio est, quia tunc temporis non ut Ecclesiæ minister, sed ut priuatus oraret, & eius oratio non maiorem effectum haberet, quam si extra missam fieret.

V. Diffic. An qui contumaciam deposuit, estq. per contritionem iustificatus, & paratus obedire Ecclesiæ, antequam absoluatur, sit suffragiorum particeps.

Peculiaris opinio est. Ric. 18. art. 7. q. 2. qui tenet partem affirmantem. opinio communis Canonistarum in cap. nobis, ad 2. de sententia excommunicationis, est opposita.

CONCLVSIO.

Non erit talis excommunicatus suffragiorum particeps ante absolutionem. Definita est expresse in cap. citato. A nobis. ibi enim dicitur, quamuis præstet iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, non esse excommunicatum participē orationum fidelium, antequam absoluatur.

Hinc, talis excommunicatus, etiam deposita contumacia ante absolutionem tenetur ab omni communicatione fidelium in diuinis, aut extra abstinere. Alioqui enim contra Ecclesiæ præceptum peccabit. Appen

VI. Diff. Eritne peccatum in omni euentu cum excommunicato communicare.

CONCLVSIO.

Excommunicatus excommunicatione maiori iuxta Concilium Constantiense, scilicet, denunciatus, est in quinque euentibus uitandus, qui hoc carmine continentur. Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur, id est, os, locutio per seipsum, uel per literas, siue per nuntium, nisi ad animę excōmunicati salutem pertineat, ut illi consulat, uel coram illo prædicet, siue Theologiam legat, quia hæc ad illius correctionem pertinent. orare negatur, ideſt, communicatio in diuinis, uel simul cum eo eandem missam audiendo, aut celebrando coram illo, siue officium diuinum, aut aliquem psalmum cum illo recitando, siue in aliqua processione assistendo, notanter dicitur (assistendo,) nam si per ecclesiam contingat transire, quando diuina celebrantur, non est diuinum officium intermittendum, quia transiens cum existentibus non communicat. 3. uale negatur, ideſt, salutatio, nisi dicatur, Deus sit tibi propitius, uel quid simi-

Al. Alē q. 81. m. 6. Tho. q. 22. ar. 3. in add. d. Bon. q. 5. Rica. to. ar. 6. Duran. q. 5.

le.4.communio.i.communicatio cuiuscũque contractus, aut electionis,aut iudicij,& cæterorum, quæ iuridice fiunt.5.mẽsa.i comedere cum excommunicato in eadem mẽsa,licet nihilominus intra eandem cellam comedere.

Dub.Si excommunicatus noluerit ab ecclesia exire, tenebiturne sacerdos missam non finitam relinquere.

CONCLVSIO.

Si iam est facta consecratio, finire tenetur. Ratio est,*quia* Appen. *maius* est præceptum de sacrificio finiendo,quam de excommunicato uitando,si uero non est facta consecratio, tũc missa est relinquenda.

Eodem modo se debet habere sacerdos,quando ante celebrationem ecclesia uiolatur.

Dub. Potestne doctor discipulo excommunicato respondere.

CONCLVSIO.

Potest,sicut coram illo Theologiam non autem aliam facultatem,interpretari.

CONCLVSIO.

Integrum est,cum excommunicato in odium temporale conueniendo illum in iudicio ciuili,aut criminali,& in fauorem spiritualem ipsius communicare.patet:prima pars, ex ca. intelligimus,de iud. Aliter. n.si non posset in iudicium cõueniri, commodum ab excommunicatione reportaret. 2. pars est definita in c.cum uoluntate, de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Licitum erit communicare cum excommunicato, *illi* necessaria uictui,& uestitui communicando. Definita est in canone,quoniam multos. 11.q.3.si autem,quæ communicatur sint ad superbiam,& iactantiam, qui talia præberet, minori excommunicatione esset excommunicatus.

CONCLVSIO.

Licebit etiam cum illo communicare,quando propter excommunicati expulsionem scandalum timetur. Definita est in c.quod prædecessor. 11.q.3.ubi Zacharias Papa laudat Bonifacium martyrem cum excommunicatis participantẽ,propterea quod ita ecclesiæ expediebat.

CONCLVSIO.

Vxor, filius,seruus,ancilla,mancipium, rustici, colentes agros,& omnes seruientes,possunt cum illo communicare,dũmodo nullus istorum sit criminis particeps.Definita est in canone.quoniam multos.11.q.3.

Hinc,

Hinc, uxor poterit petere, & tenebitur uiro excommunicato debitum reddere, propter uitandam fornicationem uiri cum aliena: eadem ratione tenebitur filius patri excommunicato obedire, & cum illo communicare, dummodo cũ Patre habitet, uel non sit emancipatus. Ita glo. exponit. Idem etiam est iudicium, si filius est excommunicatus, poterit pater (ut dicit glo.) cum illo communicare.

VII. Diff. Quid, si prælatus, uel prior, uel guardianus, &c. sit excommunicatus.

Dur. q. 5.

Poterit subditus cum illo communicare. Adr. de communicatione. q. 1. §. petes fortasse, tenet partem affirmantem. Rica. d. 28. ar. 11. q. 3. illud negat.

Nota prælatum duplicem habere iurisdictionem, spiritualem, & temporalem, atque administrationem.

CONCLVSIO.

Adr. ubi.

Cum prælatus per excommunicationem non priuetur tẽporali administratione, possunt subditi cum illo communicare, eique sicut patri ministrãti obedire tenentur. Probatur a simili, nam ut familiares episcoporum possunt cum illis cõmunicare, quando sunt excommunicati, quia habent suæ familiæ temporalem administrationem, ita monachi cum suis prælatis communicare possunt.

CONCLVSIO.

Subditi non possunt cum prælato excommunicato cõmunicare, quantum ad iurisdictionem spiritualẽ. Ratio est, quia per excommunicationem suspenduntur subditi, eatenus illi obedire non tenentur, ac proinde communicare cum illo haud poterunt.

CONCLVSIO.

Ignorantes excommunicatum, aut non habentes unde necessaria uictui, & uestitui, nisi ab illo emant, cum illo communicare poterunt. Definita est in citato canone. Quoniam multos.

CONCLVSIO.

Quando excommunicatus est occultus, quamuis sit denunciatus, non est publice in diuinis, aut extra, sed occulte duntaxat uitandus. Definita est in c. cum non ab homine. de sentẽ. excomm.

Hinc, si inter celebrandum excommunicatus soli sacerdoti cognitus ecclesiam ingreditur, non tenetur sacerdos illum repellere. Ratio est, ne repellendo illũ infamet. Vbi animaduerte, quanti faciat ecclesia etiam inobedientium famam.

Appen.

Dub. Quando igitur erit mortale cum illo communicare.

CONCLVSIO.

Quando in diuinis communicatur. Ratio est, quia peccati mortalis excommunicati est particeps.

CONCLVSIO.

Quando participat in crimine, pro quo est excommunicatio imposita. v.g. internuntij, &c. concubinarij, quando excõmunicatio est contra illum lata, quia retinet concubinam. Definita est in c. nuper, de sent. excom.

CONCLVSIO.

Quando excommunicatio est etiam contra participantes trina præcedente monitione illata, v.g. si dicat iudex sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nullus cum *Petro* excommunicato communicet, quia tunc incidit in excommunicationem maiorem, & per consequens mortaliter peccat. Definita est in cap. statuimus. de sententia excommunicationis in 6.

Ex hoc textu colligitur, excommunicationem contra participantes non posse generaliter imponi, sed nominandos esse excommunicandos, uitandos, aut dignitates, uel officia, ut nullus cum Petro excommunicato, uel cum abbate, &c. cõmunicet.

CONCLVSIO.

Peccat quoque mortaliter, qui ex contemptu clauium putans ecclesiam non habere potestatem excommunicandi, cũ excommunicato communicat, quia est blasphemus, uel quia uult ab ecclesiæ obedientia recedere, nam iste contemptus est mortalis.

CONCLVSIO.

Clerici, qui participant scienter, & sponte in diuinis cum excommunicatio a Papa, ligantur quoque eadem excommunicatione, a qua a solo Papa absolui possunt. Expresse definita est, in c. significauit. de sent. excomm.

CONCLVSIO.

In omnibus alijs euentibus solum est ueniale cum excommunicato communicare, quia non magni, sed parui nocumenti est talis inobedientia.

VII. Diff. Eritne potius mors subeunda, quam cum tali excommunicato in diuinis communicandum.

Tho. 2. 2. q. 86. ar. 4. & quo li. 12. ar.

Duæ sunt opin. una affirmans Adr. in materia de clauib. q. 3. & aliorum doct. quos ibidem citat. Contraria est Syluest. de excomm. 8. §. 14.

Quan-

CONCLVSIO. 9. Sylue. uerb. §. 7. Dur. d. 18 q. 5. Matth. 2.

Quando aliquis compellitur ad communicandum in crimine cum excommunicato, uel in ecclesiæ contemptum, potius est mors subeunda, quam aliquo modo cum illo communicandum. Confirmatur exemplo Machabæorum cap. 7. qui perpessi sunt mortem: quoniam in contemptum legis diuinę ab Antiocho ad comedendum carnes suillas compellebantur. Definita est in capitu. sacris. de his, quæ ui. metusue causa fiunt.

CONCLVSIO.

Quando aliquis ad communicandum cum excommunicato, in his, quæ non sunt intrinsece mala, sed solum iure canonico prohibita, compellitur, potius est communicandum, quam moriendum. Hæc conclusio colligitur ex canone. Quoniam multos. 11. q. 3. si enim pro uitanda necessitate uictus, aut uestitus, licet cum illo communicare, imo esset malũ non communicare, magis profecto tenebitur, & licebit cuius pro tuenda uita corporali communicare. nam præceptum de euitando excommunicato citra ecclesiæ iniuriam, est tãtum positiuum.

Appen.

Hinc, sacerdos compulsus a tyranno, ut celebret coram excommunicato, poterit celebrare, ita ut in contemptũ ecclesiæ non compellatur, ut si tyrannus se fidem catholicam Romanæ ecclesiæ tenere protestetur.

Appen.

Licebit quoque feria sexta carnes comedere, aut aliquod præceptum ecclesiæ uiolare, metu mortis compulsis, dummodo talis compulsio a tyranno in ecclesiæ contemptũ nõ fiat, ut hæretici faciunt, quia præceptum, de tuenda uita est naturale, & diuinum.

VIII. Diff. Excommunicatus maiori excommunicatione, communicando cum alijs peccabitne mortaliter. Th. q. 22. arti. 2. & 3.

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter in diuinis communicando in ecclesia, & extra. Ratio est, quia, qui ita communicaret, iuste ab Inquisitoribus, tanquam præcepti clauium contemptor puniretur: dicit enim Christus redemptor noster, qui uos spernit, me spernit, &c.

CONCLVSIO.

Quando recipit sacramentum, mortaliter etiam peccat: quia recipiendo sacramentum, ponit obicem gratiæ, recipit enim contra ecclesiæ obedientiam, manetque irregularis, si celebret, uel sacros ordines recipiat, ut definitur in capitu. si cele-

celebret. De Clerico excommunicato celebrante.

CONCLVSIO.

Similiter peccat, si sacramentum administret, quamuis sit generaliter tantum excommunicatus, & non denunciatus. Definita est in Extrauaganti. ad euitanda. ubi dicitur, quod quamuis alij Christiani possint ab excommunicato generaliter recipere sacramenta, non tamen intendimus (inquit) excommunicatos in aliquo releuare, intellige, nisi deposuerit contumaciam, quia tunc ministrando mortaliter non peccat in casu necessitatis, si fuerit Curatus.

CONCLVSIO.

Perinde etiam peccat, quando in electionibus uocem actiuam, uel passiuam habet. Quia electio passiua est nulla. Definitum est in c. Si celebret, & ex consequenti mortaliter peccat, si eligatur, atque etiam eligendo quia cum non habeat suffragium, suffragatur, est enim suffragium nullum.

CONCLVSIO.

Peccat quoque mortaliter iudicis officium, ut proferendo sententiam, aut Prælati officium faciendo, ut si beneficium conferat, omnia sunt nulla. Vt definitum est in Cap. tanta, De concessione præbendæ.

CONCLVSIO.

Comparendo autem in iudicio, tanquam actor, & reus, siue testis mortaliter haud peccat. Ratio est, quia tunc nemini nocet.

CONCLVSIO.

Citra hos casus cum alijs communicando mortaliter non peccat, sed uenialiter tantum. Quia non obedit Ecclesiæ in materia leui, ut communicando cum alio, uel illum salutãdo, &c. hac de causa hæc, & alia huiusmodi sunt tantũ uenialia.

Al. Alē. q. 82. m. 1 & 2. S. Th. q. 21. ar. 4. Ri. ar. 3. q. 3

IX. *Diffi. Quando excommunicatio iniusta est, priuabime suffragiorum communione.*

Duo simul sunt in hac difficultate explicanda. Primum quæ sit sententia excommunicationis iniusta. Secundum quando, & quomodo tunc excommunicatus suffragiorũ communione priuetur.

CONCLVSIO.

Sententia excomunicationis a non suo Iudice lata nulla est, & excommunicatum minime priuat. Definita est in cap. ult. de restitutione expoliatorum.

Appen.

Hinc, Diœcesanorum sententia contra subditos latæ religiosos minime obligant, Quia non sunt Episcopis subditi.

Con-

CONCLVSIO.

Excommunicatio non obligat, quando, tempore legitimo interponitur appellatio. definita est in cap. per tuas. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Quando sententia excommunicationis intolerabilem errorem continet, iniusta est, & nulla. Ratio est, quia contra ius diuinum, aut naturale, aut pro re minima fertur.

CONCLVSIO.

Quando excõmunicationis causa est nulla, neque excõmunicatio nalebit. Ratio est, quia causa, pro qua infertur, non exprimitur, & a iure prohibetur, ut si quis dicat, sub pœna excommunicationis, nemo suscipiat Eucharistiam, quin fuerit suo Curato confessus. causa huius excommunicationis est, ut nullus Religiosis confiteatur, quod a tali iudice prohiberi non potest, cum sint ex priuilegio Papæ confessores.

CONCLVSIO.

Quando expresse a iure prohibetur, ne in tali casu excommunicatio feratur, lata iniusta, & nulla erit. Confirmatur exemplo in cap. statuimus. de sententia excommunicationis in 6. ubi præcipitur, ne excommunicatio generaliter contra participãtes cum omnibus excommunicatis, nisi cum certis, feratur. Appen.

Excommunicatio aliquo istorum modorum nulla a iure neminem obligat, neque aliquem ita excommunicatum prædictis suffragijs priuat.

CONCLVSIO.

Quando excommunicationis sententia est *iniusta*, quia a iure prohibetur, non tamen annullatur, obligat, & priuat excommunicatum. v.g. si iudex præcipiat aliqui sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, non præmissa trina admonitione, uel una tribus æquiualente: aut si quid intra dimidiã horam faciendum præcipiatur, quando nullum tantæ bræuitatis periculum imminet. Ita definitur in capitu. cum medicinalis. de sententia excommunicationis in 6. quamuis iudex sit puniendus.

Dubium. I. Quid si inter DD. sit controuersia, sitne sententia iusta, an non.

CONCLVSIO.

In tali casu sententia ualet. definita est a B. Grego. & refertur. 11. q. 3. Canone, sententia pastoris iusta, uel iniusta, timenda est.

Hinc

Hinc colligitur, aliud esse sententiam esse iniustam, aliud uero nullam. Nam in hac conclusione, & in prima præcedẽte sententia est iniusta, & non est nulla; at uero in alijs huius difficultatis conclusionibus est, & nulla.

Dubium. II. Quid, si excommunicatio sit iniusta, non ordine iuris, sed ex parte excommunicati.

Vt si innocens per falsos testes reus probetur, & sub pœna excommunicationis illi aliquid faciendum præcipiatur. uariæ sunt opiniones, quas refert Adr. quoli. 6. qui tenet talẽ excommunicationem in conscientia non obligare. *sed in foro exteriori* dumtaxat. eiusdem opinionis est Caiet. q. *unica* de effectu excommunicationis, & 2.2.q.70. art. 4. ad 2.

CONCLVSIO.

Quando sententia excommunicationis fertur contra innocentem, legitime probatum nocentem, in conscientia minime obligat. Ratio est, quia pia mater Ecclesia, neque potest, neque intendit innocentem suffragijs priuare.

Appen. Hinc, cessante scandalo poterit celebrare. Quia tals sententia cum sit secundum ius ita, ut iudex si illam non proferret, peccaret, in foro exteriori obligat.

Appen. Hinc, si iste celebraret, non efficeretur irregularis, etiam si ut irregularis puniatur.

Ric. ar. 7 q. 4.

X. Diffic. Quinam sint excommunicationis minoris effectus.

R. p. peccat mortaliter celebrando. Quia contra prohibitionem Ecclesiæ in materia grauissima celebrat: non tamen manet irregularis ut excõmunicatus excõmunicatione maiori celebrando efficitur irregularis. 2. peccat conferendo sacramentum. nihilominus tamen sacramẽta ab eo collata ualẽt. ut pœnitentię sacramentum. 3. si eligatur ad aliquam dignitatem, ualet electio, est tamen per iudicem irritanda, & 4. iurisdictione in foro exteriori, quemadmodum excommunicatus maiori non priuatur. Hæc definita sunt in c. si celebret. De Clerico celebrante excommunicato.

Al. Alẽ. q. 81. m. 4. S. Tho. q. 21. ar. 1. 2. & 3. D. Bo. q. 3 Ri. ar. 4. & ar. 10 q. 11. & artic. 13. Dur. q. 4. Syl. uerbo Prælatus §. 1. et uerbo excom. 2. §. 1.

Art. 4. De his qui possunt excommunicare, & in foro exteriori ab excommunicatione absoluere.

CONCLVSIO.

Omnes Prælati ordinarij authoritatem, excommunicandi suos subditos habet. Collecta est ex c. cum ab Ecclesiarum, de officio ordinarij. Et apertius Definita in c. cũ Ecclesia. De maioritate, & obedientia. Vbi Rom. Pont. sententiam excõmunicationis per priorẽ canonicorum regulariũ latã approbat.

Hinc sequitur, Papam & uniuersale concilium, aut prouinciale

uinciale legitime congregatum, Archiepiscopos, Episcopos & omnes religionum Prælatos, Generales, scilicet Abbates, Priores, Guardianos, in suos subditos ex iure canonico, ut Syl. uerbo Prælatus §. 1. ut & illos. etiam qui statuta condere possunt, non solum uerbo uerume tiam per leges excommunicationis sententiam ferre posse. Nam omnes isti iurisdictionē spiritualem in foro exteriori puniendi subditos habent.

Hinc, simplices Sacerdotes non possunt excommunicare. Cum non sint Prælati, neque etiam Curati poterunt. Nam c. cum Ecclesiarum. citatum. ubi curatis talis facultas concedebatur, iam est contraria consuetudine reuocatum.

CONCLVSIO.

Prælatus excommunicatus, non denunciatus, excommunicare non potest. Definita est in cap. audiuimus 23. q. 1. Notanter dicitur, & non denunciatus, nam Concilium Constantiense in extrauaganti ad cuitanda non intendit releuare ex communicatum. unde in foro exteriori censetur a iurisdictione suspensus. Appen. *Sylu. est uerbo excomm. 2. §. 2.*

Idem est iudicium de suspenso ab officio iudicandi, & colligitur ex glossa in citato c. audiuimus.

CONCLVSIO.

Si subditi ignorant Prælatum excommunicatum, eius sententia erit ualida. definita est in c. infames 3. q. 7. ubi docetur seruum non posse esse iudicem: nihilominus tamen sententias per ipsum latas ualere, quamdiu seruitus ignoratur.

Perinde censendum est de excommunicato habente iurisdictionem, dum eius impedimentum ignorabitur. Appen.

CONCLVSIO.

Prælatus irregularis potestate excommunicandi haud priuatur. Ratio est, quia irregularis solum ordinis exequutione, non autem iurisdictione priuatur.

CONCLVSIO.

Non Sacerdos potestatem ordinariam, uel delegatam excommunicandi habere potest. definita est in cap. transmissā. de electione. ubi dicitur, Episcopum electum, non Sacerdotem habere iurisdictionem. *Ri. est ar. 4. q. 4.*

I. Diffic. Qui Excommunicari possunt.

Lege Ric. d. 18. art. 5. per totum & Caiet. de authoritate Papæ, cap. 10. & sequentibus.

CONCLVSIO.

Papa quamuis sit hæreticus, non est ipso facto excommunicatus. Ratio est, quia antequam deponatur, est supra omnes:

omnes, atque ita non est, a quo possit excõmunicari, neque excommunicatione capitis, Ad aboleda, de hæreticis, ligatur. fuit enim illa excommunicatio lata a Lucio Papa, & par in parem non habet imperium.

CONCLVSIO.

Papa hæreticus, ut apostata, ab uniuersali concilio deponi potest. definita est in c. si Papa, 40. d. & ratio est, quia sicut nullus potest esse alicuius religionis Prælatus, qui non sit in illa religione professus, i a neque potest esse Papa, si fide Ecclesiæ careat.

CONCLVSIO.

Concilium uniuersale potest Papam per excommunicationem compellere: ut reddituus rationem hæresis, aut apostasiæ criminis cuius accusatur, compareat, & in his duobus casibus illam excommunicare. Patet, quia cum possit in his duobus casibus Papam deponere, erit tunc illo superior, & ex consequenti, antequam deponatur, per excommunicationem illum, ut in iudicio compareat, compellere. Aliter enim, si nõ posset cõcilium Papã compellere, neque posset illũ iudicare.

Appen. Hinc sequitur, nullo modo Papam excommunicari posse, niſi in prædictis duobus casibus, in quibus Concilium est supra Papam, neque hoc posse fieri, antequam deponatur: sed propter non comparendi contumaciam.

CONCLVSIO.

Nullus sibi æqualem excommunicare potest. Ratio est, quia par in parem non habet imperium.

ppen. Hinc, Episcopi in concilio Prouinciali congregati, si aliquid sub excommunicatione obseruandum decreuerint tali excommunicatione ligantur, quatenus omnes Metropolitano præsenti subduntur: Metropolitanus uero non ligatur, Quemadmodum Papa excommunicatione lata a cõcilio uniuersali non ligatur, quamuis patres concilij illa ligentur.

Dubium An Excommunicari possit uniuersitas, siue collegium.

Duæ sunt opiniones. Vna Syluestri uerbo excommunicatio 1. §. 3. dicentis, non posse excommunicari totam communitatem, sic dicendo, toti huic communitati præcipimus sub excommunicationis sententia &c. nihilominus, tamen si ita feratur, ualebit. Quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Altera opinio, & opposita est Ric. ubi supra q. 3.

CONCLVSIO.

Sententiam contra uniuersitatem, aut collegium lata est, nulla. Ratio est, quia excommunicatio præsupponit mortale

tale peccatum, quod est personæ, & non communitatis actus.

CONCLVSIO.

Excommunicatus, antequam ab una excommunicatione absoluatur, potest alia ligari, non propter noua crimina, sed propter contumaciam in priori excommunicatione; Definita est in cano. finali, 3. quæst. 4. quod fit, ut actiori animaduersione eius contumacia corrigatur.

CONCLVSIO.

Mortui, pro criminibus in uita commissis excommunicari non possunt. Ratio est, quia iam sunt extra Ecclesiam, & non homines sunt.

CONCLVSIO.

Potest nihilominus declarari, dum uiuerent in excommunicationē incidisse. Definita est in canone. Sane, 24. q. 2. quēadmodum hæreticus, qui post mortem excommunicatus declaratur, & pro eo Sacrificia offerri prohibentur.

CONCLVSIO.

Mortuus ab excommunicatione absolui potest. Vt constat ex cap. a nobis. 6. de sententia excommunicationis. Quę quidem absolutio solum fit, quo ad pœnam exteriorem, nempe, ut in loco sacro sepeliatur, & pro illo publice oretur.

II. Differ. Qui possunt ab excommunicatione absoluere.

CONCLVSIO.

Ab excommunicatione minori non potest absoluere, nisi Sacerdos, qui authoritatem audiendi confessiones habet, & habetur in cap. nuper. de sententia excommunicationis. Nā cum excommunicatio sit pœna iuris, non poterit ita excommunicatus, nisi ab habente spiritualem iurisdictionem absolui, qualem non habent, qui non sunt confessores instituti. Caieta. est contra Nauarum cap. 27. cano 25. in summa.

CONCVLSIO.

Excommunicatus ab homine absolui non potest, nisi ab eo qui excommunicauit, uel a superiore ut a Papa, uel ab eo, ad quem est appellatū. Nam eius est absoluere, cuius est ligare.

CONCLVSIO.

Quando aliquis est excommunicatus ab homine, quia fuit incendiarius, non potest nisi a Papa absolui. Definita est in c. tua nos. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

A quacunque excommunicatione ab homine, facta tamē prius parti læsæ satisfactione, per bullam Cruciatæ absolui quinis potest. Ita enim in bulla continetur.

CON-

Al. Alē. q. 31. m. 1. & 2. S. Th. 4. ar. 1 Ric. art. 10. q. 11. Du. q. 18. Syl. ue. uerbo absolutio 1. §. 2. Caiet. uerbo, excom. m. nor. prafinem.

CONCLVSIO.

Si non habet, unde parti satisfaciat, absoluendus est, non uirtute cruciatę, sed per iudicem, qui excommunicauit (Nam hæc absolutio est ad reincidentiam) quę, nisi per iudicem, ferri non potest.

Sco. est. d. 22. q. 2.

CONCLVSIO.

Excommunicatus in uno Episcopatu ab homine generali excommunicatione, si in alia diœcesi reperiatur, non potest ab alieno Episcopo, etiam facta parti læsæ satisfactione, absolui. Nam eius est absoluere, cuius est ligare, uel authoritate Cruciatæ absoluatur. Oppositum tenet Soto, *ubi supra.*

CONCLVSIO.

Quando excõmunicatio est a iure Canonico, & absolutio Papæ non reseruatur, nullus præter ipsum, tali excommunicatione ligatum absoluere potest. Hæc est definita a Benedicto 11. in Extrauaganti inter cunctas §. obseruent. Hæc Caie. in summa, uerbo Absolutio ab excommunicatione. Oppositum tenet Nauarro. ubi supra, cap. 39. & alij. quos ipse citat. Vide ipsum loco allegato.

III. Diffic. Quænam sunt Papales excommunicationes.

CONCLVSIO.

Respondeo, Quædam sunt in cœna domini, a quibus, etiã per sacerdotem confessorem per bullam Cruciatę absolui potest nemo: aliæ uero sunt a quibus habens bullam, per sacerdotem confessorem absolui potest. Quæ dicuntur extra cœnam. Quas omnes refert, & declarat Caieta. uerbo Excommunicatio c. 31. simul cum omnibus excommunicationibus a iure, & Nauarro c. 27. ubi supra.

Ale. Alẽ. q. 81. m. 7. art. 1. D. Bon. q. 6. Ri. ar. 10. q. 1. S. Tho. q. 34. ar. 2.

Quarta Diffic. Potestne aliquis inuitus ab excommunicatione absolui.

CONCLVSIO.

Excommunicatus ab homine potest. Quia cum excommunicatio sit medicinalis, si timetur delinquentis obstinatio, iudex illam relaxare tenebitur.

CONCLVSIO.

Excommunicatus uero a iure minime potest inuitus absolui. Quia cum uoluntarie peccauerit, uidetur uoluntarie excõmunicationem a iure contradisse: atque ita non nisi uoluntariè erit absoluendus. Hæc Ric. d. 18. ar. 10. q. 11. Sunt, qui sine discrimine utramque conclusione concedat.

V. Diffic. Excommunicatus absens poterit ne absolui.

CONCLVSIO.

Potest excommunicatus absens absolui. Ratio est: quia huius-

huiusmodi absolutio est pœnæ relaxatio, quæ, ut potest cõtra absentẽ ferri, ita & absenti remitti. Nam etiam si requiratur aliqua solemnitas, si de facto absoluat, absolutio ualebit.

Al. Alẽ. q. 81. m. 7. art. 2. d. Bon. q. 4. Ri. q. 3 ib. d. Th. q. 24. ar.

VI. Diffic. Excommunicatus pluribus excommunicationibus poterisne ab una absolui, & non ab alia.

CONCLVSIO.

Poterit profecto. Nam, ut potest pluribus excommunicationibus successiue ligari, ita etiam successiue absolui poterit.

VII. Diffi. Poteritne aliquis pluribus excommunicationibus absolui per unam absolutionem.

CONCLVSIO.

Excommunicatus a diuersis Iudicibus propter diuersas causas, non potest nisi pluribus absolutionibus solui, quando ab eisdem iudicibus absoluitur. Quia cum plures illum ligauerint, a pluribus est necessario absoluendus, eius enim est ligare, cuius est absoluere, nisi per bullã Cruciatæ absoluatur. tunc enim a supremo Iudice absolũitur, & nisi sit ab eodem Episcopo propter diuersas causas excommunicatus, propter blasphemiam, furtum, &c. nam tunc unica absolutio erit satis.

VIII. Diffic. An excommunicatus in alieno Episcopatu, possit a proprio Episcopo absolui.

CONCLVSIO.

Excommunicatus in uno Episcopatu non potest a proprio absolui, ut si Archiepiscopus Valentinus excommunicaret propter furtum Ilerdesem peregrinũ, eius enim est absoluere, cuius est ligare.

Hinc, religiosus hospes excommunicatus a Prælato ubi hospes est, ab alio Prælato absolui non potest, limitatio, non est intelligenda conclusio de excommunicatione a iure, tũc enim talem excommunicationem, in aliena Diœcesi incurrens poterit a proprio Prælato absolui.

IX. Diffic. Esne aliqua solemnitas in absolutione ab excommunicatione necessario seruanda.

CONCLVSIO.

Si absoluens est Iudex Ordinarius, ut commissarius, & præscribitur solemnitas, nempe; ut prius parti lęsæ satisfactio fiat, ita, ut aliter irritetur absolutio, absoluens nihil facit. Agit enim contra præceptum superioris irritantis absolutionem, & est definita in Extrauagante. Etsi dominici gregis. lege Caiet. in summa ubi colligit 90. textus, in quibus omnes excommunicationes iuris explicaui, ne absoluendo cõtra ius, errare tibi contingat.

Appen. Hinc, confessor absoluens uirtute bullarum, non facta restitutione parti læsæ, nihil facit. Nam in bullis præcipitur, ut prius fiat restitutio. Tantum enim ualent indulgentiæ, quãtum sonant. Quod si statim non potuerit satisfacere, præstet tunc reus cautionem pignoratitiam, aut fideiussoriam, & si neutro modo efficere possit, saltem iuratoriam præstet.

CONCLVSIO.

Præter hos casus, quando satisfactio de iustitia facienda prętermittitur, absolutio si fiat, erit iniusta; non tamen irritat. Ratio est, quia quamuis a iure prohibeatur, non tamen irritatur. & nota intelligendum esse satisfactionem, de damno illato in bonis fortunæ, aut honoris, aut corporis.

Hinc excommunicati pro crimine hæresis, aut pro ingressu in monasterium monialium ad nullam tenentur restitutionem, ut absoluantur. Ratio est; quia nullum in aliquo prædictorum bonorum, quorum ratione facienda est restitutio. damnum aliquod intulerunt.

CONCLVSIO.

Potest quicunque excommunicatus absolui ab excommunicatione extra sacramentalem cõfessionem. Ratio est, propterea quod talis absolutio non est a peccatis, sed a pœna Ecclesiastica, & hic modus absoluendi plerunque ab Ecclesia seruatur.

Art. 5. Circa explicationem canonis. Siquis suadente &c.

Hic Canon legitur art. 7. q. 4. ad cuius explicationẽ sunt aliquæ difficultates proponendæ. Et nota primum, in præsentia non esse institutam disputationem de priuilegio fori Clericorum, quo fit, ut pro causa criminali, aut ciuili, corã Iudice Seculari cõueniri non possint, sed de priuilegio canonis, propter quod incidũt in excommunicationẽ percutientes illos.

1. Diffi. Qui possunt priuilegio canonis gaudere.

CONCVSIO.

Omnes clerici etiam primæ tonsuræ, dummodo non sint coniugati. Definita est in cap. 1. de clericis coniugatis. lib. 6. tum etiam quia nomine clerici absolute prolati canone, si quis suadente, hi omnes intelliguntur.

CONCLVSIO.

Clerici primæ tonsuræ coniugati cum unicis, & uirginibus, ita ut non sint bigami, hoc priuilegio gaudent: dummodo tonsuram, & habitum clericalem deferant, & per Episcopũ ministri alicuius Ecclesiæ, ut cœconomi, Sacristæ, &c. sint
Appen. constituti. Definita est in c. Clerici. De clericis coniugatis in

6. &

6. & in Conc. Trid. Sess. 25. cap 6. reformatione.

CONCLVSIO. Appen.

Omnes religiosi professi, & nouitij, & conuersi, & donati in religione approbata, canonis priuilegio gaudent, Definita est in cap. Parochianus de sententia excommunicationis extra, & in cap. religioso, eodem titulo in 6.

CONCLVSIO. Appen.

Moniales omnes professę in religione probata, sub eodem priuilegio intelliguntur. Definita est in c. de monialibus, eo.

De nouitis Monialium nihil reperitur: quia c. religioso. solum de nouitijs monachorum loquitur.

Beat.; quamuis tria emittant uota, hoc priuilegio non potiuntur. Quia aliquā religionem approbatā non profitentur.

Dubium. Fruuntur ne Eremitæ hoc priuilegio. Appen.

Angelus negat, Syluester affirmat uerbo, excommunicatio 6. §. 2. credendum tamen est, quemadmodum priuilegio fori similiter & canonis priuilegio gaudere.

Tit. Diffic. Qui clerici hoc priuilegio priuantur.

CONCLVSIO.

Degradatus, hæreticus, & Apostata a religione, illo priuantur. Caieta. est super Canonē. si quis suadēte. in summa uerbo Excommunicatio. Cæterum cōmunis opinio oppositum tenet: ut Syluester uerbo, Excommunicatio 6. §. 2. docet. Appen.

Hinc sequitur, Clericum excommunicatum, & ad triremes damnatum hoc priuilegio gaudere.

CONCLVSIO.

Clericus non coniugatus carens tonsura, & habitu clericali, respectu ignorātium hoc priuilegio minime gaudet. Definita est in c. si uero. 2. de sententia excommunicationis.

Hinc, percutientes pueros non portantes tonsuram, neque habitum clericalem non sunt excommunicati, si eorum Clericatum ignorent. & idem est iudicium de percutiente Clericum Sacerdotem ueste laicali indutum. Ignorant hi enim factum esse excommunicationi subiectum.

CONCLVSIO.

Clericus portans arma, & habitum laicalem, uel solum habitum laicalem, si ter ab Episcopo monitus noluerit resipiscere, Canonis priuilegio priuatur etiam respectu sciētium eius clericatum. Definita est in c. Contingit. 2. de sententia excōmunicationis.

CONCLVSIO.

Clerici tractantes negocia sæcularia: ut sunt aduocati,

mercatores, si habeant publicas officinas, quamuis percutian tur, eorum percussores excommunicatione huius canonis non ligantur. Definita est in c. final. de uita, & honestate cle ricorum, si tamen ter ab Episcopo moniti uitam in melius nō mutauerint.

CONCLVSIO.

Clericus Iocularis canonis priuilegium amittit. Definita est in c. 1. de uita, & honestate clericorum. Hinc percutiens Clericum publicum Iocularem ex tali officio uiuentem non erit excommunicatus.

Syl. verb. excom. §. 6. Cai. cap. 10. super hunc canonem.

CONCLVSIO.

Clericus artem militarem, ut milites stipendarij, exercēs, canonis priuilegio non gaudet. Definita est expresse in c. cur. non ab huiusmodi. de sententia excommunicationis. Secus autem est de priuilegio fori. Nam si duces exercituum monachum apostatam sub habitu militis uerberauerint, excommunicari erunt. Quia illum suo Prælato tradere tenentur.

Tertia. Diffic. Quando aliquis erit clerici percussor ita, ut in sententiæ Canonis incidat.

CONCLVSIO.

Clerici percussor non solum dicitur, qui cum manu lædit, uerumetiam qui in illum per contemptum aquam, puluerē, aut sputum projcit, Quia manus uiolenta dicitur etiam ex iuris positione captio, uel detentio clerici in camera clausa, uel quid huiusmodi odio, & animo irrogandi iniuriam clerico effectu.

CONCLVSIO.

Qui iniuste percutit clericum, etiam ipso uolente, erit excommunicatus. Constat ex c. contingit 2. de sententia excō municationis, & dicitur iniuste pati, si in satisfactionem proaliqua iniuria dicat clericus, percute me in satisfactionem iniuriæ, qua te affeci.

CONCLVSIO.

Qui præcipit clerici percussionem erit excommunicatus, si effectus sequatur. Definita est in c. mulieris. de sententia excommunicationis. Intellige conclusionem, dummodo ante percussionem non pœnituerit. Nā tunc cessante peccato, quātis sequatur percussio, cessabit excommunicationis effectus.

CONCLVSIO.

Qui consilium, fauorem, auxilium præstat, uel clerici per cussionem ratam habet, in excommunicationem incidit. De-

finita.

finita est in c. sicut dignum. de homicidio, & ratihabitio debet esse illius, in cuius gratiam facta est percussio,& qui mãdare potuit.

CONCLVSIO.

Qui sine proprio incommodo clerici percussionem prohibere potuit, & non prohibuit,sententia excommunicationis comprehenditur. Ratio est, quia fuit causa damni. Caiet.ubi supra sine limitatione hanc conclusionem intelligit;sed intelligenda est de illo,cui ex officio incumbit clericum defendere, ut est Ecclesiasticus Iudex, si pateretur a iudice sæculari capi, uel torqueri, uel dominus, qui uideret suos familiares clericum percutere, & non prohiberet.

CONCLVSIO.

Si qui clericum fugientem insequatur, erit excommunicatus, si clericus se in ignem, aut aquam proijciat,aut lapide offensionis feriatur. Ratio est, quia in causa esse censetur.

CONCLVSIO.

Clericus seipsum iniurioſe desperatione scilicet, aut tedio percutiens excommunicatione ligatur. Ratio est, quia percutiens seipsum iniuste, manus uiolentas in clericum iniecit.

Hinc monialis sollicitans(quod Deus auertat)abortum,nõ est excommunicata,quia non sibi,sed fœtui iniuriam irrogat. Appen. *Syl. uerbo excom.*

CONCLVSIO.

Qui ueste, qua clericus indutus est, aut equũ in quo sedet percutit,aut rem, quã habet manu, iurioſe rapit, in excommunicationem incidit.Quia hoc in clerici contumelia facit.

CONCLVSIO.

Qui Clericum apprehendit:ut in carcerem ducat, & ibidẽ uel in camera,ne inde exeat,detinet ostium foris claudens animo inferendi uim,siue offendendi, excommunicatus manet.Definita est per c.si uero, & per c. Nuper. de sententia excommunicationis.& intelligitur conclusio a iudicibus tantũ Sęcularibus, non autem de Ecclesiasticis, etiam si detineant clericos alienæ iurisdictionis. Nam cum sit constitutio pœnalis de alijs Iudicibus Sæcularibus loquens, non erit ad Ecclesiasticos iudices ampliãda.

Quarta. Diffic. Quibus casibus Clericum percutiens non erit excommunicatus.

Qui profert gladium, siue mittit lapidem in clericum, nõ erit excommunicatus, si illum non percutiat, quamuis laicũ feriat.Ratio est,quia tunc non est uiolenta manus,sed solum est comminatio uiolenta.

CONCLVSIO.

Qui percuttit Clericum non animo iniurioso, non erit excommunicatus, quia non est uiolenta percussio.

Syl. uerbo excom. 6.§.1.

CONCLVSIO.

Qui percutit Clericum titulo correctionis, & non uindictæ, uel per se, uel per alium: ut Patet, Magister, & Prælatus non est excommunicatus. Ratio est, quia ibi non fuit iniuria, sed correctio.

Hinc, si Prælatus hoc faciat animo uindictæ, quia uult aliquam iniuriam ulcisci, uel ex odio, excommunicatione ligatur, ut constat ex c. 1. & ex c. Cum uoluntate, de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Clericum in adulterio cum uxore, matre, filia, aut sorore comprehensum percutiens, non erit excommunicatus. Definita est in c. si uero. 2. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Mulier a clerico agitata osculo, aut tactu impudico, nō erit excommunicata, si illū percutiat. Definita est eodem c. si uero,

CONCLVSIO.

Qui non animo lædēdi, sed defendēdi seipsum Clericū percutit: excommunicatus non erit, quia mortaliter nō peccat.

CONCLVSIO.

V. Diffic. Quis poterit ab Excommunicatione huius canonis absoluere.

Iudex Sæcularis apprehendens Clericum *in flaganti* delicto, aut nocte, arma gestantem, non erit excommunicatus, ū illum capiat ut statim suo iudici restituat.

Art. VI. De interdicto.

Sylvester. 17. casus recensēt, in quibus potest Episcopus absoluere, citra illos non, nisi Papa.

Absoluetur aliquot difficultatibus positis. de quibus Theologi uix tractant. disputant tamen Summistæ fusissime.

I. Diffic. Expediine aliquando interdicti censuram imponere.

CONCLVSIO.

Iusta causa interueniente Ecclesia interdictum generale, etiam si populus non sit in culpa, imponere potest. Canonizata est in c. Minor. 1. q. 4. Et Ratio est, quia Ecclesia aliter non potest superiorum contumaciam cohibere, nisi illorum populos a diuinis excludendo, & populus quidem gratiam, abstinendo ab Eucharistia per obediētiam propter defensionem Ecclesiæ, promeretur.

II. Diffic.

II. Diffic. Quotuplex est interdicti effectus.

Res. triplex communiter assignatur, priuatio, scilicet, diuinorum, Sacramentorum, & sepulturæ.

CONCLVSIO.

Tempore interdicti personis interdictis non licet diuinis interesse, præterquam, quod in primo die Natalis Domini, & & in primo die Resurrectionis, & Pentecostes, & in die assumptionis Virginis Mariæ, in quibus interdictum a primis uesperis usque ad completorium sequentis diei inclusiue suspenditur. Ita definitum est in cap. Alma mater. de sententia excommunicationis in 6. Tum etiam a primis uesperis in festo corporis Christi per totam octauam, usque ad uesperas vltimas octauæ inclusiue. per Extrauagantem, Excellentissimi, quæ est Martini V.

CONCLVSIO.

Omnes Clerici etiam primæ tonsuræ, dummodo non dederint causam interdicto, & non sint Clerici coniugati, tempore interdicti diuinis interesse possunt. Nam hi, qui excipiuntur, hoc priuilegio non gaudent.

CONCLVSIO.

Habentes bullam Cruciatæ tempore interdicti sacris interesse possunt, & secum omnes suos familiares, qui suæ familiæ seruiunt, intromittere. Definita est in cap. licet. de priuilegijs in 6. qui textus non est reuocatus per contrariam consuetudinem priuilegium ignorantium. Nam priuilegia ignorantibus contraria consuetudo non refragatur.

CONCLVSIO.

Integrum est tempore interdicti Sacramentum pœnitentiæ, Confirmationis, & Matrimonij recipere, dummodo interdicti causa non extiterint. Perinde etiam & Baptismi sacramentum, atque uiaticum deferri potest morientibus, cætera autem sacramenta, Ordinis, scilicet, Extremæ Vnctionis, & Eucharistiæ sanis recipere non licet. Hæc conclusio in multis textibus Iuris Canonici, quos refert Syluester, est definita. *Verbo. interdictum. 5. §. 7.*

CONCLVSIO.

Laicis tempore interdicti sepultura in Ecclesia, & cæmeterio denegatur, non tamen extra, & sine officio funerali. Clericis vero dummodo interdicti causam non dederint, in sua Ecclesia, siue aliena cum pulsatione campanarum, & officio alta uoce celebrato Ecclesiastica sepultura cõceditur. Definita est in Cap. Alma mater. *Syluest. ubi supra §. 8.*

Hinc Clerici cauere debent tempore interdicti, ne horas

Canonicas in ecclesia, uel in camera dicant, nisi ianuis clausis, aut semoti omnino, si claudere noluerint.

Tertia diff. Violare interdictum est ne peccatum mortale.

CONCLVSIO.

Clerici in sacris ordinibus constituti interdictum uiolantes. i. aliquid eo tempore prohibitum facientes mortaliter peccant, fiuntque irregulares. Quod si fuerint religiosi, excommunicationem latæ sententiæ incurrunt. Ratio primæ partis huius conclusionis est, quia pœna irregularitatis, suspensionis ab officio, & beneficio non nisi propter mortale imponitur, quas quidem pœnas incurrere huiusmodi clericos constat ex cap. is qui, & ex c. is cui. de sentent. excomm. in 6. & ex c. tanta. de excessibus prælatorũ, & in clementina ex frequentib. de sententia excommun. Religiosi uero excommunicantur. quod intellige tantum quando mater ecclesia interdictum seruat. Prima pars conclusionis est contra Caie. in summa uerbo interdictum. Intelligenda est conclusio, quando clerici exercent actum, quem non possunt, nisi in sacris ordinibus exercere. Vnde si canat epistolam sine manipulo, uel responsũ ut laici solent, non erit irregularis.

CONCLVSIO.

Clerici in minoribus ordinibus constituti interdictũ uiolantes non efficiuntur irregulares. Ratio est, quia præfati textus solum de clericis in maioribus ordinibus constitutis loquuntur, & lex pœnalis potius est restringenda, quam amplianda.

CONCLVSIO.

Laici scienter interdictum uiolantes, nempe audiẽdo missam, mortaliter peccant. Quia in re graui contra præceptũ ecclesiasticum agunt, ut in c. alma mater, prohibetur.

Quarta diff. Quis poterit interdictum relaxare.

Respondeo, si est ab homine, relaxari, & suspendi ad tempus, uel in totum potest ab illo, qui illud posuit. Si est a iure, & Papæ non reseruatur, ab ordinario relaxari potest, persona uero interdicta a iure, uel ab homine, non est uitanda ante denunciationem, ut ex Concilio Constantiensi patet.

Art. ult. De cessatione a diuinis.

Quas autem ob causas sit cessatio ponenda, inuenies in c. quamuis, de officio ordinarii in 6. Hactenus de excommunicatione.

FLO-

FLORES QVAESTIONIS de Correptione fraterna.

Art. An Correptio fraterna obliget transgressores ad mortale. Th. 22. q. 33. dd. d. 19. can. sic per cano. de iud. & can. si peccauerit. 2 q. 1. Cast. uer. subditus. So. de rõne tegẽdi, & detegendi secretum, et Pater Arenalus de hoc ar. 9. Th. ar. 2. Ri q. 2 ar. 2. Duran. q. 3.

CONCLVSIO.

FRatrem in mortali peccato existentem corripere de lege naturali, diuina, & positiua est. Esse autem de lege naturali, constat ex illo principio, omnia, quæcunque uultis, faciant uobis homines, illis facite, & iuxta naturalem, & rectã rationem debent homines, quando errant, uelle doceri, & ab aliis in spiritualibus sibi opem ferri. lex etiam diuina hoc docet; nam si asino proximi sub onere cadenti subuenire præcipitur; multo magis profecto homini sub onere peccati cadenti erit sub præcepto subueniendum. Vnicuique. n. mandauit Deus de proximo suo. Et tandem in iure positiuo est definita, & habetur in can. prouidendum. d. 18.

CONCLVSIO.

Præceptum correptionis fraternæ transgressores ad mortale obligat. Digni. n sunt morte, non solum qui talia agũt, sed etiam qui consentiunt facientib. Et qui corripiendo fratrem potest peccatum prohibere, non prohibendo, consentire uidetur.

Hinc hæreticum erit; negare tale præceptum non esse diuinum.

Dub. Contineturne hoc præceptum Mat. 18. ubi dicitur, si peccauerit in te, &c.

CONCLVSIO.

Non erit hæreticum negare, ibi hoc præceptum non exprimi. cum ordo correptionis, non autem correptio eo in loco mandetur. quemadmodum Mat. 5. Tu autem cum ieiunas unge caput tuum, &c. non iciunii, sed ieiunãdi forma præcipit.

Dub. Estne grauius peccatum transgressio huius præcepti, quam transgressio præcepti de eleemosyna corporali.

CONCLVSIO.

Magis præceptum correptionis, quam eleemosynæ corporalis obligat. Ratio est: quia transgressio huius præcepti magis nocet, & ita deterior multo esse censetur.

CONCLVSIO.

Quando peccatum, in proximo corripiendum, est ex ignorantia, maior necessitas est proximum corripere, quam indigenti corporaliter subuenire. Ratio est: quia qui ex ignorantia

rantia peccat, nisi admoneatur, resipiscere non potest.

CONCLVSIO.

Quando peccatum est ex malitia, uel ex passione, prius est indigenti corporaliter subueniendum. Quia extremam necessitatem corporalem patiens, nisi Eleemosyna illam uitare nō potest. Qui autem peccat ex malitia, uel ex passione, potest sine correptione resipiscere.

Tho. ar. 2 & ibi Cæ. Durā. q. 3. *Prima Diffic. An correptio fraterna obliget quocunque tempore, etiam si scandalum, siue mortis periculum timeatur.*

CONCLVSIO.

Præceptum hoc mini me obligat nisi tribus circunstantijs concurrentibus, quarum una peccati commissio, altera est spes futuræ emendationis, & 3. commoda opportunitas. Si enim dubius de peccato proximi, illum corriperet, maxima afficeret illum iniuria. & si nulla spes emendationis haberetur; esset actus inutilis; & si alio tempore magis me profuturum spero, differre ex charitate correptionem teneor: fit enim talis dilatio propter maiorem proximi utilitatem. Lege Can. Si quis, de Pœnitent. d. 7.

CONCLVSIO.

His circunstantijs simul concurrentibus, præceptum correptionis ad mortale obligat, quia tunc nulla est ratio protrahendi correptionem.

Appen. Hinc altera illarum circūstantiarum deficiente, correptionis præceptum non obligabit. Quia cessat correptionis finis, qui est fratrem lucrari.

CONCLVSIO.

Concurrentibus circunstantijs positis erit aliquādo correptionem prętermittere, ueniale peccatum, v. g. si ex grauibus causis differatur, & ex ignorantia; quia credit se non teneri, quotiescunque illæ circunstantiæ concurrunt; uel quia non omnino sperat se profuturum, dummodo paratus sit omnia postponere, si se finem correptionis consequuturum sciret. ratio conclusionis est; quia talem animi præparationem habens, fraternam retinet charitatem.

CONCLVSIO.

Quando correptio est necessaria omnino, ita; ut proximus nisi corripiatur, a peccato abstinere non possit; tunc etiam cum periculo mortis, est frater corripiendus. V. g. Si corripiendus peccaret ex ignorantia culpabili, & spes certa de eius conuersione haberetur. Ratio est: quia ex ordine charitatis in necessarijs ad salutem bonum spirituale proximorum est

bono

bono temporali nostro anteponendum.

CONCLVSIO.

Quando correptio non est simpliciter ad salutem proximi necessaria, quia fortassis peccat ex passione, aut malitia, tũc prælatus etiam cum periculo mortis ad corripiendũ tenetur, ut si esset certus. N. adulteram relicturam peccatum, certo quę sciret se ab adultero occisum iri. Ratio est, quia prælatus ex officio, & ratione iustitiæ custos, & speculator ad arcendos lupos constitutus est.

CONCLVSIO.

Cæteri uero cum tali periculo non obligantur. Quia solũ ex charitate tenentur, & ad opera charitatis nemo cum detrimento uitæ, uel cum notabili detrimento bonorũ famæ, aut honoris obligatur, nisi in casu extremæ necessitatis.

II. Diff. Teneiturne quilibet alium corripere, cuiuscunque status, & dignitatis sit.

CONCLVSIO.

Th. ar. 3. & seq. Ric. ar. 2. q. 2. & 3. Dur. q. 3. Mat. 18.

Concurrentibus circunstantijs supra positis, omnes homines cuiuscunq. status, & infidelis tenetur peccatorem corripere. Quia cum sit præceptum naturale, ut in principio diximus, omnes in uniuersum homines obligabit. sunt. n. infideles etiam nobis fratres, & proximi, & Christus Iesus, si peccauerit in te frater tuus, &c. dixit.

CONCLVSIO.

Præceptum correptionis peccatores omnes, etiã publicos obligat, ita tamen, ut caute fiat, nempe, ut corripiat secreto, & non increpando, sed obsecrando, simulque seipsum accusando, & nouæ uitæ inchoationem proponendo. nam publice corripiendo, qui publicus peccator est, nihil efficit. cuius. n. uita despicitur, restat, ut doctrina quoque contemnatur. Ratio est, quia cum existens in mortali teneatur ad alia opera charitatis exercenda, ad hoc etiam, quod est potissimum, obligabitur, nisi ita sit infamis peccator, ut est meretrix, leno, &c. ut de illo nulla correctionis spes habeatur. Esset enim opus inutile.

CONCLVSIO.

Prælati, qui sunt publici peccatores, tenẽtur, uel cedere officio, uel resipiscere ad alios corripiendos. Alioquin mortaliter peccabunt. Aliter. n. commodum ex sua malitia reportarent, si quidem ab hoc præcepto liberarentur. Et ita est intelligendus Ric. ar. 2. q. 2.

Hinc subditus, qui peccator publicus est, resipiscere at alios Appen.

cor-

corrigat, non tenebitur, quia nullus tenetur ad opera misericordiæ, nisi quando facultatem habebit.

CONCLVSIO.

Grauius peccat prælatus, quam subditus, hoc præceptum prætermittens, quia Prælatus, plusquam alius subditus, sibi subditum diligere tenetur. Dicente Christo Iesu apud Ioan. Petro Ecclesiæ principi. Symon diligis me plus his? est enim subditus prælati spiritualis filius.

Hinc paterfamilias magis ad corripiendum domesticos, quã extraneus tenetur. dicit enim B. Paul. qui nõ habet curã suorum, maxime domesticorum, &c. est infideli deterior.

Tertia Diffic. An Prelatus ratione obligationis præfatæ teneatur inquirere secretos peccatores, ut illos secreto fraternaliter corrigat.

Ar. 2. ubi sup. S. Th. m. 2. q. 4. cõc. 3

Caiet. partem negantem tenet. Soto partem affirmantem defendit.

CONCLVSIO.

Non tenetur Prelatus secretos inquirere peccatores, satis est illos inuestigare inquisitione generali per edicta publica, ut singulis annis fieri cõsueuit. Nã quamuis Prælati magis ad correptionẽ fraternã, quã subditi teneantur: non tamen alio modo, scilicet, inquirendo peccatores secreto tenentur, neq; ullum de hac secreta inquisitione præceptum legitur.

CONCLVSIO.

Multo minus cæteri Christiani secretos peccatores corripiendos inquirere tenentur. *Satis enim est quando occurrunt illos corripere, quemadmodum nullus tenetur quærere pauperes, quibus subueniat.* Nam satis est, ut occurrentibus Eleemosynam præbeat.

CONCLVSIO.

Grauius peccat, qui Prælati peccatoris, quam alterius subditi correptionem negligit. Ratio est, quia ordine charitatis, & Eleemosynæ spiritualis, plus Prælatum, qui est Pater spiritualis, diligere tenetur. Et quia illius peccatum magis nocet, est tamen non increpandus, sed obsecrandus. Seniorem (inquit, B. Paul.) ne increpaueris, sed obsecra ut patrem, nisi fuerit crimen hæresis. Paul. enim publice reprehendit Petrum, quia fuit gentibus scandalum. Nam quando Prelatus in fide errat, non est superior, sed æqualis.

Th. ar. 7. Adri. de corr. fra. Ric. ar. 3. q. 1. Dur. q. 4.

Quarta Diffic. An ordo correptionis fraternę sit sub præcepto.

Est autem ordo ex Euangelio, ut prius secreto admonea-

tur,

tur, Secundo, ut testes inducantur, & tertio, ut Prælato denuncietur.

CONCLVSIO.

Quando peccatum est notorium notitia facti, non est secreto, sed publice peccator per fratrem increpandus, & publice per iudicem puniendus. V.g. qui blasphemat in foro, est a iudice puniendus, & ab astantibus, si sine periculo mortis, uel alterius mali fieri potest, publice increpandus. Patet ad Tim. cap. 5. peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Et est definita in cap. 1. de pœnit. & remissi.

Hinc religiosus, uel alius quinis, qui blasphemantes coram alijs non increpat, mortaliter peccat. Quia & Deũ diligere increpando blasphemum, & scandalum aliorum diluere tenetur, nisi timore mortis, uel alterius mali, excusetur.

CONCLVSIO.

Quando crimen, quod non est notorium, est in detrimentum publicum, secreta correptio non est præmittenda, sed criminosus statim est iudici denunciandus, ut est crimen hæresis, proditionis reipublicæ, & ambitionis. Ratio est, quia secreta admonitio solum est denunciationi anteponenda, quando frater in malum priuatum uidentis peccat. Ideo enim dixit Christus, si peccauerit in te frater tuus &c. ideſt, in tuam offensam, aut scandalum, corripe illum. Temperat S. Tho. hanc cõclusionem, scilicet, nisi quando aliquis certissime speraret fructũ ex secreta correptione, ut si quis in hæresim ex ignorantia laberetur. Cæterum quia talia peccata perpetrantes rarissime corriguntur, denunciandi statim sunt.

CONCLVSIO.

Quando crimen est in detrimentum tertij, & non spero me secreto corripiendo profuturum, crimenque in iudicio probari non potest, illi, cui detrimentum paratur, ut sibi caueat, est denunciatio facienda, & criminosus, si aliter fieri non potest, detegendus: ut si Petro Paulus insidias pararet. quia diligere tenemur proximum, sicut nos ipsos diligimus, & quilibet in simili casu admoneri uellet. Non est autem denunciandus iudici, quia crimen, ut inquit Adrianus, in iudicio probari non potest, sed innocenti, etiam cum damno criminosi. Quia innocentis causa melior est.

CONCLVSIO.

Quando crimen est occultum, & in malum peccantis, quale sit peccatum libidinis, qualiscunque sit naturæ, si ex secreta admonitione delinquentis conuersio speratur, prius

erit

erit secreto corripiendus. Cõclusio est euangelica, & eius trãsgressio est mortale peccatum, constat Mat. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te, & ipsum solum.

CONCLVSIO.

Facta secreta admonitione, si frater nõ corrigatur; poterit fieri denunciatio prælato, non tanquam iudici, sed ut patri, quin testium inductio fiat. Ratio est, quia per istam denunciationem facile fratri peccanti medebitur. Deterrebitur. n. secreta prælati reprehensione, & est spiritualis eleemosyna non contemnenda.

CONCVLSIO.

Quando frater per secretam admonitionem corripitur, & eius relapsus non timetur, nullo modo erit prælato denunciãdus. Patet ex Euangelio corripe illum, &c. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. ibi igitur erit sistendum: cum finis correptionis, nempe, fratris peccanti, reparatio habeatur.

Ric. ubi sup. oppositum tenet; unde religiosi errandi occasionem sumpserunt, dum in uisitatione criminosos iam correptos denunciant.

Quinta diff. Poterit ne clericus criminosum uitæ, uel abscissione membrorum plectendum iudici denunciare, quin irregularitatis pœnam incurrat.

CONCLVSIO.

Caiet. 7. ubi supra Tho.

Poterit, facta tamen prius protestatione, ne contra criminosum pœna sanguinis procedatur; quamuis tali pœna procedendum esse sciat. Ratio est; quia præceptum denunciationis est euangelicum: præceptum uero ne clerici sint mortis causa in iudicio, est tantum ecclesiasticum, ac proinde potius primum, quam secundum præceptum obligat.

Sexta diff. Quando crimen est occultum, famine testes inducendi, ut in iudicio contra reum testificari possint.

Duæ sunt opin. prima Duran. qui tenet partem negantem, quando. s. crimen est omnino occultum, poterit tamen (inquit) prælato, tanquam patri releuare. esse tamen solum inducendos testes, quando crimen est probabile. i. coram duobus, uel tribus testibus commissum, etsi unus eorum occulte illũ corripuerit, & resipiscere noluerit (erunt inquit) tunc testes, quibus crimen notum est, uocandi, & si fuerit contumax, ecclesiæ denunciandus.

Th. ar. 8. Ri. ar. 3. q. 2. Gab. lec. super can. Caie. ubi sup. S. Th.

Contraria opi. est S. Th. & Ric. & Palud. & Gabr. & Caieta. ubi supra S. Thom. horum sententia est, ut si frater secrete admonitus non corripiatur, inducantur testes, qui illum uideant

deant peccare,ut si coram illis reprehensus non conuertatur, erit iudici denũciandus, qui poterit per illos testes delinquẽtem conuenire.

CONCLVSIO.

Quando crimen est omnino occultum, si post secretã correptionem fraternam conuertatur, testes ad illum obsecrandum adduci poterunt. Probatur ex Euangelio, si te non audierit, adhibe tecum unum, aut duos testes, ut in ore duorũ, aut trium stet omne uerbum.

CONCLVSIO.

Non sunt statim duo adhibendi, sed prius unus, deinde alter, ut si forte coram uno teste corrigatur, apud duos non infametur, patet ex Euangelio, ubi dicitur, adhibe tecum unum, aut duos, ideſt, prius unum, & si non profuerit, adhibe alterũ testem.

CONCLVSIO.

Si adhibitis testibus, frater conuertatur, non erit ecclesiæ denunciandus. expressa est in euangelio citato.

Hinc, si nulla est criminosi spes, neque sunt inducendi testes, neque est denunciandus, nisi crimen sit in reipublicæ, aut alicuius tertii detrimentum. Cęterum teneor denunciare prælato, si ob meritum obedientiæ sanctæ præcipiatur: si nõ mihi uerisimile fuerit, mea secreta admouitione esse corrigẽdum. Tunc. n. prius illum secrete admonere teneor.

VII. Diff. Quando per uiam denunciationis procediturꝰ poterit prælatus publice delinquentem punire.

CONCLVSIO.

Quando crimen est occultum, & denunciatio fit prælato tanquam patri, non potest prælatus tunc illum punire, neque iuridice interrogare, sed monere tantum, & minis terere, ut caute uiuat; meliusque aget, si crimen non detegat, ne forte inter reum, & denunciatorem discordias seminet. Ratio est, quia prælatus non potest iuridice procedere, quando non habet contra reum legitimam probationem, neque infamiam, neque indicium, & reus tunc etiam sub sententia excommunicationis confiteri minime tenetur. Non. n. est iudex cessantibus legitimis, & plenis probationibus: ut possit per uiam denunciationis, procedere. tamen si per uiam accusationis, aut inquisitionis, semiplena probatione existente, quæ unico teste, aut solis indiciis constat, procedere posset.

qAl.. 40. & 45. in 3. p.m. 6. ar.i.§. 2. & 3. D. ran.q. 4.

CONCLVSIO.

Potest prælatus secreto flagellis delinquentẽ punire, quan

do

do crimen potest duobus testibus probari, etiamsi firmissimũ propositum cauendi in futurum se habere dicat. Ratio est, quod propterea tunc procedit, ut iudex. Notanter dicitur secrete, quia publice non potest, cũ denunciationis finis sit sola fratris, emendatio, quando autem reus fuit infamatus, aliter ut infra dicetur, procedendum erit.

CONCLVSIO.

Si reus post secretam punitionem, in idem peccatum relapsus fuerit, poterit tunc Prælatus, seu iudex publice contra illum agere, sub excommunicatione latæ sententiæ præcipiendo, ut ueritatem dicat, & alijs pœnis illum castigando. Hæc Conclusio colligitur ex Euangelio, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus, ideſt, publice illum uitabis, quod fieri non potest, nisi post iudicium in foro iudiciario publicatum.

Ar. II. De accusatione sine sub præcepto delinquentem aliquando in iudicio accusare.

Al. Alẽ. 3.p.q.42 Tho.2.2. q.68. duran.q.4. cano. ubi sup.

CONCLVSIO.

Nullus crimen publicum accusare tenetur, bene tamen iudicialiter denunciare: ut iudex per fiscum contra criminosum agat. Accusator enim tenetur probare crimen, non autẽ denunciator, nullusque est compellendus, ut crimen probet, quia si in probatione deficeret, pœna talionis plectendus esset. uerum cum ex lege charitatis teneatur malo reipublicæ obuiare, tenebitur criminosum tale malum machinantem denunciare. Hæc est Angeli. uerbo Accusatio. Contra S. Th. & quæstio est de nomine, nam quod Angelus denunciationem S. Tho. occasionem uocat.

CONCLVSIO.

Nullus tenetur in conscientia accusare criminosum ob iniuriã ab illo receptam. nam Christus Iesus cum malediceretur non maledicebat, & cum accusaretur, non criminabatur. Sed pro malefactoribus libentissime orasse legitur.

CONCLVSIO.

Si tamen non odio, aut maleuolentia, sed in satisfactionem iniuriæ illatæ moueatur, in integrũ erit illum accusare. Si enim licet petere in iudicio pro damno illato in bonis fortunæ satisfactionem, integrũ quoque erit pro damno illato in bonis honoris, & famæ, cum utrobique criminosus ad restitutionem teneatur. Intelligitur offensũ odio carere, si uellet potius aliter, quã per accusationẽ sui honoris iacturã resarcire, uerum, quia aliter non potest, agit per accusationem.

Prima

I. Diffic. Tenebiturne accusator prius admonere delinquentem.

CONCLVSIO.

Sylvester duas contrarias affert opiniones. *Al. Alē. qō. 41. m. 6. Th. 33 ar. 7. Ri. ar. 3. q. i. Syl. uerb. accus. §. 9*

CONCVLSIO.

Non tenetur prius admonere, quam accuset. Ratio est, qa accusatio nō fit propter bonum accusati, quod per secretam admonitionem intenditur, sed propter bonum publicum, aut accusantis satisfactionem.

II. Diffi. Quando accusator peccat.

CONCLVSIO.

In accusatore calumnia semper est mortale peccatum, Ratio est, quia est mendacium in damnum innocentis.

Accusator quando est pręuaricator, aut tergiuersator, non peccat mortaliter, nisi quādo reus crimine publico accusatur, quia quando crimen est in detrimentum publicum, fit reipublicæ iniuria prævaricando, aut tergiuersando, non autem quando crimen est in detrimentum alicuius priuatæ personæ. Tunc enim persona accusans læsa, uel prævaricando, uel tergiuersando iuri suo cedere potest. De his uero, qui accusare possunt copiose Summistæ disputant.

Art. 3. De inquisitione, An fiat licite de crimine occulto, nulla præcedente infamia. *Al. Alē. ubi sup. Tho. 2. 2. q. 68. ar. i. & reliq. d. 29.*

CONCLVSIO.

Nunquam in criminibus priuatæ personæ, quando crimē non est in rempublicam, debet specialis fieri inquisitio, nisi de illo crimine infamia præcedat. v. g. sunt tres, aut plures testes, qui Petrum Sacerdotem cum aliqua concubina in lectulo uiderunt, cuius criminis non est Petrus infamia notatus, quia testes tacuerunt, soli Prælato denunciant crimen, tunc Prælatus nec publice illum punire, nec alios testes uocare ad inquirendum de eius uita poterit. Ite expresse definitur in cap. Inquisitionis, & in cap. Qualiter, & quando. ubi multa Sacræ Scripturæ loca referuntur. Notanter dicitur in concl. (nisi crimen sit contra rempublicam) ut crimen hæresis, proditionis, quia hæc crimina contagiosa sunt per specialem inquisitionem, uel unico dumtaxat teste existente resecanda.

Hinc pessime facerent Prælati regularium, si publice punirent religiosos propter crimina coram quatuor, aut quinque testibus commissa.

Hinc licitum esse uidetur, in crimine nefando per specialē inquisitionem procedere, cū sit contagiosum, & atrociss

mum,& tales criminosi uix sint corrigibiles, & confirmatur. Nam Doc.in c.qualiter,& quãdo, definiunt crimina atrocia etiamsi criminosi non fuerint infamia notati,publice puniri posse.& hoc crimen nefandum,& atrocissimum est.

CONCLVSIO.

Præcedens conclusio non est de iure naturali, aut diuino, sed de iure Canonico. Ita, ut Papa possit dispensare: nullibi enim in Sacra scriptura tale præceptum reperitur, nam si reperiretur,non posset dispensare, ut secreta crimina, etiamsi nulli essent nocumento, publice punirentur. ut est lex de criminibus nefandis.Nam Achan nulla notatus infamia fuit publice punitus.

Tertia Diffic.Estne seruanda primo huius art.conclusio in criminibus regularium.

CONCLVSIO.

Ordo illius conclusionis seruandus est in criminibus regularium.Nam Deus Opt. Max. Gen. 18.antequam publice puniret Sodomitas,fuerunt diffamati.Descendam, & uidebo ut uirum clamorem, qui uenit ad me,opere compleuerint. & Villicus iniquitatis prius,quam ministerio priuaretur, fuit diffamatus.

Luc. 16.

Quarta Diffic. Infamatus de uno crimine,ut de furto,potestne de alijs criminibus interrogari, de quibus nulla est infamia notatus.

Th.q.33 ar.5.Ric. ar.2.q.2

CONCLVSIO.

Non potest,nisi illud crimen sit aliorum *indicium*,v.g.qui occidit hominem in itinere, potest interrogari de spolijs, & infamatus de adulterio potest rogari, an uirum adulteræ occiderit. Nam unum crimen est alterius indiciũ. Definita est in cap. Inquisitionis citato ubi expresse habetur. Palud. & Caietan.ubi supra S.Tho.tenent oppositum.

CONCLVSIO.

Reus non est de socijs,qui nulla infamia laborant, interrogandus,præterquam in criminibus, quæ sunt in detrimẽtũ reipublicæ,ut est hæresis,siue proditionis crimen.

Appen. *Ri.ar.3. q.3. Nauar.in manual c 18 nu.38.Soto.ubi supra.m.2. q 6.*

Hinc deprauatam esse consuetudinem interrogandi in causa furti,& homicidij de socijs,qui nulla sunt infamia notati,constat. est enim contra ius. & reus respondere minime tenetur.

Quinta Diffic.Si crimen est notorium, & ignoratur reus,potest de illo,qui nulla est notatus infamia,iudex inquirere.

V.g.si fuerit cadauer hominis occisi repertum,cuius homicida ignoratur.

Poterit

CONCLVSIO.

Poterit specialiter inquirere, quisnam fuerit criminosus, quamuis nulla infamia laboret. Quia tale crimen est in rem-publicam. Si enim inquisitio fieri non posset, daretur occasio committendi passim furta, & homicidia. Hæc conclusio est DD. Innocentij, super caput primum. de postulatione Prælatorum, quam dicit communem. Nauarro in manuali. Caiet. ubi supra, & Soto oppositum affirmant.

CONCLVSIO.

Generalis inquisitio nulla præcedente infamia alterius personæ, nulloque accusatore postulante, fieri potest. Definita est in capite cum olim. de accusationibus, & in Cano. Romana. de censibus in 6. & hoc passim inter Ecclesiasticos, & regulares obseruatur.

VI. Diffic. Quænam sunt crimina, quæ subditi, quando sit generalis inquisitio, denunciare tenentur & Iudices punire possunt.

Propositio prima.

Crimina olim cõmissa, si criminosus est iam correctus, & omnino occasiones reincidẽdi abstulit, non sunt denuncianda. Ratio est, quia illorum non est inquisitio facienda, quod est maxime regularibus notandum. ne olim criminosi iam religiose uiuentes Prælatis denuncientur.

Propositio secunda.

Quando criminosus laborat infamia, etiamsi sit iam conuersus, poterit iudex specialem contra illum inquisitionem facere testes interrogãdo, qui respondere tenebuntur. Quia tunc iudex iuridice procedit, & interrogat.

Propositio tertia.

Prælatus per inquisitionem generalem, nõ solũ potest subditos in illis casibus, & eo ordine ad crimina denuncianda compellere, quo ipsi extra inquisitionem generalem tenentur, verumetiam extra inquisitionem poterit denunciationem differre. in Visitatione autem generali, infra tempus a Prælato assignatum, debet fieri denunciatio.

Propositio quarta.

Quando crimina sunt occulta, aut probabilia per duos saltem testes, & criminosus non laborat infamia, si tunc ex secreta admonitione, fratris conuersio speratur, tenetur corripere & nullo modo denunciare, neque tunc censura aliqua ligabitur. quia Prælatus contra Euangelium non potest aliquid præcipere, ut ex superioribus patet.

Propositio quinta.

Si uero tunc nulla, ut parua spes emẽdationis ex secreta admonitione habeatur, tunc crimen est Prælato, tanquam iudici, denunciandum, etiamsi fuerit omnino occultum, non ut publice, sed ut secrete illum puniat, ut supra diximus.

Propositio sexta

Si fuerit publicum, similiter erit Prælato tanquam iudici, denunciandum, qui debet criminosum publice, sed leuiori pœna punire.

VII. Diffic. Reus, siue testis legitime a iudice interrogatus teneturne respondere ueritatem.

CONCLVSIO.

Al. Alẽ. in 3.p.q. 43. m. i. Tho. 2.2. q.69.ar. 1. Ri.ar.4 q.2. Soto m.3.q.7.

Tam reus, quam testis tenetur in iudicio legitime rogatus dicere ueritatem. Patet, quia qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. resisteret autem, si tunc rogatus ueritatem non diceret.

Hinc testis, uel reus, qui durante iudicio legitimo, ueritatem inficiatur, etiamsi sit in proprium caput, non est a confessore absoluendus, bene tamen finito iudicio, si fuerit a iudice absolutus, quia tunc solum obligatur ad satisfaciendum parti læsæ per suam negationem, non autem ad tradendum se iudici, ut in ipso uindictam exerceat.

Appen.

Hinc, quando in iudicio per uiam accusationis proceditur, si solus unus testis est oculatus, & ab accusatore præsentetur, tenebitur dicere ueritatem. Tunc enim unus testis facit iudicium legitimum. Quia facit semiplenam probationem: Nam cum accusator agat iuste petendo uindictam iniurię occultæ, testis, quamuis sit unicus, tenebitur ueritatem aperire.

Al. Alẽ. m. 1. ubi sup. Tho. q.70.

VIII. Diffic. Testis non accersitus a iudice tenebitur se ad testimonium dicendum offerre.

CONCLVSIO.

Tenebitur in casu criminali, uel ciuili, si est ueritatis conscius ad innocentis defensionem. Dicitur enim Prouerb. 24. erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare necesses. Alioqui enim ageret contra charitatem, non tamen tenetur defendendo Innocentem, accusare nocentem. estque intelligenda conclusio, quando aliter innocens liberari non potest. Nam si potest, non tenetur, quin a iure uocetur.

CONCLVSIO.

Nullus ad damnandum tenetur offerre se ut testificetur quin a iudice uocetur. Nam Accusator tenetur prius examinare

minare probationem, quam aduersus reum habet.

Est autem limitanda conclusio, nisi accusatio sit de crimine contra rempublicam: ut est crimen hæresis, & proditionis quia tunc, sicut accusator accusare tenetur, ita & testis testimonium dicere.

CONCLVSIO.

Qui abscondit se, ne testificari contra reum compellatur, etiamsi eius testimonium sit simpliciter necessarium, tam in casu ciuili, quam criminali, non peccat: dummodo parti læsæ damnum sua causa, scilicet, quia testimonium non dixit, illatum restituat. & Ratio est, quia hoc modo nullam actori abscondendo se iniuriam facit.

IX. Diffic. Teneturne testis, quando a iudice uocatur, etiam cum periculo proprij capitis testari.

CONCLVSIO.

Al. Alē. ubi sup.

Nequaquam tenetur. Ratio est, quia magis tenetur diligere se, quam alium. poterit tamen cęlare ueritatem uerbis amphibologicis, ut supra diximus.

X. Diffic. Tenebiturne filius contra patrem testis esse.

CONCLVSIO.

Al. ibidē n. 3.

Tenetur in legitimo iudicio, si a iudice uocetur. Nam cum suū crimen in tali iudicio, si accusetur, confiteri teneatur, tenetur quoque contra patrem reum, si præsentetur.

XI. Diffic. Tenebiturne aliquis manifestare crimen in iudicio, quod iuramentum cælandum promisit.

CONCLVSIO.

Si a legitimo Iudice uocetur, illud reuelare tenebitur. Ratio est, quia iuramentum fuit in præiudicium parti læsæ. huc usque de Correptione fraterna.

FLORES QVAESTIONIS
De voto.

Art. I. De his, quæ ad essentiam uoti pertinent.

In hoc art. de forma uoti. i. de promissione, quæ dat esse de uoto, & de uoti materia disputabitur, & absoluetur aliquot difficultatibus positis.

Th. 2. 2. q. 88. reli qui doct. d. 38. & So. lib. 7. de ius. & iu.

I. Diff. An præter intentionem, sine propositum faciendi aliquid, promissio ad uotum desideretur.

CONCLVSIO.

DE essentia uoti sunt uoluntatis deliberatio, & propositum, ideſt, intentio obligandi se Deo, atque promissio. Na ut homo homini per solum propositum non obligatur,

sed per promissionem, ita neque Deo sine deliberatione, proposito, & promissione, aliquis obligabitur. Quæ quidem per solam interiorem cogitationem Deo, qui intuetur cor, fieri potest.

16 *II. Diffic. Simplex assertio sine uerbis promissoriis obligabitne aliquem in conscientia.*

Vt, si quis dicat: ego tibi in iudicio patrocinabor; quin dicat; ego tibi meum promitto patrocinium.

CONCLVSIO.

Nunquam aliquis per simplicem assertionem quicquam promittere censetur. Ratio est; quia cum quis alicui dicit; ego tibi in iudicio suffragabor, statim exigit promissionem dicens, promittisne; quamobrem, si non habuit intentionem obligandi se, per talem assertionem obligatus haud erit.

III. Diffic. Votum sine plena deliberatione factum obligatne uouentem.

CONCLVSIO.

Votum, cum actuali deliberatione præmissa, quæ plena, aut semiplena nominatur, uouentem obligat, ita ut illud adimplere teneatur. Definita est expresse in cap. sicut nobis. de regularibus. ubi ad uoti exequutionem obligatur, qui maxima laborans ægritudine, mortis timore uouerat, & in cap. Veniens, de Voto. ubi Alexan. 3. commutat uotum in puerili ætate quadam facilitate sine plena deliberatione emissum. Et ratio est, nam ut aliquis iracundia accensum, aut repentino motu, dummodo sit rationis compos, potest uotum frangere, & mortaliter peccare, ita eadem passione dominante potest uotum emittere, & per uotum Deo obligari. neq; enim maior libertas ad aliquid promittendum, quam ad seruandũ promissum desideratur.

CONCLVSIO.

Qui sine ulla deliberatione actuali, plena, aut semiplena uotum emittit, non tenetur uotum adimplere, quia non est mentis compos.

Hinc, si ebrius, aut iracundus, primo iræ motu laborans iuret, aut uoueat, se Hierosolymam iturum, si iterum ludat, non perpendens, sitne bonum, an malum, tale uotum facere, quãuis illud non adimpleat, non erit uoti reus. Nam cum primus motus non sit liber, quia non est in nostra potestate, uotum, uel iuramentum tunc factum non ualebit.

Appen. Hinc, qui iurandi assiduitate iuraret se Hierosolymam iturum, si iterum iurauerit, ad uoti adimpletionem non te-

neretur

neretur propter defectum actualis deliberationis. Nam licet illa deliberatio uirtualis ad inducendum periurij peccatum sufficiat, eo quod prauam consuetudinem euitare tenebatur, ad obligationem tamen uoti non sufficit, quia sic promittens animum promittendi, quod est de essentia uoti, minime habet, atque ita est Ricardi sententia intelligenda.

CONCLVSIO.

In uotis repentino uoluntatis motu factis optimum erit consilium, dispensationem obtinere, quæ facillime concedetur, propterea quod nimia facilitate emissa fuerunt, difficile namque est in huiusmodi euentibus, quid tenendum sit iudicare. Definita est in c. ueniens, de uoto.

Hinc reg. sum. Angelicæ, quæ dicit necessarium esse, ut tale uotum obliget, recedente ira, aut passione iterum cõfirmare, parum ueritatis habere uidetur.

CONCLVSIO.

Votum emissum sola uirtuali deliberatione est nullum, ut si quis sola assiduitate iurandi promittat ita commotus peregrinationem aliquam, si cum Socrate luserit. Ratio est, quia ad uotum non satis est, ut sit uoluntarium in sua causa, quale est uotum ex assiduitate tantum iurandi factum, uerumetiã oportet, ut sit in se uoluntarium, & hoc modo intelligenda est Ric. opinio.

Quæra diff. Ad uoti obligationem desideraturne propositum adimplendi promissum.

V.g. milites S. Io. uouent continentiam perpetuam animo obligandi se ad illam religionem, est. Diff. An teneantur etiã habere efficax propositum obseruandi continentiam. *Sco. d. 39 lib. d. Pō. & So. ubi sup. Sylu. uer. relig. 3. §. 6. Cai. ubi sup. Tho.*

CONCLVSIO.

Tunc est perfectum, & integrum uotum, quando uouens intentionem obligandi se, & adimplendi promissum habet. Ratio est: quia concurrunt omnia, quæ ad uoti perfectionem desiderantur utpote, deliberatio uoluntatis, promissio, qua uouens Deo obligatur, & propositum faciendi promissum.

CONCLVSIO.

Vouens animo obligandi se, & non adimplendi promissũ, mortaliter peccat, estque in statu damnationis, donec propositum mutet, & ad uotum adimplendum obligatur. est. n. de essentia uoti uoluntas obligandi se Deo per tale uotum, quãta uouens habet, cum uellet fieri religiosus illius ordinis, in quo uotum uouit Domino, deprehenderetur uero carere proposito adimplendi uotum, si occasiones incontinentiæ non

vitauerit,& incaute,sicut ante uotum,uixerit.

CONCLVSIO.

Qui uoce tenus,sine animo obligandi se Deo,& adimplendi uotum,uouet;mortaliter peccat,quia mentitur,si uoce tantum illud proferat,non tamen ad uotum adimplendum obligatur.deest enim uoluntas uouendi, quæ in uoto est radix obligationis.

Hinc,qui coram alijs, ut fit in uoto solemni religionis sine animo promittendi,uouet,uotum adimplere tenetur,non ratione uoti,quia fuit nullum,sed ratione uitandi scandalum quod ex uoti fractione sequeretur, posset; Ecclesia *sic uouē*tem ad uoti obseruantiam compellere, quia cum Ecclesia nō iudicet de occultis,non tenetur illi credere, quamuis iuret,intention em obligandi se non habuisse, quemadmodum ficte ordinato aut baptizato, etiam si iureiurando affirmet se intē tionem recipiendi tale sacramentum non habuisse, fidem adhibere haud tenetur.

Hinc ficte uouens secluso scandalo,ut si a loco, ubi scandalum oriri potest,longe recedat, ad uoti obseruantiam minime obligabitur.

Hinc,si in eodem loco permaneat, tenetur ad secrete uouendum.Aliter enim non erit monachus, & dum falso Monachatum repræsentat, est in statu damnationis. propterea quod Prælati non habent authoritatem absoluendi,aut ligādi illud,sed solus Diœcesanus Episcopus, *cum non sit monachus*. Tum etiam quia si intentionem *suffragandi in electionibus* habet,cum uero suffragio careat,*mortaliter peccat*,qua propter,uel recedat a loco,& sine scandalo habitum dimittat oportet,uel secreto infra se uotum religionis emittat,dicens Domine ege uoueo paupertatem,&c.

Bon.Ri.et So.ubi sup. *V.Diffic. Solum vouendo propositum sine explicita, aut tacita promissione,obligatne,ac,si votum factum fuisset.*

V.g.ingreditur aliquis religionem cum firmissimo perseuerandi proposito & ante professionem mutat sententiam,& reuertitur ad seculum,eritne hic uoti reus.

Ver.reli. 3.§. 9. Sylue.duas refert opin.primam Canonis. tenentium partē affirmantem. Secundam Theologorum defendentium partem negantem,quos Caie.in hoc art.Citat,& sequitur.

CONCLVSIO.

Solum propositum uouendi sine expressa, uel tacita promissione,

missione, obligationem adimplendi propositum non inducit. Definita est expresse in cap. ex parte & cap. literarum. de uoto, & in cap. si bonum 17. q. 1. nam proponere aliquid facere non est promittere, sunt enim de essentia uoti actualis deliberatio uoluntatis, ideſt, ut emissurus uotum dicat; uolo esse monachus, & propositum, ideſt, intentio obligandi se per uotum, & promissio, quæ est uotum, siue uoti forma.

V. Diffic. An possit uotum de re illicita fieri.

Nequaquam fieri potest. Votum enim de re illicita est in cõtumeliam Deo; & ideo non tam promissio, & Votum, quam nominatio dici debet. est enim uotum bonum, quia res promissa est bona, & a contrario sensu, erit uotum illicitum, & malum, quando res promissa mala, & illicita fuerit. *D. Bon. q. 2. Ri. ar. 1 q. 1. ad 2.*

Hinc, promittens Deo aliquod ueniale habens intentionem irrogandi Deo aliquam offensam, grauissimum sacrilegium, & blasphemam committit, quia est comminatio cõtumeliæ, & non promissio.

Hinc, quando quis promittit ueniale sola intentione complacendi sibi, qualis erit animus, & intentio, talis erit promissio mortalis, scilicet, aut uenialis, quia uotum, siue iuramentum de re aliqua illicita tanto est deterius, quanto res promissa est maioris malitiæ: nõ enim effectus est sua causa deterior.

Septima diffic. An uotum de re indifferenti obliget.

CONCLVSIO.

Votum de materia indifferenti nullo modo promittẽtem obligat. displicet namque Deo stulta promissio, qualis est de materia indifferenti. est enim inutilis, quam uel homines repudiant. *d. Bon. q. 2. Ri. art. 13. q. 3. Sot. ubi sup.*

Hinc uotum non ludendi cum alio, ubi nulla ratio mali interuenit, est nullum.

Hinc mulieres promittentes in honorem Virginis Sanctissimæ abstinere in sabbato a panis coctione, non abstinendo ab alijs operibus seruilibus, uotum reddere minime tenentur, quia est opus indifferens. parum enim refert abstinere se ab uno opere seruili, si alijs uacet. *Appen.*

CONCLVSIO.

Quando res indifferens in suo genere, bona ratione alicuius circunstantiæ efficitur, uoti materia esse potest. Ratio est, qua tunc erit uotum de re utili, & bona.

Hinc, uotum non confabulandi cum certa persona, quia est uouenti ruinæ, & scandali occasio, erit ualidum: cessante autem scandalo, & ruinæ occasione, erit nullum, nec obli- *Appen.*

gabit

D. Bon. q. 2. Ri art. 3. q. 2. ad 1.

gabit, quia iam materia indifferens est effecta. & de similibus simile iudicium est.

Octaua. Diffic. Votum de re inevitabili, ut de nunquam peccando venialiter, valebit.

Votum de nunquam uenialiter peccando, quoad peccata, quæ sunt inevitabilia, est nullum. Ratio est, quia illud promittere non possumus, quod in nostra potestate non est: qualia sunt peccata uenialia, quæ rationis usum præueniunt, ut primi sensualitatis motus, de quibus B. Ioan. dicit si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est.

1. Ioan. 8

CONCLVSIO.

Valebit tamen uotum istud, quoad illa uenialia, quæ sunt in nostra potestate, ut quę non præcedunt, sed sequuntur rationis usum, quale est mendacium leue, uerbum otiosum. Ec. ratio est, quia qui promittit aliquid, & totum reddere nequit saltem ad partem reddendam obligatur, ut qui promittit cẽ tum, & non nisi decem reddere potest. Oppositum tenet Soto, est tamen consulendum ita uouentibus, ut dispensationẽ obtineant, propter difficultatem adimplendi uotum.

IX. Diffic. An de rebus necessarijs ad uitam eternam consequendam, qualia sunt præcepta decalogi, possit fieri uotum.

CONCLVSIO.

Possunt quidem esse uoti materia. Ratio est, quia licet sint necessaria necessitate finis, ad uitam ęternã consequendam, sunt nihilominus in nostra potestate, & uoluntaria.

CONCLVSIO.

Votum de huiusmodi rebus factum qui transgreditur, grauius peccat, quam si uotum non emisisset, est enim transgressio duorum præceptorum.

Hinc, qui in duabus religionibus regularium bis uotum solemne continentię emisit, grauius peccat, si incontinenter uiuat: duplici enim uoto ad continentiam est obligatus. Idẽ est iudicium de illo, qui super eandem materiam uota multiplicat.

Appen.

d Bo. q. 2 Soto. q. 1. art. 3.

X. *Diffic. Licetne absque peccato opposita consiliorum promittere.*

V.g. si quis dicat, promitto non intrare religionem, uel nõ dare eleemosynam, nisi patienti extremam necessitatem.

CONCLVSIO.

Opera supererogationis, cuiusmodi sunt consilia Euangelica, propria uoti materia esse dicuntur. Ratio est, quia sunt omnino uoluntaria.

Non-

CONCLVSIO.

Non licet aliquid contra consilia, & supererogationis opera promittere, quia tale uotum impedit omnino maius bonũ ponit enim in corde suo non ascendere. Et in uia Domini nõ progrẽdi, regredi est.

CONCLVSIO.

Qui promittit contra consilia, etiam quando fuerint sub præcepto, mortaliter peccat, ut si quis promitteret, nunquã dare eleemosynam extra extremam necessitatem patiẽti. Ratio est, quia talis promissio propositum peccandi mortaliter includit.

CONCLVSIO.

Si ita uouens intenderet, ut Deus promissionem acceptando, sua consilia reuocaret, gratissimum sacrilegium, & blasphemiam committeret. quia esset uelle Deum mutabilem esse, quod deitati repugnat.

CONCLVSIO.

Qui sic uouens intenderet Christo consulenti displicere, esset peccatum contra charitatem, & odium Dei.

CONCLVSIO.

Qui ita per ignorantiam uoueret, existimans se Deo obsequium præstare, ut si promitteret, non dare eleemosynam Petro, quia est superbus, uenialiter peccaret. Nam per ignorantiam a mortali excusabitur.

Hinc, nunquam licebit uotum de nũ quam uouendo emittere, quia consilium Euangelicum est.

Appen.

XI. Diffic. Votum emissum de aliquo supererogationis opere propter malum finem, eritne ualidum.

D. Bon. q. 2. Ric. ar. 1. Sot. q. 1 ar. 3. Cai. ubi supra S. Thom.

CONCLVSIO.

Quando malus finis est materia uoti, idest, res, quæ promittitur, solum obligat uotum ad pœnitendum, cum sit. M. P. quia qui malum finem promittit, ut uouens non dare eleemosynam, nisi propter uanam gloriam, habet uoluntatem, & intentionem peccandi & peccare promittit, atque ita non obseruare uotum, sed pœnitere tenetur, tum ad uitandum peccatum obligetur.

Est tamen limitanda conclusio de sententia Magistri Victoria, dummodo ita uouens habeat propositum adimplendi promissum. Nam si tali proposito caret, mortaliter non peccat, quia uoluntatem peccandi non habet, sed uenialiter tantum, quia tale uotum otiosum, & inutile est.

Quando

CONCLVSIO.

Quando malus finis non est materia uoti, sed causa ad uouendum excitans, & aliquod bonum uouetur, peccat, qui ita uouet. uotum tamen tenet: actus enim bonitatem, aut malitiam a fine operantis sortitur, & cum finis sit malus, actus quoque malus iudicabitur. uotum tamen illud ualebit, quia materia est licita, & Deo grata, intentionem tamē mutare tenebitur.

Hinc, uotum malum, & nullum, non sunt idem. Nam in præsentia uotum est malum, quia peccatū est, tamen obligat.

Hinc, qui promittit missas ut præbendam consequatur, habens intentionem abutendi præbenda, adimplere promissū quia est bonum, scilicet, missæ sacrificium, & prauæ intentionis pœnitere tenetur, & de similibus simile est iudicium.

CONCLVSIO.

Appen. Qui uouet rem bonam pro aliquo malo a Deo impetrando, uel ante consequutionem mali, ut si quis det eleemosynam pauperi: ut Deus in bello iniusto sibi Victoriam concedat, uel ad aliquam fraudem sit patronus, uel ante factum aliquid Deo promittat, si quod iniustum postulat, euenerit, uel si post factum obtenta iniustitia aliquid Deo in gratiarū actionem offerat, tunc graue sacrilegium, & blasphemia intenit: irrogat enim Deo iniuriam petendo patrocinium ad malum. Nam cum sit summe bonus, non potest esse mali author, nullus namque Deo authore est deterior.

Appen.

CONCLVSIO.

Qui promittit bonum in ordine ad malum puniendum, siue impedimentum, si euenerit, promissum seruare tenetur, ut si quis promittat se daturum Deo 100. aureos, uel ingressurū religionem, si adulterium comiserit. Ratio est, quia huiusmodi uotum est licitum. quia est in ordine ad malum non faciendum, sed puniendum, uel fugiendum: ut qui intrat religionem, ne iterum adulterium committat.

CONCLVSIO.

Similiter ualet uotum pro bono assequendo, quod naturaliter ex malo principio ortum habet, ut si quis promittat uas argēteum templo uirginis sanctissimæ, si prolem ex concubina habuerit, proles enim bona est, quamuis causa, scilicet adulterium, siue fornicatio sit mala.

Appen. Idem est iudicium de meretrice, quæ Virgini dimidietatē turpi lucri promittit. nam licet causa lucri sit turpitudo, lucrū tamen licitum est.

Idem

Idē quoque censendum est de lusore, qui promittit pauperib. partem lucri in ludo iusto. Nam licet ludus inordinatus sit p. lucrum tamen ex ludo iusto est licitum, & horum omniū ratio communis est, quia bonum promissum, non est ad malum impetrādū. nolūt enim ita uouētes, Deū esse mali causā

XII Dif. Votum de re licita maius, & perfectius bonum impediens obligatne in conscientia.

V.g. uotum nubendi quod impedit cælibatum, aut religionis ingressum, que sunt bona perfectiora.

Duæ sunt opiniones. Prima Caieta in art. 2. S. Th. dicentis, quando quis promittit matrimonium, ut est in officium, nec ualet promissio, nec adimplere tenetur. Qui uero promittit in remedium, quia est pronus ad libidinem, & iam expertus est a tentatione carnis superari, uotum nuptiarum adimplere tenetur. 1. Corin. cap. 7.

Contra opinio est Soti. lib. 7. de iust. & iur. q. 2. ar. 3. asserentis, uotum nuptiarum, siue sit in remedium, siue in officiū, nunquam obligare.

CONCLVSIO.

Si expertus est se non posse seruare cælibatum de facto, qa frequentissime abstinere proposuit, & nihilominus a libidine uictus est, si uotum nuptiarum emiserit, illud adimplere tenetur. Ratio est, quia uotum debet fieri de meliori bono, & huic melius est nubere, quam uri. ut B. Pau. docuit.

CONCLVSIO.

Non nuptæ, & uiduæ, seruantes continentiam, si nubere noueant, non peccant. Dixit enim B. Pau. de istis, si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit uirgo, non peccauit.

CONCLVSIO.

Votum tamen nuptiarum obseruare minime tenētur; nunquam enim debet homo disponere descensiones, sed ascēsiones in uita spirituali, iuxta propheticum dictum. Beatus uir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, qui autem matrimonium uouet, descendit a cælibatu ad Matrimonium.

13. Diffic. An christiani in Baptismo emittant uotum seruandi præcepta diuina, & Ecclesiastica.

Glossa super locum Psal. uouete, & reddite &c. partem affirmantem tenet. & eiusdem sententiæ uidetur esse D. Hiero. & D. Aug. ut refertur in c. 1. de consec. d. 4. & S. Tho. in solutione ad 1. 2. art. & Alij Theologij.

Con-

Contrariam sententiam tuetur Caiet. & Alij Thomistæ.

CONCLVSIO.

Baptismus non est uotum implicitum, aut explicitum seruandi præcepta Euangelica, aut Ecclesiastica. Nam recipiens Baptismum solum profert hæc uerba, abrenuncio, & uolo & credo, quorum uerborum nullum promissionem, quæ est de essentia uoti, significat. quare per nullum istorum uerborum uotum implicitum, aut explicitum, ideſt, expressum emittitur. neque enim abrenuntiare est promittere, sed expoliare se ante acta uita. neq; uelle esse Christianum est promissionem emittere, & credere ad solum fidei assensum refert.

CONCLVSIO.

Ratione Baptismi in baptizatis oritur obligatio seruandi præcepta Diuina, & Ecclesiastica, quæ oriri solet ex uoto implicito, aut explicito: non tamen quod aliquo modo præcepta promittant. Ratio est, quia Cathecumenus ante Baptismum non seruando dies festos non peccat, quemadmodum post susceptum Baptismum, quare ratione Baptismi ad præceptorum obseruantiam obligatur. & ita intelligenda est 1. opinio.

D. Bo. q. 2. Soto. in fine. q. 1. ilb. 7. D. Hiero. Iudicium cap. 11.

XIIII. Diffi. Peccauitne Iephte quando uouit immolare Deo, quicquid sibi reuertenti cum uictoria, primum e foribus domus occurreret.

D. Hiero. affirmat in uouendo stultum fuisse, & in reddendo insipientem, & cum stultitia sit P.M. indiscretionis peccasse sensit D. Tho. ubi supra, est opposita opinio.

CONCLVSIO.

Peccauit Iephte tale uotum faciendo. Ratio est, quia fuit uotum stultum propter indiscretionem. Cū primum enim uidit filiam, scidit uestimenta sua, & dixit. hęu me filia, decepisti me &c. aperui os meum ad Dominum, & aliud facere nō poteram. Vbi aperte fatetur se uotum sine discretione materiæ immolandæ feciſſe. fuit quoque impius in reddendo uotum, quia fecit contra præceptum, non occides.

S. Th. 2. 2. q. 88. art. 3. dd. 38. Ric. ar. 2. q. 1 & art. 5. q. 1.

Nicolaus de lyra opinatur Iephte filiam non immolasse, sed Deo, ut in perpetua continentia uiueret, obtulisse. affert quæ multa loca Sacræ Scripturæ in suum fauorem.

Art. II. Obligatne omne uotum ad sui obseruantiam.

Obligat quidem, quia tenemur seruare fidem, id est promissionem Deo & ratione Dominij, quia creauit nos, & ratione beneficiorum, quæ quotidie ex sua liberalissima manu recipimus, displicet enim Deo infidelis promissio.

1. *Diffic. Fractio uoti est p.m. ex genere quemadmodum furtum, & homicidium.*

CONCLVSIO.

Est quidem M. ex genere, ut constat prouerb. 20. ubi dicitur, ruina est homini deuorare sanctos, & post uota retractare, ideſt, retrocedere, & est definita in cap. Magnæ deuotionis. de uoto. Vbi legitur, uouere esse opus consilij, reddere autem opus præcepti.

2. *Diffic. An fractio uoti possit aliquando esse ueniale peccatum.*

V.g ratione paruitatis materiæ: ut si quis promiserit singulis diebus unicam salutationem dominicam, siue Angelicam salutationem recitare.

Duæ sunt opiniones. Prima Caieta. ubi supra dicentis, si res minima est tota materia uoti, transgressio semper erit mortalis, si autem pars materiæ, ut si quis prætermitteret tres Aue marias ex 100. promissis, tunc ratione paruitatis materiæ, trãsgressio esset uenialis tantum.

Contraria opinio est Soti asserentis, in omni euentu, ratione paruitatis materiæ, etiamsi res parua sit tota materia uoti, fractionem esse ueniale tantum.

CONCLVSIO.

Lib. 7. de iust. & iu re. q. 2. ar ti. 1.

Votum de re minima, & quando est pars totius materiæ promissæ, uel tota uoti materia, obligat transgressores ad ueniale tantum. Ratio est, quia transgressio cuiuscunque præcepti, ratione paruitatis materiæ, ideſt, parui nocumenti, solum obligat transgressores ad ueniale, minimo enim nocumento charitas Dei, & proximi non destruitur, & fractio uoti, transgressio præcepti diuini est, ut constat, quapropter ratione paruitatis materiæ fractio uoti erit tantum uenialis.

Hinc, si uotum, exempli gratia, recitãdi singulis diebus Angelicam salutationem nunquam adimpleatur, non erit mortale, ut sentit Soto. **Appen.**

3. *Dis. An simplex promissio facta homini in conscientia obliget.*

Duæ sunt opin. quas refert Sylvest. Vna Canonist. negans obligare in conscientia. Altera, & contraria est communis.

Verbo pactum. §. 3 & 4. Soto in 3. distin. 35. & Soto ubi sup

CONCLVSIO.

Simplex promissio homini facta ex genere transgressores ad mortale obligat, quia ut per simplicem promissionem obligamur Deo, & homini, uiolatio siquidem promissionis utrobique est actus iniustitiæ, & ideo est mortalis ex genere, ni si aliquando, aut ratione paruitatis materiæ, aut propter defectum consensus a mortali excusetur.

Vt

CONCVSIO.

Vt talis promissio in conscientia obliget, necessaria est ac ceptatio eius, cui fit promissio. Ratio est, quia beneficium inuito non confertur, & quando fit præsenti, si taceat, donec ac ceptet, non uidetur illi placere.

Appen. CONCLVSIO.

Per simplicem assertionem, nullus tenetur adimplere asser

Appen. tum. ut si quis dicat, Orabo pro te, uel quid simile, quia simplex assertio solum est propositi, quod facile mutari potest, explicatio. Nota ad tollendos scrupulos eorum, qui pro alijs se oraturos affirmant, quando enim aliquis alteri dicit; *Ego* suffragabor tibi in iudicio, statim alter exigit promissionem dicens, promittis ne. Vnde secundum communem acceptionem nullus per simplicem assertionem censetur facere promissionem.

CONCLVSIO.

Per solam pollicitationem, quæ est promissio facta absenti, nullus, nisi in casibus a iure expressis, in conscientia obligatur. casus autem hos apud Syl. uerbo Pollicitatio reperies.

CONCLVSIO.

Vt promissio simplex in conscientia obliget, duæ conditiones sunt necessarię. Prima ut personæ, & res sint tempore adimplendi promissionem in eodem statu, in quo, quando fuit facta promissio, erant.

Secunda ut promittens habuerit firmissimam intentionē obligandi se. Constat prima conditio ex regula Senecæ, quā citat Sylvest. quia quando facta promissione aliquid supernenit, quod si tempore promissionis extitisset, non fuisset facta promissio, tunc non obligat. Secunda conditio ita explicatur, si tempore promissionis præstitisset promittens iuramentum, si ab eo exactum fuisset, animum tunc obligandi se habuit: si autem non præstitisset, & intentione obligandi se caruit, & ad promissum adimplendum non te

Appen. netur.

Ar. 1. So to. q. 2. art. 1. Hinc, si tempore promissionis erant amici, & adimpletionis tempore sunt inimici, aut si tempore promissionis erat ditior, quam tempore adimpletionis, non tenetur adimplere promissum. quia personę non sunt in eodem statu.

CONCLVSIO.

Ficte promittens non tenetur, nisi ad pœnitendum de mēdatio, etiam si iuramento illud promiserit. Ratio est, quia radix obligationis, scilicet, uoluntas obligandi se defuit.

4. *Diffic. promissio homini facta per solum actum interiorem obligatne in conscientia promittentem.*

Opinio probabilis est, quæ tenet sic promittentem obligari ad manifestandam suam mentem illi, cui facta est promissio; vt eam si placuerit, acceptet. oppositam tamen opinio est S. Tho. & uerior.

CONCLVSIO.

Minime per talem promissionem interius factam promittens in conscientia obligatur. Ratio est, quia promittens nō tenetur ad secundum promissum, nisi alius acceptet, & per solam mentalem promissionem, ille, cui fit promissio, nihil acceptat, neque potest: quare ita promittens non tenetur suam mentem alteri manifestare. Promissio siquidem mentalis sola est propositum, aut simplex assertio, & mutari potest.

Hinc, promissio facta surdo, uel absenti, antequam abeo acceptetur, non obligabit.

5. *Diffic. An promittens religionem in particulari, ut B. Petri, Francisci, si in duobus, tribus Conuentibus finitimis non admittatur, ad aliam prouinciam, uel Regnum, ubi fortassis admittetur, adire teneatur, perinde religionem in genere promittens non admissus in una, alias per totum orbem quærere teneatur.* S. Th. 2. 2. q. 189 ar. 4. Ri. ar. 5. q. 1 ad 2. So. q. 2. ar. 1

Opinio Caiet. & Soti, tenet, promittentem religionem in particulari, si duos aut tres conuentus adierit, in quibus nō fuerit admissus, ad nihil amplius teneri: promittentem uero in communi, non teneri nisi ad petendum habitum, in omnibus conuentibus eiusdem Prouinciæ, v. g. si fuerit Hispanus in Hispania, & si Gallus in Gallia &c. tenebitur adire omnes religiones eiusdem Regni.

CONCLVSIO.

Si impedimentum, quominus religionem ingrediatur fuerit temporale, promittens cessante impedimento religionem intrare tenetur. Ratio est, quia sublato impedimento, nulla subest excusationis causa.

Hinc, promittens religionem, si ad Sacerdotium non admittatur (quia est idiota) tenebitur uel tollere impedimētum discendo grammaticam, uel facere laicorum professionem. laborare enim tenebitur, quantū in se est, ut uotum ædimpleat.

CONCLVSIO.

Votum ex natura sua uouentem religionem, & non admissum in sua prouincia, extraneas quærere compellit. v. g. Hispanus Italiam &c. Ratio est, quia uotum obligat ad sui obseruantiam, secundum ultimum de potentia.

CONCLVSIO.

Votum ex intentione uouentis non obligat uouentem ad extraneas prouincias quęrendas. Ratio, est, quia modus extraordinarius adimplendi uotum, qui impediret promissionẽ si uouens tunc illud recordaretur, impedit quoque uoti exequutionem. Propterea quod uotum est omnino uoluntariũ, & si uouens tempore uoti interrogatus fuisset, an exclusus in Hispania uellet in Italiam se conferre, profecto tenuisset.

Appen. q. 189. art. 3.

Hinc sequitur contra Innocentium in cap. Porrectam. de regul. & transeuntibus ad religionem, quem refert Caietan. qui tenet, non admissum ad religionem, & non ex culpa sua, teneri uotum religionis emittere in manibus Episcopi, & intra domum suam religiose uiuere, quia uotum religionis emissum fuit conditionale, scilicet, si admitteretur.

VI. Diffic. Suntne hæc uota æquiualentia, promitto me ingressum religionem, aut promitto me futurum religiosum, seu Monachum.

S. Th. ubi supra, Soto. ubi supra.

Caieta. respondet duo. Primum promittens ingressum religionis, qui nihil de perseuerantia cogitauit, perseuerare nõ tenetur, sed solum intrare nouitiatum, Secundum, si promisserit fieri monachus, perseuerare tenebitur.

CONCLVSIO.

Ex natura uoti idem est promittere ingressum religionis uel promittere effici religiosum. Ratio est, quia nullus ingreditur religionem, donec fiat religiosus, & cum ante professionem nullus sit religiosus, siue monachus, idem profecto erit ex natura uoti, promittere ingressum religionis, aut promittere fieri monachum.

CONCLVSIO.

Quando promittens solum habuit expressam intentionẽ experiendi statum religionis, placeretne sibi, tunc ad professionem non obligatur. Ratio est, quia uotum, cum sit uoluntarium, solum obligat iuxta uoluntatis determinationem.

VII. Diffic. Qui promisit uotum religionis simpliciter, poterit ne absq; peccato intra annum professionis retrogredi.

CONCLVSIO.

S. Th. ubi supra, Soto loco citata.

Non poterit sine peccato, quin habeat legitimam retrogrediendi causam. Ratio est, quia promittens tenetur, quantum in se est dare operam, ut promissum adimpleat. Alioqui enim inter ingredientem cum uoto. aut sine uoto, nullum esset discrimen. causa autem sufficiens recedendi erit perpetua infirmitas corporalis, uel experiẽtia, quod in posterum habebit

bebit impedimentū, quominus promissum obseruare possit.

8. Diffic. Qui facta professione propter depranatos mores, quia est incorrigibilis a religione expellitur, tenebitur uota essentialia, & præcepta religionis seruare. Soto. li. 7 q. 2. ar. 1.

CONCLVSIO.

Ita exclusus a religione non tenetur præcepta regulæ, nec uotum obedientiæ, & paupertatis obseruare. Ratio est, quia iam non est monachus illius religionis, & impossibile est obedientiam seruare, quia non est illis Prælatis subditus, atque etiam paupertatem, eum sine proprio uiuere haud possit.

CONCLVSIO.

Obligatur tamen ad seruandum solemne continentię uotum, ita ut sit inhabilis ad contrahendū, & grauius fornicando peccet. hæc patet a simili. Nam ut coniugatus extractus a religione post solemnem professionem, quam in uita uxoris emiserat, mortua uxore, est inhabilis ad contrahendum, propter solemne uotum emissum, ita a simili in proposito, ut constat ex cap. Placet, &c. Quidam, de conuersione coniugatorum, & ex consuetudine Ecclesiæ, quæ nunquam tales exclusos ad matrimonium admisit.

CONCLVSIO.

Tenetur etiam, quantum in se fuerit, uitam in melius mutare, ut iterum ad religionem recipiatur. Nam si conuersus, & religiose uiuens non recipiatur, deinceps exclusio ad pristibi non imputabitur.

DVBIVM.

Quid si exclusus ante uotum solemne, uouit simpliciter religionem quærere. Respondeo, uidetur non teneri, quia propter infamiam habet impedimentum perpetuum, quominus recipiatur.

9. Diffic. Emittens simplex uotum religionis, dum non recipitur, tenebitur seruare continentiam. S. Tho. 2. 2. q. 189. art. 4. Soto. art. 1. citato.

CONCLVSIO.

Non tenebitur antequam admittatur seruare continentiā. Ratio est, quia simpliciter promittens religionem, nullo modo promisit continentiam, sed se facturum solemne continētię uotum. Nam, ut non tenetur ieiunare, qui promittit se emissurum uotum ieiunandi, antequam promittat, ita a simili in præsentia.

Hinc, si ad religionem sine culpa sua non fuerit admissus, poterit sine peccato matrimonium contrahere.

S.Th. 2. 2.q. 88. ar.3. So. ar. 1.q.2 Verb. uo tum 2.

10. *Diffic. Emittens uotum simplex religionis, & ob culpam suam illud non implens, quia matrimonium contraxit, poteritne debitum petere.*

Canonistę (ut refert Sylueſt.) partem negantem defendũt, Theologi uero affirmantem tuentur. Vt Caiet. Hic docet.

CONCLVSIO.

Qui sic contrahit matrimonium, quamuis mortaliter peccet, debitum exigere potest. Ratio est, quia materia talis uoti non est continentia, sed uotum solemne faciendum. quemadmodum enim non tenetur ad seruandam obedientiam, & paupertatem, ita neque ad continentiam, donec solemniter uoueat.

DVBIVM.

Virgo, quæ simpliciter uirginitatem promisit, illa amissa, eritne deinceps ad seruandam continentiam obligata.

CONCLVSIO.

Ex natura uoti, amissa uirginitate, continentiam seruare tenetur. Nam promittens uirginitatem, etiam ab actibus carnalibus abstinere promittit. Secus autem erit, si solum habuit animum abstinẽdi a primo libidinis actu, quo uirginitas uiolatur. & ideo Confessor intentionem percontari tenetur.

11. *Diffic. Votum nubendi æquipolletne castitatis uoto.*

CONCLVSIO.

Si uotũ castitatis sumatur, ut includit prohibitionem perpetuo cauendi a coniugio, & a fornicatione, ex natura sua uotum nunquam nubendi æquipollet castitatis uoto. idem enim est castitatem uouere, & uotum nunquam nubendi emittere. Aliter autem res se habebit, si intentio uouentis nõ fuit prædicta.

Hinc, dispensatio, & commutatio talis uoti non ab Episcopo, sed a Papa fieri debet. quia ex parte est castitatis uotum.

DVBIVM.

Meretrix, quæ metu lenonis promisit non nubere, tenebitur ne uotum obseruare.

Respondeo si uotum emisit, ut liberius libidini uacaret, pę nitere tenebitur, non autẽ seruare uotum. si uero, ut Deo seruiret, ad uoti obseruantiam obligata manebit.

12. *Diffic. Qui uouit, & tempus adimplendi uotum non præfixit, an sub conditione promisit, quando uotum adimplere tenebitur.*

Propositio Prima.

Vouens, qui nullum determinauit tempus, cum primum poterit, uotum obseruare tenebitur. Communis est opinio

Theo-

Theologorum,& Canonistarum,ut Sylvest. docet. cui consulendum est: ut uotum cito adimpleat, aut dispensationem petat,neque est absoluendus, si sine causa legitima alterum istorum duorum non facit.

Propositio Secunda.

Qui uouet habita ratione ad temporis deuotionem, ut ieiunare feria sexta, tunc si illo die non ieiunauerit,uotũ adimplere non tenebitur. Ratio est, quia materia uoti non fuit solum ieiunium, uerumetiam temporis deuotio, & finito tempore,impossibile est tale uotum seruare.

Propositio Tertia.

Qui uouet ad tempus non habita ratione ad temporis deuotionem, ut qui promisit intra annum ire Romam ad uisitanda corpora Sanctorum Apostolorum,finito anno,erit uoti reus. & nihilominus uotum adimplere tenebitur. Ratio est quia peregrinatio fuit principalis materia uoti, & tempus ad expellendam moram fuit impositum.

Propositio Quarta.

Votum sub conditione,v. g. si dicat quis, si fuero superstes post mortem Patris,intrabo religionem,adimpleta conditione erit adimplendum. quia antea non habuit intentionem obligandi se.

13. *Dif. Religiosi habentes patres in extrema necessitate positos,poterũt ne religionem relinquere,ut illos sustentare ualeant.* *S.Th. 2. 2.q.101. art.4. & q.189. ar.6.Sy. uerbo religio.6.§. 4. et uer. 2.§.7.*

Pater Antonius Cordubẽsis in medulla fratrum Minorum c.2.q.6.egregie de hac diffic. disserit,& prætermissis opinionibus, quas citat, omissa etiam opinione Sylvest. cum Nicolao Lyrano super Matth.c. 15.quem sequitur Caiet.in 2.2.q. 101.art.4, erit respondendum.

CONCLVSIO.

Religiosus habens Parentes, ita necessitate oppressos,ut illis omnino uictus & uestitus deficiat,nec sit præter ipsum qui illis subueniat, poterit a religione recedere, ut eos alat. Ratio est,quia cum integrum sit furari ex sacrario: ut existenti in extrema necessitate subueniatur, si aliud remedium adhiberi non possit,ut constat exemplo Dauidis arripientis panes propositionis Deo consecratos ad subuenendum esurientibus, licebit etiam Religioso Deo consecrato a religione recedere,si aliter parentibus subuenire non possit. Nam præceptũ de subuentione parentum,est diuinum,& naturale,quod quidem per uotum obedientiæ,quod est tantum diuinum, minime fuit reuocatum.

CONCLVSIO.

Non tamen potest mutare habitum religionis, & professionis suæ ad paupertatem, & ad cætera religionis præcepta: ut antea tenetur, solumque a præcepto obedientię est liber. melius enim multo in quocunque euentu poterit retento habitu parentibus adiumento esse, siue Concionando, siue confessiones audiendo, siue Artem Mechanicam, aut liberalem exercendo. tenetur enim seruare regulã, quantum in se fuerit, obedientia dempta. oppositũ tenet Pater Antonius Cordubensis.

CONCLVSIO.

Quando parentes non extrema, sed magna egestate laborant, ad illos sustendandos religiosus a religione recedere nõ poterit. Propterea quod præceptum eleemosynæ nunquam, nisi in extrema necessitate obligat, erit tamen sufficiens causa hæc impetrandi dispensationem a sede Apostolica: ut non obstante obedientia illis subuenire possit, & hoc erit securius. Contrariam partem huic concl. Pater Cordubensis defendit

CONCLVSIO.

Magna parentum pænuria sufficiens causa est protrahendi religionis ingressum, etiam post uotum simplex emissum. Constat ex dictis, Nam si ex probabili opinione opposita cõclusioni tertiæ potest, facta professione, a religione recedere, multo melius poterit religionis ingressum differre.

1. *Dubium. Hæres teneturne defuncti uotum adimplere.*

CONCLVSIO.

Hæres nullo modo tenetur uotum personale defuncti, nisi illud promiserit, adimplere. definita est expresse in cap. licet de Voto. ideo namque dicitur uotum personale, quia solam personam uouentem obligat.

CONCLVSIO.

Votum tamen reale defuncti adimplere tenebitur. Ratio est, quia hæres tenetur soluere defuncti debita, & uotum reale est debitum Deo persoluendum.

CONCLVSIO.

Hęres non uidetur esse obligatus ad soluendum uotũ mixtum defuncti, ea parte, qua reale est. v.g. si defunctus promisit peregrinationem, in qua erat quinquaginta numos aureos consumpturus (hoc enim dicitur uotum mixtum) tunc hæres non tenebitur quantitatem illam soluere. Propterea quod, qui ad principale non tenetur, idest, ad peregrinationem, neque ad accessorium, quod est, quantitatem illam pau-

pauperibus erogare, & hæres (vt ex prima conclusione constat) ad principale non tenetur.

CONCLVSIO.

Tenebitur tamen eleemosynam, aut sacrificia, si a defuncto erant templo, quo erat peregrinaturus, promissa, adimplere. Ratio est, quia eleemosyna, & sacrificia, a defuncto promissa ad reale votum spectant.

Hæc sunt uera, si in testamento fuerint relicta, & hæres est necessarius, & non excedant quintam partem bonorum, quia hæres necessarius ultra quintam partem grauari non potest, si autem non fuerit necessarius, hæres tenebitur, omne votum reale defuncti in quacunque quantitate adimplere. *Limitatio*

2. *Dubium Potestne Pater filium ad votum personale obligare.* *Sylvest. ibi. §. 9. Sot. ar. 1. in fine.*

CONCLVSIO.

Nequaquam potest. Ratio est, quia ad actiones personales, nisi per propriam voluntatem, obligatur nemo.

3. *Dubium. An monachus assumptus ad Episcopatum ad uotum paupertatis, & cætera suæ regulæ præcepta teneatur.* *S. Tho. 2. 2. q. 185. ar. 8. Sylvest. uerbo Religiosus 6. §. 10. & 11. Ric. ar. 5. q. 2 ad 3. & art. 9. q. 3 Sotto lib. 11. de iust. & iur.*

S. Tho. tenet partem affirmantem. Et Caieta. ibidem non enim absoluitur, inquiunt, ab illis quæ cum statu Episcopali sunt compassibilia, ut sunt ieiunia, abdicatio proprietarum, & alia id genus.

CONCLVSIO.

Monachus assumptus ad Episcopatum ratione uoti in professione emissi, ad obseruãtiam præceptorum suæ regulæ, uel ad tria uota essentialia nõ tenetur. Iam enim cũ sit ad Episcopatum assumptus, non est monachus, neque ad uotum paupertatis obligatur, quod est de essentia monachatus, ut constat in Cano. statutum 18. q. 1. licet ad uotum continentiæ, quod est de ratione Episcopatus sit astrictus, & si delinquat, non erit puniendus, legibus suæ religionis, sed Episcoporum.

CONCLVSIO.

Monachus ad Episcopatum assumptus, ad obseruantiam suæ regulæ, quæ est cum statu Pontificali compassibilis tenetur. Ratio est, quia debet, teneturque præbere seipsum totius sanctitatis exemplum. mortaliter tamen suæ regulæ præcepta transgrediendo, nisi ratione scandali, non peccabit, ut si habitum religionis mutaret, & uestibus Episcopalibus indueretur, quod quidem esset in Episcopo simplici scandalum. non autem si ad summum Pontificatum assumeretur. Nam tunc esset totius Ecclesiæ Pater.

14. *Diffic. An qui emisit uotum simplex religionis, uoto nondum compleret ad Episcopatum assumi possit.*

Hanc Diffic. tractat. Panor. in cap. Per tuas. de uoto.

CONCLVSIO.

Qui promisit uotum simplex religionis, & ante uoti adimpletionem fuerit ad Episcopatum assumptus, tenetur Episcopatui renunciare, & intrare religionem, & ad ingrediendum non est expectanda sedis Apostolicæ authoritas. Definita est expresse per Innocentium III. in cap. per tuas. de uoto.

CONCLVSIO.

Poterit tamen tunc Papa dispensare ne ad religionis ingressum teneatur. Nam cũ possit dispensare in uoto solemni, assumendo religiosum ad Episcopatum, multo magis in uoto simplici poterit.

15. *Diffic. Subditus teneturne semper obedire Prælato, quoties aliquid uirtute obedientiæ præcipit.*

CONCLVSIO.

Religiosus non tenetur parere Prælato præcipienti aliquid supra regulam. probatur authoritate D. Ber. dicentis Prælatus non augeat mihi uotum meum, ideſt, non præcipiat mihi opus maioris perfectionis, quam in regula, uel statutis ordinis continetur, quod quidem est supra regulam aliquid præcipere, ut si præciperetur ieiunium in die sabbati, & alia id genus, quæ non necessaria ad regulæ obseruantiam, obid enim supra regulam esse dicuntur.

CONCLVSIO.

Bene tamen tenebitur obedire ratione pœnitentiæ peccati commissi, uel ad præseruandum a peccato committendo. Ratio est, quia subdito criminoso potest imponi ieiunium & abstiuentia a carnibus in pœnam criminis, quæ impositio erit iuxta regulam, in qua delinquẽtium correptio præcipitur atque etiam abstinentia a uino ad libidinem, siue ebrietatem fugiendam.

2. *Dubium. Potestne capitulum generalem statutum obligans ad maiorem perfectionem, quam in regula continetur condere.*

Quia fortassis illud est necessarium ad obseruantiam regulæ, & subditorum reformationem.

Ri. d. 34. ar. 3. q. 2. ad 3. Syl. ubi sup.

V. g. si monialium, quæ non promiserunt clausuram, castitas ex uago recessu periclitetur, poteritne Papa, uel generale Capitulum præcipere, ut perpetuam clausuram, ac si illam promisissent, obseruent; Sylu. ubi supra, duas refert opiniones, & prima

& prima est affirmans Panor.

CONCLVSIO.

Potest non solum Papa, uerumetiam generale capitulum aliquid supra regulam, quando aliter commode seruari non potest, subditis præcipere. De fide est, & definita in cap. Periculoso. de statu religiosorum in 6. ubi præcipitur, ut omnibus cuiuscunque ordinis præsentibus, & futuris recessus a domibus suis interdicatur ut uiuant in perpetua clausura, quia hoc est ualde necessarium ad obseruantiam uoti continentiæ. Est etiam definita in Conc. Trid. Sess. 25. c. de reformatione regularium & monialium.

16. Diffic. Præceptum obligatne semper ad mortale peccatum transgressorem.

CONCLVSIO.

Qui uerbo tenus tantum prælato aliquid præcipienti, citra contemptum tamen, non obtemperat, peccati mortalis reus non est, hæc ex communi consuetudine religiosorum, quæ est optima legum interpres, confirmatur, quæ talem inobedientiam a mortali excusat. notanter dicitur, citra contemptum, nam tunc esset mortale, qui enim Prælatum spernit, Deum spernit.

CONCLVSIO.

Subditus non obediens Prælato præcipienti aliquid sub pœna excommunicationis latæ sententia, mortaliter peccat. Ratio est, quia excommunicatio latæ sententiæ, cum sit grauissima pœna, semper pro mortali peccato imponitur.

CONCLVSIO.

Quando prælatus sub pœna excommunicationis absolute non addendo, latæ sententiæ, præcipit, subditus non obediens mortaliter non peccabit. Ratio est, quia huiusmodi excommunicatio est solum comminatio excommunicationis & non excommunicatio. lege q. de excommunicatione.

17. Diffic. Qui promisit intrare religionem strictiorem, peccatne intrando latiorem. *Cai. in sũma uerb. Peccatũ clericorũ Th. 2. 2. q. 189 ar. 8. ad 3*

CONCLVSIO.

Peccat quidem, si latiorem religionem ingrediatur, estque in statu damnationis dum professione ad nihil amplius tenetur. Definita est expresse in cap. qui post uotum. de regularibus in 6. illud enim uotum simplex per solemne uotum in latiori religione emissum tollitur.

Hinc cauere debet Magister nouitiorum, ne tales uouentes recipiat, uel receptos retineat, quia retinendo peccatis illorum

Ri.ar.5. illorum cooperatur.
q.3.ad 2
qo. art.i.
S.2.

DVBIVM.

An teneatur ad uotum, qui uouet rem licitam hæc lege si Deus illum a certo crimine liberauerit.

CONCLVSIO.

Qui tale uotum emisit ex industria, & hac intentione, ne, ſ. teneatur ad uotum, ſi in peccatum labatur, uotum adimplere tenebitur: ut ſi promiſerit intrare religionem, ſi Deus intra annum ab adulterio liberauerit. Ratio eſt, quia fraus, & malitia non debet illi patrocinari. & quia fuit ipſe cauſa, quominus conditio adimpleretur.

CONCLVSIO.

Si peccauit non intentione prædicta, ſed ex quadam imbecillitate, ſicut cadebat ante emiſſum Votum, tunc promiſſum adimplere non tenebitur. Ratio eſt, quia uotum fuit cõditionale, & per ipſum non ſterit, quominus conditio adimpleretur.

XVIII. Diffic. An uotum metu emiſſum in conſcientia uouentem obliget.

Canoniſtæ in cap. Cum locum, de ſponſalibus, tenent in cõ ſcientia obligare, non autem in foro exteriori. Secunda opinio eſt Sylueſt. qui affirmat ualere, ſi habuit animum obligandi ſe, ſin minus, nequaquam. Tertia opinio eſt Thologorum d. 28. aſſerentium non obligare in conſcientia, ſi metus poterat cadere in uirum conſtantem.

CONCLVSIO.

Votum metu cadente in conſtante uirum emiſſum, quando ad extorquendum uotum incutitur, eſt nullum. Definita eſt expreſſe in cap. Abbas. & in cap. Prælatum. de his, quæ ui, metuſue cauſa fiunt. uotum enim debet eſſe liberum & talis metus tollit libertatem.

Hinc, ſi puella propter pa tris timorem minãtis ei aliquas iniurias citra mortem, & exilium, religionem profiteatur, erit nulla profeſſio, quia talis metus in animum conſtantis fœminæ cadere poteſt.

CONCLVSIO.

Votum ab intrinſeco emiſſum in conſcientia obligat. Definita eſt expreſſe in cap. Sicut, de regularibus. Nam talis metus, quamuis extenuet libertatem: non tamen tollit illam ſola enim uis eſt, quæ libertatem relegat.

CONCLVSIO.

Ille metus, qui a principio irritaret uotum, uouentem eb

cius

eius exequutione liberat.v.g.si tyrānus,non in contumeliam Ecclesiæ compelleret uouentem ad frangendum ieiunium. Ratio est, quia uouens intentionem obligandi se ad uotum cum tanto detrimento,minime habuit.

CONCLVSIO.

Metus non excusat præceptum diuinum transgredientem. Ratio est,quia obligatio adimplendi tale præceptum non ex uoluntate nostra, sed Dei præcipientis oritur. Atque ita in omni euentu obligat.

CONCLVSIO.

Præcepti autem Ecclesiæ transgressio propter metum mortis uiolentiæ non obligat ad gehennam. Ratio est, a simili, quia non obligat propter metum mortis naturalis:ut in q.de excommunicatione diximus.

Art.III.Expedite aliquid uouere. *S.Thom. ubi sup. ar.4.Ri. ar.6.q.1. So.ar. 2. q.1.*

Id est, consequentur uouentes ex uoto aliquam spiritualē utilitatem?

CONCLVSIO.

Maximam homo ex uoto utilitatem consequitur. quia ex sola promissione, qua Deo nos ad bonum obligamus, & firmiores in bono reddimur, præmium æternum consequimur. Anna enim mater Samuelis laudatur,quia uotum emisit Deo, si proles sibi concederetur, multa alia sunt Sacræ Scripturæ testimonia,& Concilia,quibus hæc concl.Confirmatur,& definitur,quæ apud Patrem a Castro,uerbo,uotum,reperies.

DVBIVM.

Quando aliquis timet se fracturum uotum, tunc uouere ne licet. *Ric.ubi sup.& S. Th.et So. ubi sup.*

CONCLVSIO.

Nunquam propter periculum lapsus, quando non est certissimum,a uoto est abstinendum. Deus enim uouentibus: ut promissum adimpleant,auxiliatur.

Hinc confutatur hæresis eorum, qui dicebant: uotū non solum inutile esse ad gloriam,uerumetiam pernicioſum. *Hæresis.*

Art. Quarto. An uotum sit latriæ,siue religionis actus. *Ric. ar.1. q.1. Tho. ar.5. So. ar. 3.q.2*

CONCLVSIO.

Votum latriæ,siue religionis est actus,quia latriæ actus, est disponere actionem cæterarum uirtutum in Dei honorem, quod fit,quando Deo aliquid promittitur. Nam tunc disponimus illam actionem (utv.g ieiunium) in Dei honorem.

Art.

Th.ar.6. Ri.ar.6. q.2. Soto ar.3.q.2.

Art. 5. An sit magis meritorium aliquid uoto, quam sine uoto facere magisque laudabile sit.

CONCLVSIO.

Est quidem, & magis laudabile, & magis meritorium ex uoto, quam sine uoto operari. Nam uouere est actus consilij, quod est de meliori bono, & qui ieiunat ex uoto, duplex consilium, scilicet, uouere, & facere, qui autem sine uoto, unum tantum consilium, scilicet, ieiunare, quando non est sub præcepto, adimplet, duplexque obsequium, scilicet, obligationē aliquid faciendi, &, opus, solum Deo præstat.

Dub. 1. Quid, si ex uoto inuitus, & magna cum tristitia operetur.

Quod intellige, ita ut ad uitandum mortale tantum uotum adimpleat.

Th.ar.6. ad 3. & Soto, ubi sup.

CONCLVSIO.

Opus hoc erit etiam magis meritorium, quam sine uoto. est enim actus religionis, & tristitia meritum non tollit, licet magis meritorium, esset cum gaudio factum.

2. dub. Peccatne, quem pœnitet uotum emisisse.

Peccat mortaliter, quem uoti pœnitet, quia idem est, pœnitet me uoti, & nolo obseruare uotum.

CONCLVSIO.

Quem pœnitet uouisse, ut liberius peccare posset, mortaliter peccat, quia finis est malus, scilicet, libertas ad peccandum atque ita talis pœnitentia est mortalis.

CONCLVSIO.

Non peccat mortaliter, quem pœnitet uouisse propter bonum finem. v.g. si quidem pœniteret solemniter uouisse, quia haber parentes necessitate oppressos, quibus extra religionē liberius subuenire posset. talis enim nolitio est actus meritorius, quia finis est optimus.

CONCLVSIO.

Peccat, & fortasse mortaliter, quem pœnitet uouisse propter difficultatem, & tædium operis, si uotum est perpetuum, quia tali tædio in periculo non perseuerandi constituitur, huius furfuris religiosi pigri esse dicuntur.

CONCLVSIO.

Si uotum est temporale, nullum est peccatum propter uoti difficultatem pœnitere, quia potest facile dispensationem obtinere.

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter semper proculdubio, quem pœnitet obseruare uotum. idem enim est peccare, & uelle peccasse, &

quem

quem pœnitet obseruasse notum, uult olim peccasse. peccatũ namque potius in uoluntate, quam in opere consistit. nam quod intrat per os, non coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, ideſt, corde.

Art. 6. An uotum per susceptionem sacri ordinis, & certæ regulæ professionem, solemne efficiatur. *Th. ar. 7. Ric. q. 3. ar. 7. So. ar. 5.*

CONCLVSIO.

Votum solemne nunquam, nisi in professione certæ & approbatæ regulæ, aut in alicuius sacri ordinis receptione emittitur. Ratio est, quia nunquam adhibetur solemnitas, nisi quando mutatur status, & p professionẽ, & receptionem ordinis sacri status mutatur, cum per hæc homo ad perpetuum & diuinum ministerium deputetur, est etiam definita expresse cap. Vnico, de uoto in 6. per Bonifacium III.

Hinc Moniales, quas uulgus Betas nominat, quia non emittunt sua uota secundum regulam approbatam, solemniter minime, sed simpliciter uouent. Vnde si contraxerint, ualebit matrimonium. *Appen.*

1. Diffic. uoti solemnitas in quo consistit.

Quatuor sunt opiniones. Prima asserit consistere in benedictione, & consecratione. hæc falso S. Tho. ascribitur.

Secunda opinio est D. Th. qui tenent solemnitatem uoti cuius ratione matrimonium irritatur, consistere in traditione sui ipsius, ideſt, in mutatione status. Tertia opinio est Caieta. qui dicit nõ esse positã uoti solemnitatem in mutatione tantũ status, uerumetiã in Ecclesię cõstitutione, quæ sic uouentẽ ad matrimonium inhabilitat. Vnde colligit non posse Papã in huiusmodi uoto dispensare. Quarta opinio est Antiquorũ Ricardi, & Soti, ex quorum sententia sit.

CONCLVSIO.

Ratio præcisa, ob quam uotum solemne dirimit matrimonium contrahendum, & uouentes solemniter inhabilitat, est Ecclesię institutio, quę ut cõsanguineos intra quartũ gradũ ita huiusmodi personas ad contrahendum inhabilitat. Definita est a Bonifacio v. cap. Vnico, de Voto in 6. ubi solum constituit Rom. Pont. discrimen inter uotum solemne, & matrimonium. Deinde, quia posset Ecclesiam instituere ut in mũdo nullum sit uotum solemne matrimonium dirimens, quare uoti solemnitas est ab Ecclesia, & non a Deo ex nullo enim loco Sacrę scripturę colligitur inhabilitas uouentis solemniter, ut contrahere non possit, nam per traditionem,

quæ

quæ fit in uoto solemni, non est ex iure diuino, & naturali inhabilis uouens ad alium statum, quia subdiaconus, & diaconus tradunt se Deo uoto solemni castitatis, & obedientiæ, & tamen Papa, cum illis sępissime dispensat, ut Soto, cui modo satisfacimus, concedit. Et tandem dispensauit Romanus Pon. cum his, qui solemniter religionem uouerunt, ut ex superioribus constat.

Sco. d. 30 Sp. & S. Thom. ubi supra

2. Diffic. Votum solemne, & simplex differuntne, essentiali specie.

V.g. An transgressio uoti simplicis differat, a transgressione uoti solemnis, ut furtum a fornicatione distat.

CONCLVSIO.

Votum solemne, & simplex ex parte obiecti eiusdem speciei censentur. Ratio est, quia eadem est materia, & obiectum utriusque uoti, scilicet, continentia.

CONCLVSIO.

Votum solemne, & simplex ex parte subiecti specie accidentali differunt. Propterea quod uoti simplicis subiectum est ad contrahendum matrimonium habile, licet contrahendo peccet, at uero subiectum uoti solemnis est ad contractum matrimonialem inhabile.

CONCLVSIO.

Transgressiones uoti simplicis, & solemnis, eiusdem speciei sunt, etiamsi qui solemniter uouet, grauius peccat. Ratio est, quia specifica differentia actuum est penes obiecta, & cum idem sit utriusque uoti obiectum, nempe seruare continentiam, erunt actus eiusdem speciei, erit tamen uoti solemnis transgressio grauior ratione perfectioris status.

3. Diffic. Qui recipit aliquem ordinem sacrum, emittitne solemne continentiæ uotum.

Opinio communis est affirmans quam sequitur Caieta. in tract. de cœlibatu Sacerdotum post tertiam partem. Opinio uero Scoti est, Sacerdotes non emittere uotum continentiæ sed solum habere cõtinendi, sicut & ieiunandi præceptum. lege Patrem a Castro, uerbo, Sacerdotium contra hæreses.

CONCLVSIO.

In receptione cuiuscunque ordinis sacri uotum solemne continentiæ non explicite, ut in professionem religionis, sed implicite in uoto obedientiæ emittitur. Hæc conclusio aperte colligitur ex cap. Vnico, de uoto in 6. & ex cap. Ante trienium, ut docet Caiet. ubi præcipitur Episcopis, ne alicui ordinem sacrum conferant, quin prius continentiam promittat, promissio enim continentiæ in uoto obedientiæ inclu-

ditur

ditur, ut constat in ordine D. Bernardi. ubi solum promittitur explicita obedientia & intelligitur quoque promissum solemniter continentiæ uotum.

DVBIVM.

Quid si recipiēs sacros ordines carnit intentione seruandi continentiam poteritne hic matrimonium contrahere.

CONCLVSIO.

Nequaquam tale matrimonium erit ualidum. Definita est cap. 1. & 2. Qui clerici, uel nouentes &c.

Quarta Diffic. Estne uotum solemne continentiæ sacri ordinis sufficiens ad dissoluendum matrimonium ratum, quemadmodum solemne religionis uotum.

Quol. 12 q. 1. Palu. d. 38. 1. Bon ar. 2 q. 1. Soto ubi sup.

Duæ sunt opiniones, quas refert Caiet. Prima est negans & communis. Altera & contraria est Palud. affirmantis, uotū solemne ordinis soluere matrimonium, quemadmodum religionis uotum.

CONCLVSIO.

Matrimonium ratum per receptionem sacri ordinis non dissoluitur. Ratio est, quia hactenus Ecclesia non explicauit matrimonium ratum per receptionem sacri ordinis, sed per uotum solemne religiones dumtaxat dissoluit. Quamobrem non erit aliter sentiendum, aut definiendum, quam Ecclesia hactenus toto titulo de conuersione coniugatorum extra, & in 6. definiuit.

Art. 7. De his, qui possunt nouere.

Hic art. aliquot difficultatibus positis explicabitur.

1. Diff. an qui sunt alterius potestati subiecti, nouere possint.

CONCLVSIO.

Qui alicui subiectus est, quoad id, in quo subijcitur, sine consensu superioris sui, non potest firmiter se per uotum obligare. uotum enim debet fieri de proprio, & illud, in quo aliquis alteri subijcitur, non est proprium, sed alienum. Innumeris enim præcipitur, ne mulier in domo patris sui in ætate puerili constituta, aliquid uoueat, aut uoto sine consensu patris teneatur. & idem dicit textus de muliere coniugata. idem que censendum est de omnibus alijs, qui alienæ potestati subiecti sunt.

2. Diffic. An Religiosus emittens uotum sine sui Prælati facultate illud adimplere teneatur.

Th. & S. to ib. Syl. uer. uoto 3. Ri. ar. 4. q. 2.

Duæ sunt opiniones. Vna Ric. affirmantis, tale uotum esse ipso facto nullum, neque expectandam esse Prælati irritationem.

Altera

Altera opi. est S. Th. ar. 8. ubi sup. asserentis, hæc uota esse conditionata. s. si prælatus consenserit, uel non irritauerit, dicitq; teneri ad uotum adimplendum, si non fuerit impediēs obedientiam donec a prælato irritetur.

CONCLVSIO.

Quando supererogationis opera religiosorum sunt in generali, uel in particulari prohibita: ut uotum peregrinationis uel ieiunii in sabbato; talia uota non sunt ipso facto irrita, sed per prælatum irritanda. Ratio est, quia tale uotum est conditionale. s. si prælato placuerit, & ita tenebitur subditus manifestare prælato suum uotum. quemadmodum filius qui promisit homini sub conditione, si patri placuerit, tenetur patri conditionem manifestare, ut pater consensum, uel dissensum præstet.

CONCLVSIO.

Vota religiosorum de operibus supererogationis a prælato non prohibitis tenentur religiosi prælato inconsulto implere, quandiu prælatus non commutauerit, aut dispensauerit, aut irritauerit. Ratio est, quia huiusmodi actus cum nō sit prohibitus, est actus virtutis, & materia uoti. atque ita quandiu non irritatur a prælato, in conscientia obligat. tale est votum dicendi, 7. psal &c.

CONCLVSIO.

Vota de operibus necessarijs necessitate præcepti, aut voti, absoluta sunt, & nullo modo conditionata, ita ut religiosus ad illorum obseruantiam inconsulto prælato teneatur. Prælatus q; illa irritare, aut dispensare in illis non poterit, ut si subditus emittat uotum non mentiendi, aut non dicendi uerbū ociosum. Ratio est, quia potissima causa, propter quam prælatus uota subditorum potest irritare, esse dicitur, propterea qđ est Dominus operationum subditorum, potens illas concedere, aut prohibere, & cum non possit prohibere, quæ lege diuina præcipiuntur, uel concedere, quæ eadem lege prohibētur, non erit illarum operationum dominus, nec in illis dispensare ualebit: commutare tamen poterit. Soto oppositam opin. defendit.

CONCLVSIO.

Vota de obseruandis statutis, & ordinationibus, quæ citra contemptum ad nullum obligant peccatum, potest prælatus irritare, obligantq; dum non irritantur. quia materia istorū uotorum est in potestate prelati, cum possit ordinationes suas reuocare, & in illis dispensare, quod autem obligent, &c. constat

stat ex superioribus. Nam sunt materia uirtutis, & sunt uota conditionalia, scilicet, si Prælatus non reclamauerit.

CONCLVSIO.

Vota prædicta Prælatus inferior irritare non potest. Ratio est, quia non est Dominus illarum operationum, quamuis, ratione iurisdictionis, quam habet, uota huiusmodi commutare aut in illis dispensare possit.

3. dif. prælato aliquid in generali, uel speciali prohibente, qui uouet n co traillius prohibitionem tenetur suum uotum prælato significare, an erit iam irritum per solam prohibitionem generalem, aut particularem.

CONCLVSIO.

Necessarium est, ut subditus Prælato suo hoc manifestet, ut a uoto liberetur. Prælatus enim non potest irritare uotum, quod nō aguouit. uoluntas nāque non fertur in ignotum.

4. Dif. potestne subditus sine ulla causa a prælato petere uoti irritationem.

CONCLVSIO.

Neque Prælatus sine causa irritans malefacit, neque subditus sine causa irritationem petendo peccat. Nam Prælatus est Dominus operationum subditorum, atque ita sine causa potest contradicere uouenti alienam operationem, & quod suum est, scilicet, subditi operationem repetere, unde neque subditus peccabit petendo quod Prælatus sine peccato concedere potest, fuit enim uotum conditionale.

5. Dif. Si subditus opus supererogationis ex facultate prælati emittat, prælatus poterit postea irritare illud.

Duæ sunt opiniones. Prima Ric. qui tenet non posse. Contraria est Caiet. ubi supra S. Tho. *Ric. ar. 4 q. 2. Soto q. 3. ar. 9 Syl. uer. uotum 3. Thom. ar ti. 3.*

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter prælatus, concessa semel facultate, uotū irritando. Definita est in Cano. Manifestum 33. q. 5. a simili de marito, qui irritat uotū uxoris, quod tacēdo approbauit.

CONCLVSIO.

Semel uoto illo irritato, peccat subditus, illud contra uoluntatē prælati exercens. Definita est in eodem Can. & est B. Aug. facit enim contra obedientiam, & contra iustitiam, quia utitur aliena operatione inuito Domino, scilicet, prælato.

CONCLVSIO.

Poterit tamen prælatus tale uotum commutare, aut in illo dispensare, quia prælatus post concessam facultatem uouendi subdito, retinet super ipsum potestatem ligandi & absoluendi in utroq; foro super naturalem, atque ita legitima

interueniente cauſa, cum illo diſpenſare ualebit.

6. *Diffic. Poterit Generalis, aut Prouinciali irritare uotum emiſſum ex facultate inferioris Prælati Guardiani, ſcilicet, aut Prioris.*

CONCLVSIO.

Inferior non poteſt irritare uotum a ſubdito ex facultate ſuperioris emiſſum, quia eius authoritati derogare nō poteſt.

CONCLVSIO.

Poteſt ſuperior Prælatus, ut Generalis, aut Prouincialis, uotum facultate inferioris Prælati a ſubdito emiſſum irritare, quia cum ſubditus non ſit Dominus ſuarum actionū, etiamſi facultate Prælati emiſerit uota, ſuperior nō irrogat illi iniuriā, quamuis irriter uotum ſine ipſius conſenſu emiſſum.

7. *Diff. Abbatiſſa poterit ne uota monialium de opere ſupererogationis emiſſa irritare.*

Ri. ar. 4. q. 3.

CONCLVSIO.

Poterit quidem. Nam ut pater poteſt irritare uotum filij, & maritus uxoris, quia habet dominium *in operibus* ſupererogationis illorum, ita & Abbatiſſa poterit, cum *maiorem* authoritatem, & dominium ſuper opera ſupererogationis monialium habeat.

8. *Subditus, cuius uotum fuit abbatis Prælato irritatum, illo ceſſante, poterit ne a ſucceſſore iterum irritandum.*

Ri. ar. 4. q. 3 Tho. 2. 2. q. 88. ar. 8 Soto ubi ſup.

CONCLVSIO.

Quando ſubditus ſine diſcrimine temporis emittit uotum, ſi ſemel fuerit tale uotum irritatum, non amplius obligat. Probatur a ſimili ex cap. Quidam, & ex cap. Placet. de conuerſione coniugatorum. Nam ut obligatio Ciuilis ſemel ſopita non reuiuiſcit, ut habetur in l. cum ex cauſa, C. de remiſſione pignoris, ita neque hæc obligatio ſpiritualis ſemel ſublata reſurget.

CONCLVSIO.

Si religioſus emiſerit uotum referendo ſe ad tempus quo fuerit alius Prælatus, a præſente irritari non poterit, quia opus promiſſum non eſt in poteſtate Prælati præſentis, ſed futuri, nihilominus tamen præſens Prælatus illud commutare, aut in eo diſpenſare poterit, propter ſpiritualem poteſtatem, quā ſupra ſubditos habet.

Ri. ar. 4. q. 1. Soto ubi ſup.

11. *Diffic. poteritne uir omnia uota uxoris tam realia, quam perſonalia irritare.*

Caieta. affirmat non poſſe omne uotum dempto uoto caſtitatis de modo petendi debitum. So. tenet poſſe a uiro omne uotum uxoris etiam continentiæ irritari.

CONCLVSIO.

Vota de adimpletione mandatorũ, & de cauendis ueniali bus,& de alijs operibus ad salutẽ necessarijs potest uxor uiro inconsulto emittere, quę quidem a uiro irritari nõ poterunt. Ratio est, quia maritus nõ habet dominium super opera uxoris, quæ aliquo iure præcipiuntur.

CONCLVSIO.

Votum reale, aut personale de operibus supererogationis ab uxore emissum a proprio uiro irritari potest. uxor enim in omnibus subdita est uiro, ut expresse habetur cap. 30. in numeris.

CONCLVSIO.

Vxor tale uotum, quandiu uir non contradicit, obseruare tenetur, uxor enim non prohibetur uouere cum sit actus uirtutis, sed solum contradicente uiro, uotum seruare.

Hinc, si emiserit uotũ peregrinationis, illud uiro manifesta re tenetur, ut uel irritet, uel facultatem adimplendi cõcedat.

CONCLVSIO.

Si uxor emiserit uotum non petendi debitum, a uiro irritari non potest. Et ratio est, quia uir non potest irritare uotum uxoris de re cuius uir non habet domnium, ut de actione petendi debitum: neque enim uir potest vxorem ad hoc compellere, si ipsa uoluerit iuri suo cedere.

CONCLVSIO.

Votum elargiendi Eleemosynam, ut offerendi aliquod munus tẽplo, ab uxore emissum, ualet: est enim actus virtutis: uerum, ut adimpleatur, debet uiro manifestari.

1. Dub. Vir poterit ne irritare uotum uxoris, quod sua facultate emiserit.

CONCLVSIO.

Peccaret mortaliter uir irritando uotum tam personale uxoris, quam reale, irritatio tamen de facto ualeret. ita ut uxor amplius uotum obseruare non teneatur. Definita est in cap. Manifestum 33. q. 5.

CONCLVSIO.

Si uxor emisit uotum referendo exequutionem ad tempus quo fuerit uidua, uir tempore uoti uiuens illud irritare non poterit. Ratio est, quia non est de materia sibi subiecta.

2. Dub. Poterit ne uxor irritare uotum a uiro emissum non petendi debitum.

Soto dicit, non longe ab scopo abesse, qui partem affirmatiuam tenerent. probabilius tamen uidetur non posse: nam

ut non potest uotum continentiæ a uiro emissum ante contractum matrimonii irritare, nec uir potest sine dispensatione debitum petere, bene tamen reddere, ita neque uotum durante matrimonio factum, quia utrobique præ nimio pudore uxor suo iure defraudatur.

3. *Dub. poteritne uir longum peregrinationem uouere, qua uxor iure petendi debitum defraudetur, & familiæ detrimentum patiatur.*

CONCLVSIO.

Soto ubi sup. Vir tale uotum emittere potest, adimplere tamen renitẽte uxore nõ potest. Quia est actus uirtutis, potest uouere, & quia uxor iure suo defraudatur, non potest adimplere.

CONCLVSIO.

Vir emittẽs uotum, in detrimentum suæ familiæ emergẽs, non tenetur ad uotum, est. n. nullum, cum sit contra iustitiã, ut si promittat templo, uel pauperibus magnam pecunię quãtitatem, quam sine maximo familiæ detrimento soluere nequeat.

So. eo. ar. 10. *diff. Si uterque coniugum mutuo consensu uotum continentiæ emittat, poterit tunc uir uxoris uotum irritare.*

Gratianus in can. manifestum ex præmissis, ubi supra hanc difficultatem absoluit.

Propositio prima.

Non potest tunc uir irritare uotum uxoris: ut debitum petat, quia in petitione debiti non est sibi subdita.

Propositio secunda.

Neque uxor poterit uotum suum irritare, quia est domina suarum actionum, neque econuerso, quia uterque cessit iuri suo.

Propositio tertia.

Rectissimè facient tunc, si ab episcopo petant dispensationem. Et ratio est, quia in magno periculo incontinẽtiæ sunt constituti.

D. Bon. q. 3. ar. 1. S. Th. ar. 4. Ricard. ubi sup. So. ar. 2. 11. *Dif. possuntne pueri obligare se ad religionis ingressum.*

CONCLVSIO.

Si puer ante 14. ann. aut puella ante 12. ratione non utantur, non possunt uotum aliquod emittere, quia in eis libertas, & deliberatio deest, quæ ad uotum desideratur.

CONCLVSIO.

Illud autem uotum a parentibus, & tutoribus irritari potest, propterea quod quoad actiones personales, & reales, alienæ potestati subiiciuntur.

Ante

CONCLVSIO.

Ante annos pubertatis, quantumcunque ratione utantur, uotum solemne religionis nullo modo emittere possunt. Definita est ab ecclesia de regularib. in 6. & in conc. Tridē. Sess. 25. c. 15. de regularibus, & monialibus.

CONCLVSIO.

Post annos pubertatis, quando iam incipit adolescētia, potest homo quodcunque uotum personale simplex, aut solemne, non autem reale emittere.

12. *Diff. Votum pueri ante 14. annum, & puellæ ante xij. si ratione utantur, valebitne.*

Duæ sunt opin. prima est affirmans S. Th. & eius discipulorum. Secunda est negans Ric. qui si recte perpendatur de uotis realibus, non autem de personalibus uerba facit. *ubi sup. ar. 4. q. 2.*

CONCLVSIO.

Bene possunt se obligare simplici uoto, & tenentur illud seruare, dum pater, & tutor non contradixerunt. Definita est expresse in Numeris.

CONCLVSIO.

Talia uota impuberum a parentibus, & tutoribus irritari possunt. Definita est in c. puella, supra citato, & puella poterit petere irritationem, & confessor cōsulere, ut petat, & religiosus similiter.

Hinc, pater siue tutor poterit irritare uotum simplex religionis ab impuberibus emissum, unde puer post 14. ann. nō tenebitur seruare tale uotum, ante pubertatem iam irritū, nisi puer retulerit se ad annos pubertatis, ut infra explicabitur.

3. *Dub. poterit ne mater uotum puellæ impuberis irritare.*

Propositio prima.

Si pater puellæ uiuat, solus pater poterit, quia patre uiuente, filii sunt sub patris potestate. *Sylu. uerbo reli. 2. §. 12. Sot. li. 7. q. 3. ar. 1.*

Propositio secunda.

Patre iam defuncto, si mater fuerit nutrix impuberum, poterit, sin minus, tutor.

5. *Dub. Quid, si ante pubertatem uoueat aliquis religionem, aut peregrinationem, aut aliud quodcunque personale uotum, eius exequutionem ad annos pubertatis referendo.* *S. Th. Syl. ue. et Sco. ubi sup.*

V. g. si dicat, promitto religionis ingressum, si 16. ann. attigero. Opin. Caie. est negans, nam dicit, patrem non posse huiusmodi uotum irritare. Contraria opi. est Sylu.

CONCLVSIO.

Simile personale uotum a tutore, siue a patre irritari

haud potest. Et ratio est, quia non sunt Domini actionum personalium impuberum, tempore quo uotum exequutioni mãdandum est. Et tota ratio, ob quam pater uotum impuberis irritare potest, est, quia actionibus personalibus impuberum dominatur.

Bo.co.ar.

6. Dub. Poteritne pater, aut tutor qui datur post pubertatem irritare personalia uota impuberum.

CONCLVSIO.

Pater puellæ puberis, ideſt, excedentis 12. annum quandiu in domo paterna manet, uotum irritare potest. expresse habetur cap. 39. Numer. qui quidem text. licet sit per legem Euãgelicam abrogatus, ratio tamen naturalis eiusdem textus urget, scilicet, quod si puellæ suo arbitrio relinquerentur, facile laberentur, & ruerent, neque decet illas, quemadmodum uiros peregrinari.

CONCVLSIO.

Pater, aut curator pueri iam puberis ideſt, *14. annum* excedentis tale uotum irrit. re non potest. Nam *si pueri inuitis parentibus uotum* solemne religionis emittere possunt, nec illud irritare ualent, ut toto titulo de regularibus in 6. constat, similiter, nec quodcunque aliud uotum, nullum enim est periculum in pueris peregrinationem uouentibus, ut in puellis. Soto tenet in puberibus, tam pueris quam puellis quod dictũ est securius. tamen erit in utrisque a Prælato dispensationem obtinere, quam eorum uota irritare.

Soto ubi sup.

7. Dubium. Pater, postea quam filius excesserit 14. annum, & puella 12. poterit uota ante hanc ætatem abillis emissa facere irrita.

Multi Thomistæ dubij in hac re esse uidentur.

CONCLVSIO.

Non poterit pater tale uotum irritare. Et ratio est, quia iam quantum ad actiones personales factus est sui iuris, quẽadmodum dominus uotum serui, manente seruitute emissum, nõ potest post libertatem irritare, quia iam est sui iuris.

8. Dubium. Quid, de uotis, realibus, & mixtus.

Votum reale est, quando promittitur res aliqua, ut Elemosyna. Et mixtum quando promittitur actio personalis ad cuius exequutionem aliqui pecuniarii sumptus faciendi sunt, ut est uotum peregrinationis.

CONCLVSIO.

Pater, siue tutor uota puberum realia ante 25. annum irritare possunt nisi habuerint aliqua bona Castrensia, id est, militari arte acquisita, uel quasi castrẽsia, ideſt, sua industria comparata,

parata, quorum habeāt plenam administrationem. Ratio est, quia quantum ad administrationem bonorum non sunt sui iuris, sed patri, uel curatori subijciuntur. atque ita quilibet illorum poterit tale uotum impedire.

CONCLVSIO.

Puberes uota realia emittentes illa parentibus, uel curatoribus manifestare tenentur, quia uouere fuit actus uirtutis, & ut sit alicuius meriti, & non sit uotum irrisorium, manifestandum est.

CONCLVSIO.

Pater, siue tutor poterit uota mixta prædictorum irritare, quia ex parte qua realia sunt, cum minor non habeat suorum bonorum administrationē, patre, aut tutore inuito adimpleri non possunt. Intellige, nisi habeat bona castrensia, uel quasi castrensia. est tamen consulendum, ut Votorum mixtorum dispensationem ab Episcopo petant, quia fortassis tenentur mendicando peregrinationem adimplere, quando Pater, aut curator noluerit hoc concedere. Tandem uota, hæc multo magis habere locum in uotis impuberum.

13. *Dif. ecclesia uotum solemne religionis impuberū poteritne irritare.*

CONCLVSIO.

Potest, & de facto irritat, ita ut tale uotum solemne religionis, ante annos pubertatis emissum non ualeat. Definita est expresse cap. 1. de regularibus in 6. & nunc in Con. Trid. ubi supra, & ante decimum sextum annum expletum non ualet, quia non recipitur ab Ecclesia, cui etiam fit. *S. Thom. ubi sup. ar. 9. Soto ar. cit.*

11. *Dubium. Tales tenebuntur saltem seruare continentiam.*

Olim de hac re dubitabant DD. *Soto ubi sup.*

CONCLVSIO

Nullo modo continentiam seruare tenentur. possunt enim matrimonium contrahere. Definita est in Concilio Trid. Sess. citata. Vbi promittentes religionem solemniter ante 19. annum ratione promissionis ad nihil prorsus obligari docetur.

Art. 8 An in uoto possit fieri dispensatio. *Tho. 2. 2. q. 88. art. 10. Ri. ar. 9. q. 2.*

CONCLVSIO.

Dispensatio, aut commutatio in uoto fieri potest. Nam cum in legibus humanis possit fieri dispensatio, quæ nihil aliud est, quam superiorem determinare, legem communem non esse in aliquo particulari casu seruandam, poterit quoque & in uoto fieri, nam uotum nihil aliud est, quam lex quædam humana, quam aliquis sibi præscribit, licet enim

obseruatio uoti sit de lege diuina, facere tamen uotum actus humanus est.

1. *Diffic. An Papa in uoto dispensare possit.*

Bon. ar. 2 q. 3. Ric. ubi supra So. lib. 7. q. 4. ar. 1.

Tres sunt opinio. tenet non posse dispensare, sed tantum declarare. & Hæc. est D. Bo. quem sequitur Palu.

Secunda opinio, quam refert glossa, quæ dicit, Papam in omnibus uotis etiam nulla legitima causa interueniente, dispensare posse.

Tertia opinio est S. Tho. in hoc art. & in 4. d. 38. q. 1. art. 4. & Sylue. uerbo, uotum, 4. §. 3. & Caiet. in hoc art. & infra art. 12. & in summa, uerbo, Dispensatio, qui docent Rom. *Pont.* proprijssime, legitima tamen causa interueniente, dispensare posse. Aliter uero non.

CONCLVSIO.

Papam in uoto dispensare, non est declarare solum, *illud* non obligare. Definita est in cap. Venientis, de Voto, ubi dicitur, Papa non declarat, sed commutat uotum, & in cap. Quãto, de iureiurando, ubi textus distinguit *inter declarationem* & absolutionem iuramenti, quare similiter erit *in præsentia* distinguendum. Quia utrunque fit Deo, & utriusque obseruatio de lege naturali, & Diuina est.

CONCLVSIO.

Non potest Papa in uoto sine legitima causa dispensare. Alioquin esset nulla dispensatio. Et ratio est, quia cum Papa non possit irritare uota *Sæcularium*, propterea quod non est Dominus actionum Christianorum quemadmodum Prælatus respectu monachi, neque poterit sine legitima causa dispensare: nam idem est, sine causa dispensare in aliqua lege, & illam irritare.

Legitima autem causa interueniente dispensare potest. Deus enim nunquam deficit in necessarijs, & est Ecclesiæ maxime necessarium, ut sit penes Prælatos potestas dispensandi in uoto. multi namque ira, aut metu, aut ignorantia commoti multa promittunt, atque etiam constat ex cap. dispensatores. 1. q. 7.

2. *Diffic. An in uoto solemne continentiæ possit fieri dispensatio.*

Duæ sunt extremæ opiniones. Prima. S. Tho. ar. 11. & Alex. 1 111. Papæ in materia de uoto, & D. Bona. d. 38. q. 4. & Sylue stri uerbo, Votum 4. §. 5. Almayn de potestate Ecclesiastica, cap. 15. Turrecrem. super Can. sicut bonum 27. q. 1. Soto de iust. & iur. lib. 8. q. 3. art. 2. qui omnes affirmant, Papam non posse dispensare in uoto contientiæ religionis. ita ut religio

sus

sus matrimonium contrahere possit. bene tamen in uoto solemni continentiæ ordinis.

Secunda & contraria est iurisconsultorum, ut Syluester. loco citato docet, quos sequuntur multi ex Theologis, Ric. d. 38. art. 9. q. 2. Dur. ibid. q. 2. Palu. q. 4. art. 4. Maio. q. 3. Henricus quolibe. 5. q. 25. & 26. S. Antoni. 3. par. summæ, titulo 22. cap. 7. summa Angel. uerbo, uotum. 4. §. 5. Caietan. sequutus est etiam Scotum qui hanc defendit opinionem. d. 38.

CONCLVSIO.

Rom. Pont. in uoto solemni continentiæ, religionis Monachalis dispensare potest, ita ut Monachus matrimonium contrahere possit. nam ita est etiam de essentia monachatus abdicatio proprietatis, sicut castitatis custodia, ut constat ex cap. Cum ad monasterium, & faciendo ex monacho non monachum, dispensat in paupertatis uoto, ergo similiter poterit in uoto solemni continentiæ dispensare, siquidem utrumque est de essentia uotum, sed de hac re supra in tractatu de matrimonio.

1. *Dubium. Mortua uxore, & cessante causa, ille, cum quo ex legitima causa dispensatum fuit, tenebiturne ad religionem redire.*

Respondeo ex dictis, non teneri, quia obligatio semel extincta non amplius reuiuiscit.

3. *Diffic. An ad dispensationem, uel commutationem uoti Prælati authoritas requiratur.* Th. ar. 3. So. ar. 5.

CONCLVSIO.

Prælatus potestatem dispensandi in uoto habet. est enim Dei Vicarius, & ita habet authoritatem determinandi, an sit Deo acceptum implere, aut non implere tale uotum. & quēadmodum in lege communi non potest fieri dispensatio, nisi per superiorem, ita neque in uoto, cum sit quædam lex particularis. Et constat etiam ex B. Paul. ad Corin. 2. nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter uos, in persona Christi. Nā debet fieri dispensatio ab illo qui habet uices Christi.

CONCLVSIO.

Vt dispensatio in foro conscientiæ ualeat, legitima causa desideratur, scilicet, ut ex dispensatione maior honor Christi & maior Ecclesiæ utilitas sequatur, patet concl. ex istis uerbis B. Pau. propter uos. ubi indicat, rationem dispensandi esse Ecclesiæ utilitatem, quæ est Christi corpus.

4. *Diff. poterimne uotum in melius authoritate propria uouentis, & non prælati commutari.*

Opinio Ricardi, & Syluestri est negans. Contraria est

Ange-

Angeli uerbo uotum, & Caiet. hoc loco.

uer. uotis

CONCLVSIO.

4.§.7.So to.ubi supra.

Quando uoti commutatio est in melius, proculdubio authoritate uouentis fieri potest. expresse habetur in c.Peruenit. & secundo,de iureiurando,& in c.Scriptura.De uoto, & in c. Dicit. de regularibus.Nam qui ita adimplet uotum,reddit æquiualens,& quod magis gratum est:ut si quis promisisset templo calicem argenteum,& redderet aureum.

CONCLVSIO.

Quando commutatio fit in aliquod æquale,de quo certissimum non est esse magis Deo gratum,quam uotum,*tunc nō* authoritate propria,sed Prælati fieri potest commutatio.nam uoluntas Dei tunc est exploranda, non per subditum, sed per Prelatum Christi Iesu uices gerentem.

2.*Dubium quis poterit dispensare cum illo qui promisit religionem strictiorem: ut laxiorem intrare possit.*

Respondeo, solus Episcopus.

5.*Diffic. Quando erit cum aliquo in uoto dispensandum.*

CONCLVSIO.

Quando materia uoti redditur inutilis, aut mala tunc sufficiens causa est, ut Prælatus dispenset. Hæc non indiget probatione.

S.Th.art. 10. Soto ubisupra.

CONCLVSIO.

Quando uotum adimpleri non potest,& impotentia adimplendi ex imbecillitate, & impotentia uouentis, & non corruptis eius moribus proficiscitur, tunc sufficiens est dispensandi causa.Propterea quod quãdo magnitudo rei *promissę* est uiribus promittentis impar in periculo uiolandi uotum constituitur, atque ita ut peccatum uitetur, erit illi per dispensatores, ut Christi Iesu fideles ministri inueniantur,

Propositio Prima.

Est quoque sufficiens dispensandi causa , quando uoti obseruatio maius bonum particulare, uel commune impedit.Et ratio a simili est. Nam ut in commutatione non est reus uoti, qui illud in melius commutat,similiter neque qui propter dãnum commune, uel particulare ab obligatione adimplendi uotum absoluitur.

Hinc, omnes ministri ad Ecclesiæ utilitatem destinati, ut Concionatores, Confessores, Cantores, & alij, qui propter ieiunij promissi obseruantiam minus sufficienter sua ministeria exercent, sufficientem causam dispensandi in uoto abstinentiæ habent.

Hinc,

Hinc, erit quoquoque sufficiens dispensandi causa cum cõiuge, qui redditur imbecillis propter abstinẽtiam promissam ad debiti solutionem, est enim illud uotum impediens maius bonum, nempe, debiti solutionem, ad quam ratione iustitiæ obligatur, & de similibus erit similiter iudicandum.

S. Th. ar. 11. Soto loco citato.

6. Diffi. Quando Prælati commutare debent.

Animaduerte, commutationem aut esse simplicem, ut quãdo fit in maius, siue æquale bonum, aut esse mixtã, vt quando uotum in minus bonum commutetur. tuncque commutatio, & dispensatio interueniunt.

Propositio prima.

Quando commutatio est simplex, & absoluta, authoritate uouentis fieri potest. Hæc supra probata manent.

Propositio secunda.

Quando fit commutatio in bonum æquale, tunc authoritate superioris fieri debet. Definita est in c. Quod superius. de uoto, ubi legitur uotum peregrinationis uersus Hierosolymam a mulieribus emissum in bonum æquale commutari posse, scilicet, in Eleemosynam ad terram sanctam mittendam, quod quidem est maius bonum illi terræ, quam mulierum peregrinatio.

Cæterum, uotum aliarum peregrinationum ita est commutandum. V. g. promisisti peregrinari ad Virginem Santissimã de Monferrato, & ulterius promisisti offerre illi templo decẽ ducatos, authoritate superioris decem ducati ad aliud templum commutari poterunt, & expensæ in itinere faciendæ erunt pauperibus erogandæ, deductis tamen, quas domi uouens facturus erat. Exempli causa erit in itinere singulis diebus sex nummos argenteos consumpturus, & domi tres tantum, ijs tribus deductis, cæteri sunt pauperibus elargiendi. est tandem commutandus labor itineris in ieiunium, ita ut pro quarto quoque die itineris unius ieiunij dies imponatur.

Propositio quarta.

In his omnibus commutationibus habenda est tantum ratio expensarum, & laboris in eundo, non autem in redeundo. Ratio est, quia solum promisit ire, non autem redire.

Propositio quinta.

Quando commutatio fit in bonum æquale, debet commisceri dispẽsatio: ita ut aliqua causa ex supradictis interueniat. est tamen notandum, hanc commutationem mixtam nõ posse ab illo fieri, qui authoritatem commutandi tantum habet

ut est confessor uirtute bullarum, sed ab eo, qui simul dispensandi authoritatem obtinet. & hac de causa confessores ab Episcopo authoritatem dispensandi petere debent.

Soto ubi supra. 7. Dif. Qua ratione confessores debent uota uirtute bullarum cõmutare.

Propositio prima.

Eleemosyna, in quam fit commutatio, est erroganda quæstoribus Cruciatæ, in expeditionem contra Turcas. Nam ita in bulla præcipitur.

Propositio secunda.

Confessores, si petierit a diœcesano authoritatem commutandi pœnitentis uota, poterunt efficere ut eleemosyna, in quam fit commutatio, pauperibus elargiatur, quoniam tunc non authoritate bullarum, sed Episcopi fiet commutatio.

Propositio tertia.

Soti est. Authoritas dispensandi, aut commutandi uota uirtute bullarum non est intelligenda, nisi de uotis factis ante bullæ receptionem, quia dispensatio nunquam conceditur, nisi ad præteritum. temerarium nãque esset concedere alicui facultatem dispensandi in uoto, priusquam uotum fieret, & hoc in bulla exprimeretur.

Solus Ri. d. 38. ar. 9. q. 3. 8. Dif. Qui uouit non petere dispensationem, aut uoti commutationem, poterit ne illam exigere.

Propositio prima.

Legitima interueniente causa huiusmodi uotum non obligat. Ratio est, propterea quod uotum, quando impedit maius bonum, est dispensandum. atque ita est de hoc uoto, quando est maius bonum, petere dispensationem.

Propositio secunda.

Quando nulla subest dispẽsandi causa, tale votum obligat, quia uotum de re aliqua licita emissum obligat in conscientia.

Propositio tertia.

Votum de non petẽda uoti commutatione obligat ad non petendum commutationem in bonum æquale, non tamẽ in melius. Hęc ex supradictis constat.

9. Diffic. Quis in uoti dispensare, aut illa irritare poterit.

CONCLVSIO.

Rom. Pont. uota Christianorum nulla interueniente causa irritare non potest, demptis uotis religiosorum, quia non habet Dominium super actiones Christianorum, & eorum bona, quemadmodum super actiones religiosorum, cum sit eorũ supremus Prelatus, habet. Communis est opinio.

Episco-

CONCLVSIO.

Episcopus, & quicunque alius Prælatus habens spiritualem iurisdictionem in subditos, in omni uoto, dempto castitatis, religionis, & peregrinationis terræ sanctę uoto, dispensare potest. Definita est c. 1. & c. ex multa, & cap. Super his. de uoto. cæterum, ex consuetudine reseruatur, ut in bullis Cruciatæ patet.

CONCLVSIO.

Episcopus in uoto temporali castitatis dispensare potest. Ratio est, quia huiusmodi uota non sunt simplicis continentiæ, sed ad tempus.

Panor. tamen in c. Veniens, qui clerici, uel uouentes, & Ange. uerbo, uotum, affirmant, Episcopum posse dispensare in uoto perpetuæ continentiæ, consuetudo tamen, quæ est optima legum interpres, talem dispensationem solius Papæ esse declarauit. S. Th. e? ad 3.

CONCLVSIO.

Licet Episcopus non possit in uoto simplici religionis dispensare, potest tamen legitima interueniente causa declarare uoti exequutionem esse differendam. quia declarare non est dispensare, sed uoti exequutionem in aliquo euentu propter maius bonum suspendere ad quod quidem iurisdictio spiritualis, & ut declaratio authoritatiue fiat, desideratur, ad distinctionem declarationis alicuius Doctoris, quæ non est ita in conscientia tuta, ut est, authoritatiua declaratio.

CONCLVSIO.

Potest Episcopus dispensare, ut habens arctioris religionis uotum latiorem intrare ualeat. Hoc enim non est dispensare in uoto religionis, cum semper sit religioni obnoxius, sed est dispensari in arctiori uinculo.

CONCLVSIO.

Si monachus professus uotum migrandi ad arctiorem religionem fecerit, eius Prælatus legitima interueniente causa, & non aliter, in tali uoto dispensare, non autem illud irritare, poterit, quoniam habet iurisdictionem spiritualem super monachum, quod ad dispensandum sufficit: caret tamen dominio super hunc actum, & ideo irritare tale uotum haud poterit.

CONCLVSIO.

Metropolitanus in uotis subditorum sui suffraganei dispensare minime potest. Qua illi in gradu tantum appellationis subijciuntur.

Metropo-

CONCLVSIO.

Metropolitanus in uoto Episcopi sui suffraganei dispensare potest. quia immediate illi est subiectus.

10. *Diffic. Potest Episcopus dispensare in uoto pœnali peregrinationis in terram sanctam, aut religionis, siue castitatis.*

S.Th.2.2 q.189.ar. 3.ad3. Soto li.7.ar. 3.q.4.

Propositio prima.

Tale uotum antequam pœna incurratur, per Episcopum dispensari potest: ut si quis promiserit non ludere chartis sub pœna ingrediendi religionem, uel peregrinandi Hierosolymam. Ratio est, quia ante ludum tale uotum nondum obligat. in hac re omnes conueniunt, dubitant tamen, an quando iam uouens incurrit pœnam, per Episcopum dispensari possit; quidam partem affirmantem tenent, Soto uero, & alij negãt.

Propositio secunda.

Huius dubij tutior est pars negans. nihilominus tamen poterit confessor sequi affirmantem, quamuis ipse negantem tueatur; tunc enim non faciet contra conscientiam, cum affirmans opinio sit probabilis, quamuis agat contra suam opinionem.

1. *Dubium. Promittens ieiunare in uigilia Natiuitatis immaculatæ, semperque Virginis Mariæ, si illo die non ieiunet, tenebiturne alio die ieiunare.*

R. non, sed pœnitere.

2. *Dubium. Vota Scholasticorum Salmanticensium, & aliarum Vniuersitatum possunne per Episcopum aut Archiepiscopum illius Diœcesis, uel per Cancellarium dispensari.*

Respondeo cum doctissimo patre Alcocer, qui affirmat, & merito, ad proprium Diœcesanum esse recurrendum.

Dubium. III. Vota Nouitiorum cuius authoritate sunt commutanda.

Propositio prima.

Prælatus non habet dispensandi in illorum uotis authoritatem, quia nondum sunt professi.

Propositio secunda.

Magister nouitiorum uota illorum in melius, siue in æquale commutare poterit: ut si uouit ieiunare in sabbato, ieiunet feria sexta, & si uouit recitare psalmos singulis diebus, unã missam sub uoto audiat.

Praxis dispensandi & commutandi uota.

Propositio prima.

Quando dicitur uotum commutandum esse in melius, intelligitur in magis meritorium, siue magis satisfactorium. V. g. ieiunium, oratio, & eleemosyna sunt meritoria, & satisfa-

tisfactoria, & peregrinatio similiter, sed magis meritorium est Missæ sacrificium, & confessionis frequentatio, atque ita poterunt prædicta uota etiam peregrinationis in Hierosolymam, commutari in sacrificia, & orationes atq; eleemosynas, & in frequentationem confessionum per annũ, uel per singulos menses, saltem, ut in uno quoque mense confiteatur. Hoc enim magis meritorium est, quam peregrinatio.

Propositio prima.

Est quoque notandum, nunquam in bullis, uel in iubileis concedi confessoribus authoritatem dispensandi, sed commutandi uota, quod est intelligendum saltem in bonum æqualiter meritorium, satisfactorium, aut impetratorium.

Propositio secunda.

Ratio dispensandi semper debet esse melioris boni impeditiua, id est, incompassibilis cum maiori merito. V.g. promisit aliquis continentiam, qui si nuberet, sedarentur multa scandala, in hoc casu hæc est sufficiens causa dispensandi in uoto continẽtiæ, quia magis meritorium est paci reipublicæ consulere, quam a coniugio abstinere.

Propositio tertia.

Est etiam causa commutandi votum sufficiens, quando facile exequutionis uoti obliuiscitur, & facilius illud frangit, habetque multa impedimenta, & quibus præpeditur, ne uotum adimpleatur, & non debet esse commutatio in omnino æquale in imliuisibili consistens (*Que no es Dios acha coso que si con Dios se trataße, diria, tu hazes de mala gana essas oraciones, cada dia y toda tu uida las haras, por tanto mejor sera que me siruas de mejor gana en esto*) Hactenus de Voto.

FLORES TOTIVS DISPVTATIONIS DE restitutione, & de singulis contractibus.

De his omnibus quæstionibus disputant Doctores, Scholastici dist. 15. 4. & præter illos Alexan. Alen. varijs in locis infra citatis, & S. Thom. quoque Gerson de potestate Ecclesiastica consideratione 13. & in tracta. de uita spirituali lectu. 13. Conradus de contractibus, Medina. C. de rebus restituendis, Nauar. in summa. Soto in opere de iustitia & iur. Pater Franciscus Alcocer in opere, cui titulus est, Tratado delos juegos.

QVÆSTIO DE DOMINIO.

Art. Primus, quidnam est Dominium.

CONCLVSIO.

DOminium est ius, siue facultas quomodolibet utendi, aut alienandi rem aliquam secundum usum a lege permissum, Hæc concl. non aliter probatur, quam per discrimé, quod inter usumfructum, & Dominium reperitur. nam usus est ius, siue potestas utendi, fruendique re aliena in propriam tantum utilitatem. Vsusfructus est potestas utendi, & aliená di fructum, salua tamen rei substantia: at uero Dominium est potestas non solum utendi fructu rei, uerumetiam alienandi eiusdem rei substantiam.

1. *Diffic. Quo iure inceperit Dominiorum diuisio.*

Animaduerte primum ius naturæ bifariam sumi. Primo, quod natura omnia animantia docuit, siue quod appetitui sensitiuo consonat, ut est liberorum generatio, & eorum educatio. Secundo, quod ratio naturalis inter omnes gentes constituit, quodque apud omnes populos æque custoditur: quod olim ius gentium appellabatur, quale illud est, quod tibi non uis, alteri &c. Et de hoc secundo modo est in præsentia disputatio.

Soto li. 4 q. 3. Scot. & Medina ubi sup. præ S. Th. 7. 66 art. 2.

CONCLVSIO.

Iure naturali, & diuino in statu innocentiæ non fuerunt distincta dominia, sed omnia erant tunc cõmunia. Conc. est D. Aug. Ad uerbum. & ab Ecclesia in Can. quo iure d. 8. canonizata. nam iure, inquit, humano dicitur, hęc uilla est mea, &c.

Hinc, constat diuisionem Dominiorum per legem humanam positiuam fuisse factam, nam lege, inquit, humana &c. in can. quo iure.

CONCLVSIO.

Præceptum iuris naturæ, quo omnia communia erãt, post Adæ peccatum fuit reuocatum. Ratio est, quia tunc regnante peccato, si nõ fuissent Dominia distincta, potentiores omnia ita occupassent; ut imbecilliores non potuissent non egestatem pati maximam.

CONCLVSIO.

Facta autem est dominiorum diuisio per aliquam legem iuste latam a patre, siue a principe, siue ab aliqua republica. Adam enim filijs suis rerum Dominia diuisisse Scriptura sacra satis aperte indicat dicens, Cain obtulisse sacrificium de fructibus terre, Abel uero de primogenitis gregis sui, & de adipibus

bus eorum. Secunda, & tertia pars conclusionis ex iure Canonico & Ciuili constat. ubi præcipitur, unumquemque in propijs bonis indemnem seruari, hactenus de hac difficultate cũ Scoto, & duo argumenta, quæ contra secundam conclusionẽ Soto affert, facile solues si cum S. Th. & Caie. distinxeris dicens, legem naturalem, & præceptum naturale semper esse immobile: ut est præceptum prohibens iniuriam. at uero legem naturalem sumptam pro concessione, uel promissione facta per naturam, ut erat lex prohibens Dominiorum distinctionem, posse reuocari, & reuocata fuisse, non enim fuit præceptum, ut omnia essent communia, sed concessio.

2. *Diffic. In rebus, quæ usu consumuntur potestne usus a dominio separari.*

Grauis est hæc difficultas. Nam Nicolaus 3. in Extrauag. exijt, qui seminat, de uerb. sign. in 6. & Clementi. 5. in Clementi. exinit, eodem titulo in 6. & cæteri omnes summi Pontifices, eorum successores definierunt, fratres Minores nõ habere alicuius rei dominium, usu autem facti, & non iuris, esse penes eosdem fratres. At uero Ioann. 22. post Nicolaum 3. in Extrauag. Ad conditorem, oppositum decreuit dicens, in rebus quæ usu cõsumuntur impossibile esse usum a Dominio distingui.

CONCLVSIO.

In rebus, quæ unico actu consumuntur, usus a Dominio separari potest, & de facto in ordine fratrum Minorum separatur. Constat ex proxima conclusione huius Arti. tum etiã in Deutorono. dicitur, ingressus uineam proximi comede uuas, quantum tibi placuerit. foras ne efferas tecum, ubi Venditio uuarum prohibebatur, & simplex usus sine Dominio concedebatur. quare usus necessario a Dominio distinguitur, & in act. Apostolorum legitur, omnes credentes habuisse omnia communia, quamobrem nullus in particulari habuit Dominium, sed usum tantum, alioquin non essent communia.

3 *Diffic. Quis potest alicuius rei habere dominium.*

Fratres minores de obseruantia nullius rei dominiũ, nec in communi, nec in particulari habere possunt. patet ex Clemẽti. exiui. & ex 6. capite Regulæ seraphici Patris Francisci. *S. Th. sc. & Medina & so. ubi supra*

Hinc, non poterunt uendere, uel permutare aliquid sine expressa, aut tacita sindicorum facultate.

CONCLVSIO.

Nullus monachus cuiusuis religionis, in particulari alicuius rei proprium Dominium habere potest. Definita est

expresse in c. cum ad monasteriū, de statu regulariū. ubi Ro. Pont. ita ait, Abdicatio proprietatis sic est annexa statui regularium, ut in his Papa non possit dispensare,

Hinc, si Papa alicui monacho concedat, ut habeat dominium, ille iam non erit monachus. Nam Papa licet possit facere de monacho non monachum, efficere tamen non potest, ut manente monachatu in particulari proprium habeat. quia proprietatis abdicatio est de essentia monachi, quemadmodum rationale de essentia hominis.

CONCLVSIO.

Furiosus perpetuus dominium alicuius rei habere non potest: qui enim suiipsius non est Dominus, alijs dominari non potest. & huiusmodi furiosi sunt ueluti agētia naturalia, quæ suarum operationum dominium non habent.

CONCLVSIO.

Homines, qui non sunt perpetuo amentes, Dominium habere possunt. Patet Ge. 1. faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: ut præsit, id est, ut sit Dominus &c. quare fundamentum omnis dominij erit imago & similitudo Dei, quæ consistit in nobis: ut B. Damascenus docet in hoc, quod liberum arbitrium habemus, atque ita soli homines, qui non sunt perpetuo amentes, aut ut alij dicunt, rationalis creatura, quæ habet liberum arbitrium, poterit habere dominium.

Appen.

Hinc, nulla creatura irrationalis poterit habere dominiū, quod est contra Gerson. Conrad. & alios, qui quamlibet creaturam affirmant habere dominium, ut leonem v.g. esse ferarum, quas prædatur, dominium.

Psal. 23.

CONCLVSIO.

Deus iure naturæ titulo creationis est Dominus omnium creaturarū, nec se illo dominio priuare potest. Domini enim est terra, & plenitudo eius, Dominusque totius creaturæ est.

Appen. *Exod. c.* 3

Hinc, filij Israel Egyptios spoliantes furtum non commiserunt. quia hoc uolente uniuersali Domino. s. Deo fecerunt.

CONCLVSIO.

Omne dominium, quod in creaturis reperitur, a Deo est. dicitur enim ad Rom. omnis potestas a Domino Deo est &c.

CONCLVSIO.

Angeli suarum actionum, ut contemplationum, motus &c. Domini sunt, alterius tamen rei in uniuerso existentis dominium habere minime uidētur. Deus enim omnia propter nos creauit, neque ullam creaturam propter Angelos creasse legi-

mus,

mus, dæmones namq. supra damnatos, ius tantum quoddam ministeriale iustitię Diuinæ habent.

4. Diffic. An Primogenitus habeat dominium bonorum uinculatorum. Soto li. 4 q. 5. ubi supra.

Duæ sunt opiniones. Prima dicit esse dominum, licet non possit ea uendere. quia minor ætate est Dominus suorum bonorum, & tamen illa alienare non potest.

Contraria & secunda est Baldi, & aliorum iurisperitorum C. de secundis nuptijs in l. fœminę, quęstio hęc de nomine esse uidetur. utraque opinio est probabilis. S. Th. 2, 2. q. 73. ar. 4. ad 1. So. li. 4 tota. q. 2.

Art. II. Quarum rerum homo dominium habere possit.

CONCLVSIO.

Homo non est Dominus suæ uitę, ut membrorum, ita ut possit seipsum interimere, quin agat contra charitatem & iustitiam. aget quidem contra charitatem, quia præcepto, non occides, nō solum alios, uerum & nos ipsos occidere prohibemur, & contra iustitiā quoque, quia occidens seipsum aufert alienum, nempe, uitam inuito Deo, qui est uitæ, & mortis Dominus. Nam in Deutero. dicitur, ego occidā, & ego uiuere faciā.

CONCLVSIO.

Homo propriæ famę ita est Dominus: ut imponēs, sibi falsum crimen, agat solum contra charitatem. Nam Christus Iesus, cum in multis accusaretur, nihil respondebat, ita ut miraretur Prę ses uehementer. & sancti propriam famā contemnebāt, quod minime illis integrum fuisset, si Domini famæ propriæ non extitissent, sed de hac re latius infra.

CONCLVSIO.

Vnus homo alterius hominis titulo emptionis, uel quia fuit in iusto bello captus, dominiū habere potest. Prima pars conclusionis in Leuit. cap. 25. habetur. ita enim legitur, si paupertate oppressus uendiderit se frater tuus, non opprimas eū enim seruitute famulorum. quod apud nos modo non licet, est tamen inter infideles nunc, ut olim erat, consuetudo uendi proprios filios, ut habetur in lege 2. ff. de his, qui proprios filios distraxerunt. secūda uero pars patet. quia cum possit miles hostem interimere, poterit illum in mancipium seruare, & hæc dicitur seruitus iure belli, quæ instituta est ad seruandam hostium uitam.

CONCLVSIO.

Qui seruus est, quia seipsum uendidit, si fugiat ad restitutionem tenebitur, furatur enim alienum.

CONCLVSIO.

Seruus iusto bello captus potest fugere, quia Dominus

non maiorem potestatem habet finito bello, quam tempore belli, & sicut tunc, ita & nunc licite fugere poterit.

Hinc si fugiat ab emptore, non tenebitur ad restitutionē, quia eodem titulo tenetur seruire emptori, quo capienti tenebatur; & quemadmodum a capiente, ita ab emptore licebit illi fugere, dummodo non promiserit medio iuramento se non fugiturum, uel non sint dominati, tunc enim fugere haud poterunt. nota ad confessiones seruorum audiendas.

CONCLVSIO.

Sco. ar. 2. q. 2. Soto li. 4. q. 5. Med. q. 1

Homo iure naturali, & Diuino est Dominus ferarum, piscium, & animalium. dicitur enim Gen. 1. Faciamus hominē ad imaginem, & similitudinem nostram & præsit piscibus maris, & uolatilibus cœli & bestiis, uniuersæque terræ omnique reptili, quod mouetur in terra.

Art. 3. Quibus modis tranferri potest Dominium.

CONCLVSIO.

Dominium rei in alium transferri *potest per solam* Domini uoluntatem cum traditione, dummodo a lege *non* prohibeatur. Probatur Institutæ, de rerum diuisione. *Vbi dicitur*, nihil tam conueniens naturali æquitati, quam uoluntatē Domini uolentis rem propriā in alium transferri, ratam habere.

Appen.

Hinc. si Dominus rei non habeat rationis usum, & liberū arbitrium, quia mente captus, uel puer est, rem suam dare nō poterit, non enim dicitur habere propriam uoluntatem, nec libero uti arbitrio, cum quid agat, ignoret.

Hinc, si minor sine authoritate tutoris, & primogenitus sine authoritate Principis, aliquid alienauerint, recipientes ad restitutionem tenebūtur, quia hi a lege alienare prohibētur.

Idem est iudicium de usurario, quamuis solutio usuratum spontanea sit, & de iudice accipiente pecuniam pro sententia proferenda. quia non acquirunt dominium: ut definitum est in c. exigi, de cēsib. in 6. similiter iudicandū est de alijs casib.

CONCLVSIO.

Dominium potest quoque legis authoritate contra domini uoluntatem transferri. Vt constat in prescriptionibus de quib. infra agetur. & in bonis hæreticorum. Nam a die cōmissi criminis, inuito hęretico, dominiū bonorū illius trāsfertur.

CONCLVSIO.

Aliquando etiam dominia per iudicis sententiam inuito Domino transferuntur. Definita est in Can. fraternitatis 12. quæst. 2. ubi dicitur, furem a iudice posse mulctari pœna pœcunia-

cuniaria. cuius pecuniæ dominium per sentẽtiam iudicis mediante exequutione in alium transfertur.

1. *Diffic. Possuntne filij illegitimi bona paterna retinere.*

Nota filiorum illegitimorum quosdam uocari manceres vt qui ex meretricibus in lupanari expositis nascuntur: alios spurios: ut qui nascuntur ex aliena concubina, uel ex illa quæ pluribus exposita est, non tamen in lupanari: alios nothos, ut qui ex adulterio procreantur, alios tandem naturales, qui ex propria concubina domi retenta, dummodo uterque sit solutus, geniti sunt. Hæc diuisio colligitur, ex c. nisi cum pridem. de renunciatione.

CONCLVSIO.

Tam pater, quam mater possunt filijs quocunq; modo illegitimis quintam partem suorum bonorum relinquere. Patet per legem nonam & decimam Thauri. Et ratio est, quia quinta pars bonorum, cui uoluerit testator, legare potest. *soto ubi sup. ar. 1.*

CONCLVSIO.

Filij spurij, & naturales possunt matri ab intestato succedere, & ex testamento, quamuis habeat ascendentes heredes legitimos: dummodo legitimis descendentibus careat. Probatur per legem nonam Thauri, ubi expresse habetur.

CONCLVSIO.

Spurius neque ex testamento, neque ab intestato patri succedere potest. Et ratio est, quia habet incertum patrem.

CONCLVSIO.

Filius naturalis ex testamento tantum potest patri succedere, quamuis habeat legitimos ascendentes, si tamen legitimis descendentibus sit priuatus. Probatur per legem Thauri.

CONCLVSIO.

Adulterinus nec ex testamento, nec ab intestato patri, aut matri succedere potest. per eandem legem Thauri. patet.

2. *diffi. Potestne pater filium illegitimum hæredem per fideicommissum instituere, ita ut in conscientia filius talia bona retinere possit.* *soto ubi supra.*

CONCLVSIO.

Filij adulterini sæcularium in fidei commisso in foro conscientiæ, non tamen in foro exteriori, bona paterna possidere possunt, quia lex prima, ff. titulo de hæredibus & successoribus. tantum prohibet, ne sint ex testamento heredes.

CONCLVSIO.

Filij clericorum, aut religiosorum, nec per testamentum nec per fideicommissum, nec per donationem in bonis paternis succedere possunt. Ita definitum est in lege 22. lib. 1,

tit.3. & in lege 2. lib.5. tit.3. regalium ordinationum. Vbi ita legitur (*Ordinamos, y mandamos, que los hijos de los Clerigos, religiosos ni hereden, ni puedan heredar los bienes de sus padres, ni de sus parentes, ni los hayan, ni los puedan gozar por legado, ordinacion, o por otro trapasso.*) Qua lege iusta inhabiles redduntur, & in foro exteriori, & conscientiæ ad bona paterna habenda aliquo titulo legati donationis, &c.

Hinc, si pater, tacito fideicommisso, aliquem hæredem constituat, poterit filio clerici bona illa dare, non tanquam paterna, sed tanquam propria.

Hinc, si fideicommissum sit expressum, peccabit fideicommissarius bona illa filio clerici danda, & in conscientia fisco aut pauperibus illa restituere tenebitur, si tamen hoc fiscum latere potest. sin minus, reddat fisco, ne postea iterum soluere teneatur: non enim cum sit lex pœnalis, ante condemnationem obligat.

3. *Diffic. Si filius, aut filia clerici matrimonium contraxerit, & filios ex tali matrimonio habeat, poterit nepotibus hæreditatem relinquere.*

Poterit, quia pœnæ sunt restringendæ, & lex illa de filijs clericorum est pœnalis.

Syl. uer. alienatio §.12 13. & 14. et uer. testamentũs. 1 §. 5. & uerbo, hæreditas, 3 §. 7. Sot. ubi supr. Syl. uer. alienatio §. 12. & uerbo testamentum. §. 5 Adr. quodli. 6. ar. 1 Soto ubi supra.

4. *Diffic. Teneturne pater filios illegitimos alere.*

CONCLVSIO.

Tenetur quidem illos, qui rationis usum non attigerunt, inhumanum enim esset filios in ętate infantili, in qua uictũ sibi quærere nõ possunt, ita relinquere. Vnde qui eos ut ab alijs alantur, exponunt, mortaliter peccare uidentur.

CONCLVSIO.

Filios spurios post rationis usum alere non tenentur, quoã quidẽ fit ut homines a cõcubitu damnato, & pessimo arceant

Art. VII. An per contractum minus solemnem, in foro conscientiæ dominium transferatur.

Vt si Petrus non habens hęredes necessarios, sed collaterales tantum, instituat hęredem Ioannem in testamẽto minus solemni, uel instituat hæredes in tali testamento necessarios, uel collaterales, & leget extraneis quintam partẽ suorum bonorum, possint ne parentes expoliare Ioannem, uel Ioannes possit bona fide illa bona retinere, uel an teneantur hæredes in conscientia legata illa soluere.

Tres sunt de hac re opiniones. Duas affert Sylvest. & affirmat, ultra montanos, qui respectu illius sunt Hispani, & Galli, tenere partem negantem, Cismontanos uero, qui sunt Itali, partem affirmantem. Tertia opinio est media, quam

tenet

tenet So. dicens eũ, qui tenet bona per testamentũ minus solẽne esse tutum in conscientia, donec in iudicio cõueniatur.

CONCLVSIO.

Quando lex irritat duntaxat contractum, & non prohibet expresse siue ex consuetudine dominij translationem, nec præcipit fieri restitutionem, talis contractus est in conscientia ualidus. Patet exemplo in c. quia sicut, de electione, ubi dr, infirmandam esse electionem, si suffragator absens non fuerit uocatus, nisi ratione pacis in electione consenserit. Secundo, quia lex ciuilis prohibet ludum, & tamen acquisita per ludum non sunt restituenda. ut infra in quæstione de ludo declarabitur. quare quantumcunque lex requirat aliquam solẽnitatem, qua deficiente contractus annulletur; est intelligendum, ne uirtute illius contractus aliquis possit in iudicio agere: ut glossa in l. non dubium. C. legibus docet.

CONCLVSIO.

Quando testamentum est nullum secundum leges ciuiles, quia non habet, scilicet, aut septem testes, quos secundum iura ciuilia habere tenebatur, si duos uel tres habuerit testes erit in conscientia ualidum. expresse definita est cap. Cum esses. de testamentis ab Alexan. Papa. Dicit enim esse ex lege Diuina tale testamentum ualidum, ius autem diuinum ubique in conscientia obligat.

CONCLVSIO.

In legatis ad pias causas testamentum est ualidum in utroque foro, si habeat duos, uel tres testes. Communis est Doctorum sententia, qui ita cap. Cum esses. citatum declarant.

Dubium. Si testamentum unum, uel nullum habeat testem, sed tantum sit chirographo defuncti signatum; tenebiturne hæres in conscientia legatum soluere.

Si hæredi per sufficientem probationem: scilicet, per chirographum defuncti, aut per unum testem omni exceptio maiorem constiterit, tenebitur in conscientia soluere legatum. nihil enim tam naturale est, quam ut dominia sola Domini uoluntate, quando non prohibetur a lege transferantur. & in præsentia testator uoluit in legatarium trãsferri dominium, nec fuit a lege prohibitus.

CONCLVSIO.

Quando testamentum est nullum, quia defunctus non habebat testandi authoritatem eo modo, quo testamentum condidit, tunc tale testamentum in utroque foro erit irritum. v. g. si habens hæredes necessarios ultra quintam par-

tem aliquid extraneis legauerit. Ratio est, quia in tali casu prohibentur alienare, quod legauit, & ita nō potest dominiū trāsferri. at uero in his, quæ potuit legare, ualebit testamētū.

Hinc sequitur, si quis exhæredauerit filium, & instituerit extraneum, & simul quintam partem tantum legauerit, quāuis testamentum quantum ad institutionem hæredis, non ualeat, ualebit tamen quo ad legata, quia quantum ad legata, testamentum est legitimum.

QVAESTIO SECVNDA DE restitutione.

Art. 1. Cui facienda est restitutio.

Explicabitur nonnullis difficultatibus expositis.

Th. 2.2. q. 62. ar. 5. reliqs ubi supra Syl. uer. rest. Medi. q. 2. de rest. Soto lib. 4. de iust. & iu. ar. i. q. 7. Sco. q. 2. Tho. Sco. & So. ib.

1. *Diff. Oportetne semper uero Domino, a quo res ablata est, restitutionem fieri.*

Vero Domino, aut eius hæredibus, siue ex testamento, siue ab intestato rei ablatæ facienda est restitutio. Nam restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, per quam constituitur æqualitas inter personas, quæ inæqualia habent, & cum uerus Dominus, cui damnum illatum est, minus habeat, illi, & non alteri, erit restitutio facienda.

2. *Dif. Quid si Dominus rei sit illa abusurus, eruine eidem restituenda.*

CONCLVSIO.

V.g. si petat pecuniam alteri accommodatam, ut cum meretricibus prodigat, quidam statim esse restituendam pecuniā existimant, & in suam sententiam Adrianum adducunt.

CONCLVSIO.

Si dominus paratus est ad dissipandum pecunias, & dilatata solutione per aliquod temporis spatium, non fiet pecunię dissipatio, possum pecuniam retinere. Potissima ratio, ob quā est statim facienda restitutio, esse dicitur, quia rei alienæ detentio est in detrimentum ueri domini, & cum in casu posito restitutio in eius damnum potius redundaret, poterit restitutio per aliquot dies protrahi, cessante siquidem causa restitutionis, cessare & restitutio debet.

Hinc, furioso, & hominibus perditis, quos scimus ludo, ebrietatibus, meretricibus, & aliis id genus uitiis certo res suas esse consumpturos, non erit restitutio statim facienda, sed cō modum tempus expectandum.

Hinc, qui lucratus est pecunias a filiofamilias, quem certo scit facta restitutione iterum lusurum, non illi, sed patri restituere, aut apud aliquē pecuniam lucratā deponere tenebitur.

Hinc

Hinc, de sententia Caie. si quis magnam pecuniã Principi debet, non tenetur illam statim restituere, quando iniustum bellum gerit, quia esset in aliorum iniuriam.

Hæc autem omnia sunt intelligenda, dummodo scandalum excludatur: nam si uerisimiliter scandalum futurum esse creditur, uel quia præsentes existimabunt me nolle debitum soluere, uel quia creditor mihi minatur, himisq; irascitur, uel in periculo peccandi constituitur, restitutionẽ dilatare non teneor. perinde etiam, si uerisimile est dissipaturum esse pecunias, quocunque tempore illi restituantur: nunquam. n. aliquis statim restituendo peccat, etiamsi, ut dictum est, aliquãdo melius sit restitutionem protrahere.

3. dif. Esse semper restitutio facienda possessori, a quo res ablata est.

CONCLVSIO.

Si possessor est malæfidei, ut latro, Domino est restitutio facienda, ita ut latroni sperſona non prodatur, eritque latro admonendus, ne iterum domino restitutionem faciat: illi. n. restitutio est facienda semper, cui damnum est illatum, qualis est uerus dominus, non autem latroni, qui enim domino restituit utriusque domini, scilicet, & latronis causam utiliter gerit.

Hinc, qui habet aliqua bona religiosi, aut ecclesię, tenetur illa reddere non prælato, aut episcopo, si sint bonorum dilapidatores, sed conuentui, aut capitulo, aut si fieri potest, in rebus immobilib. restituat. Nam hæc non ita prodigi possunt.

Hinc, pallium usurario ultra sortem datum, si auferatur, non usurario, sed domino erit restituendum, & idem est de similibus iudicium.

1.1. dubium Quando dubito, sitne res, quam habeo, furtim ablata, aut non, cui facienda est restitutio.

CONCLVSIO.

Illi, a quo res accepta est, si est simpliciter dubium est restitutio facienda. Nã in reb. dubiis tutiori pars est eligenda, tutiusque est illi restituere, quia melior est possidentis condicio

2. dubium. Habeo rem, quam scio furto captam, timeo ne ex restitutione mihi detrimentum oriatur, tenebor uero Domino, an latroni, a quo accepi restituere.

V. g. si nõ restituo latroni, fortassis conueniet me corã iudice, & cõdemnabor ad flagella, uel aliud damnũ simile patiar.

CONCLVSIO.

Tunc nunquam Domino restituęre tenebor. Ratio est, quia

quia non teneor rem proximi mei utiliter cum iactura, & detrimento meo gerere, iuxta charitatis præceptum, proximus namque sum egomet mihi.

3. Dubium. Quid si res, quam abstuli a latrone, non Domino, sed latroni a me restituatur, erone postea iterum restitutioni uero Domino faciendæ obnoxius.

Soto, ubi sup. ar. i. ad 2.

CONCLVSIO.

Si ego rem per ignorantiam inuincibilem latroni dedi, non teneor amplius ad restitutionem. v.g. si confessor mihi, uel uir aliquis prudens ita faciendum esse dixerit. Et ratio, est quia bona fide latroni restitutionem feci.

CONCLVSIO.

Si sciebam me rem furto sublatam uero Domino daturũ, nõ dando, mortaliter peccaui, quilibet enim tenetur charitatis pręcepto sine ꝓprio nocumẽto rẽ proximi utiliter gerere.

CONCLVSIO.

Qui scienter latroni dedit, iterum Domino restituere tenetur. Ratio est, quia quicquid tenet iure forti, tenet etiam poli, si non fundatur in falsa p̃sumptione, & iudex cõpellet me ad restituendã rẽ illã Domino, si hoc me cognouisse ꝓbetur.

CONCLVSIO.

Si res a bonę fidei possessore sublata fuerit, eidem, & non Domino est facienda restitutio, quia bonæ fidei possessori, & non Domino illatum est damnum, cum ipse rem indemnem proprio Domino seruare teneatur, qualis est commodatarius, qui apud se pignus habet. quid si Domino fuerit facta restitutio, expensæ tantum, quas in rebus furto sublatis inuestigandis fecit, erunt commodatio restituendæ.

4. Diffic. Quando Dominus est incertus, & ignotus cui est restitutio facienda.

Tho. ubi sup. Ric. ar. 5. q. 4 Sco. q. 2. Sylu. uer. rest. 8

Duæ sunt opiniones. prima affirmantium esse authoritate Papæ pauperibus faciendã. Altera esse faciendam Episcopi authoritate. S. Tho. ubi supra ad 2. dicit esse consumendas res illas in pios usus, & in 4. uidetur sentire talia bona esse monasterio tribuenda. reliquorum tamen Doctorum sententia tenet necessario esse in usus pauperum distribuenda.

CONCLVSIO.

Si facta diligenti inquisitione uerus Dominus, uel possessor, cui damnum fuit illatum, non inueniatur, erunt pauperibus res ablatæ restituendæ, aut in pios usus consumendæ. Ratio est, quia quando non apparet Dominus particularis, uniuersali Domino, nempe, Christo, est facienda restitutio, & fit

pauperibus

pauperibus res illas erogando. Dicit enim Christus, quamdiu fecistis uni de his fratribus minimis, mihi fecisti.

Hinc, si non adhibita diligentia, & inquisitione ueri Domini pro qualitate rei restituendæ pauperibus tribuatur, erit restitutio iterū uero Domino facienda, si cōparuerit, sibi imputet secūdā restitutionē, quia debite nō inquisiuit dominū. Appen.

4. Dubium. Quando bona incerta erunt pauperibus erogandæ & in pias causas tribuendæ.

Respondeo cum Sco. hoc fieri debere uiri prudentis consilio, nam quando pauperes graues patiuntur necessitates, illis sunt tribuenda, quando uero pauperes non egent, & Ecclesia indiget, erunt in fabricam Ecclesiæ consumendæ.

CONCLVSIO.

Quando Dominus est ignotus in particulari, & notus in cōmuni, ut si sciam rem, quam habeo, esse, uel Socratis uel Platonis, uel Ciceronis cuius tamen illorum sit, ignorem, tunc non pauperibus, sed illis tribus, ut inter se diuidant, uel sortes mittant, erit restitutio facienda. Iam enim alicui illorum damnum esse illatum in communi intelligitur, & cui damnum illatum est, restitutio est facienda, qui si mortui fuerint illorum hæredibus restituere oportebit. Appen.

Hinc, nihil sine illorum consensu agendum erit, neque unius remissio a restitutione liberabit.

Hinc, qui in bello iniusto pecunias ex aliqua ciuitate hostium rapuit, primum debitam diligentiam adhibere, ut uerū Dominum inueniat, tenebitur, & co non inuento, reipublicæ, cui facta est iniuria, uel Episcopo, & alijs, qui illius ciuitatis siue reipublicę curā habent, res illę restituēdę erunt, hęc S. Th. Appen. *Th. in 4. d. 15. ar. 5. q. 4. ad 3.*

5. Diffic. Quæ per Symoniam sint acquisita, cui sunt restituenda.

Communis est opinio dicentium Ecclesiæ, cui per symoniam facta est iniuria, esse restituenda. Alij illis a quibus sunt accepta restituenda esse affirmant: esse in pios usus consumēda, S. Tho. docuit. *S. Tho. et Med. ubi sup.*

CONCLVSIO.

Si aliquis det alicui usurā per ingorātiam, debet eidem fieri restitutio. Definita est expresse in cap. Veniens, de symonia, alioquin in pios usus consumenda.

6. Diffic. Si pauper teneatur ad restitutionem bonorum incertorum poterit ne sibi facere restitutionem. *Caie. 2. 2 q. 62. ar. 3. Soto ubi sup.*

CONCLVSIO.

Poterit quidem sibi restituere. Ratio est, nam si alius teneretur dare pauperibus, ego possem consulere, ut mihi pauperi daret,

daret, cur non potero mihi retinere, hoc est intelligendum sine dolo, & fraude.

7. Diffic. Qui tenetur bona incerta restituere, aut non uult, aut male restituit, diuitibus illa tribuendo a quo poterit cogi, ut restituat.

Syl. uer. rest. 4

CONCLVSIO.

Ab Episcopo erit compellendus, quia est pauperũ pater.

So. art. 1. ubi sup. Med. q. 4

8. Diffic. Si Dominus rei longe distat, cui erit restituendum.

Respondeo, si creditur rediturus, debitum ei in loco tuto erit seruandum: si non est rediturus, & facile potest ad illum mitti, trãsmittatur: si uero difficulter, erit per epistolam debitum illi significandum.

9. Diffi. Quid, si creditor longe distans, ut sibi mittatur, uelit cuius expensis erit debitum transmittendum.

Variæ sunt opinion. Caie. distinguit, si restituturus habuit a principio rem iniuste, ut fur, debet suis expensis mittere etiamsi expensæ in quadruplo excedant: si autem iuste, utpote ex aliquo contractu, tenetur expensis Domini mittere, & non proprijs, licet restituturus abscesserit. Sco. dicit non esse maiorem sumptum faciendum in missione ualore rei mittendæ, sed expectandam esse Domini præsentiam, quem si creditur non redituum, parentibus, qui si desint, pauperib. esse restituendum, idem docuit Ric. d. 15. Abbas uero in cap. Cum tu, de usuris, & Sylu est distinguunt ita, si possessor malæ fidei, ut fur, recessit a loco, ubi furtũ fecit, tenetur suis expensis mittere: si uero Dominus discedit, expensis Domini, quod si Dominus secum rem illam duxisset, minoribus sumptibus, uel nullis fur ad damnum illud tebebitur. Medina Codice de restitutione affirmat esse expensis eius, qui est obnoxius restitutioni, debitum mittendum.

CONCVLSIO.

Depositarius nunquam tenetur depositum proprijs expensis ad Dominum mittere, sed satis est, ut sit ad reddendũ paratus: tunc enim ex opere iusto, & pio damnum reportaret, si proprijs expensis mittere teneretur.

CONCLVSIO.

Possessor iustus, qui non fuit in mora soluendi, & migrat a loco, ubi a creditore pecuniam accepit, tenetur suis expensis ad Dominum mittere: est enim regula fori iudicialis uerissima, scilicet, ut quicunque aliquid debet aliquo contractu certo in loco facto, in eodem loco soluere teneatur, nisi alius locus solutioni signetur.

Si uero

CONCLVSIO.

Si uero creditor abijt, debitor tunc suis expensis mittere haud tenetur, quia in foro iudiciali ita iudicatur: neq. enim qui pecunias accepit, in tali casu est expensarum causa.

Hinc, si creditor, qui discedit, non mittat nuncium tempore solutioni præfixo, neq; debitum mittere, neq; damnum quod creditori inde sequetur, debitor soluere tenebitur.

CONCLVSIO.

Si debitor existimat creditorem expensas in missione faciē das non soluturum, neque de iustitia, neque de charitate ad debitum mittendum obligatur, quia nullo modo expensas illas soluere tenetur.

Hinc, si expensas est soluturus, & minores faciendæ sunt mittendo mutuatum, tenebitur ex charitate illud mittere.

5. *Dubium. Quid facere iniustus possessor tunc tenebitur.*

CONCLVSIO. *Med.q.2*

Si debitor alio profectus est, suis expensis mittere debet. quia est causa expensarum, neque enim debitoris malitiam creditori nocere æquum est.

6. *Dubium. Quid si creditor, in alium locum se contulit.*

CONCLVSIO.

Si non erat suam rem restitutioni obnoxiam secum deportaturus, fur, suis expensis mittere haud tenetur. Ratio est, quia fur solum tenetur ad restitutionem rei ablatæ, & damni ex furto subsequuti & in casu posito nullum damnum intulit. Hinc, si erat secum rem illam laturus, & sine expensis, debitor proprijs expensis mittere tenebitur: si uero cum expensis, non tenebitur proprijs expensis debitor mittere. hæc Sylvest. & Medina ubi supra. Caietan. uero, & alij absolute tenent, debitorem non obligari ad mittendum suis expensis. *Syl. So. et Med. ubi sup.*

10. *Diffic. Quid de debitore illo qui fuit in mora soluendi.*

Resp. idem omnino quod de malo possessore, erit iudiciū. *So. lib. 4. q 7. ar. 1. & 3.*

11. *Diffic. Si debitor mittat creditori absenti rem debitam, & casu fortuito, uel nuntij malitia pereat, crimine a restitutione liber.*

CONCLVSIO. *Med.q.2 & So. ubi sup.*

Quando nuntius cōmuni opinione fidelis iudicatur, & res eadem numero, quæ fuit ablata, restituitur, & casu fortuito, uel malitia nuntij perit, debitor, qui est bonæ fidei possessor, ut depositarius, a restitutione liberatur, quia non perit negligentia, & culpa debitoris. quotiescunque enim non est aliunde dolus, aut negligentia, res in damnum proprij Domini perit.

Quando

CONCLVSIO.

Quando res, quæ mittitur, non est eadem numero, sed æquialens, debitori, quantumuis iustus possessor sit, & non creditori, peribit, quocunque modo pereat. Ratio est, quia debitor, & non creditor erat talis rei, siue pecuniæ Dominus.

CONCLVSIO.

Si debitor erat malæ fidei possessor, semper in suum detrimẽtum peribit, fuit enim in mora restituendi.

CONCLVSIO.

Si creditor mittat nũtium ad debitum portandũ, si pereat, qualecunque illud sit, creditori peribit, perspicua est conclusio, quam probat Panor. cap. significante, de pignoribus.

12. *dif. Si debitor suis expensis mittere teneatur, & expensæ summam rei mittendæ excedant, debetne tunc mittere.*

ar. 5. q. 4 uer. resti. 4. Med. q. 2. Tho. & So. ubi supra.

Duæ sunt opiniones. Prima Sco. qui dicit tunc rem non esse mittendam, sed hæredibus, uel pauperibus, si non sunt hæredes, dandam. Idem sentit Ric. ubi supra. Sylue. autẽ dicit nõ esse mittendam, uel si adæquant aut parum deficiant. Cõtraria opinio est Caietan. affirmantis proprijs expensis, etiamsi excedant in quadruplo, esse mittendam, quid S. Tho. sentiat, in principio difficultatis de domino absente, diximus.

CONCLVSIO.

Si Dominus longe distat, & res commode illi non potest restitui, sintque multæ expensæ in restitutionem faciendæ, tunc hæredibus illius, uel pauperibus, si creditur illum ratum habiturum, erit facienda restitutio, quæ quidem conclusio est intelligenda, si res restituenda parui momenti fuerit.

CONCLVSIO.

Si res fuerit magni momenti, & creditor illa maxime indigeat, tunc, ut dicit Caiet. erit mittenda, etiamsi expensæ in quadruplo excedant. fraus enim possessori malæ fidei in damnum proprij Domini fauere non debet.

CONCLVSIO.

Si creditor re illa non maxime eget, tunc seruanda est, & creditori per epistolam renuncianda, uel tribuenda est monasterio, facta protestatione, ut Domino, si illam petierit, reddatur. est tamen diligenter animaduertendum in huiusmodi casibus nihil sine arbitrio boni uiri esse faciendum.

13. *dif. Pœnarum, quæ a lege imponuntur, cui est restitutio facienda.*

CONCLVSIO.

Pauperibus, uel Ecclesiæ est facienda restitutio. Definita est expresse in cap. de hoc autem. de symonia.

Hinc

Hinc iudex, qui ratione concussionis, aut homicida, qui ratione homicidii, & uno uerbo, qui ob turpem causam aliquid recipiunt, similiter restituere tenẽtur: dummodo actio fuerit consumata. s. ut iudex impie iudicauerit, & homicida alium interfecerit: alioquin danti erit facienda restitutio: nõ n. dans iudici, aut assassino, habuit uoluntatem transferendi dominium, nisi propter consumatã actionem. hoc uerum est stando in iure naturæ, iure uero positiuo probabile est non esse danti restitutionem faciendam. nam perdit statim omne dominium, & ius repetendi in foro iudiciali: ut ex lege si ob turpem causam, de cõdictione ob turpem causam, cõstat. sed latius de ijs infra. Appen. *Th.* 2. 2. *q.* 62. *ar.* 8. *Ri. ar.* 5. *q*. 4. *Sc. et Medina q.* 2 *Syl. uer. rest.* 5. *S*, *to li.* 4. *q.* 7. *ar.* 4.

Art. 2. *Quando est facienda restitutio.*

CONCLVSIO.

Qui retinet alienum inuito Domino, statim restituere tenetur, quia quandiu retinet, agit contra præceptum negatiuum, non furtum facies. furtum enim non solum est ablatio rei alienæ inuito Domino, uerum etiam retentio.

CONCLVSIO.

Non obligat ad actum exteriorem restituendi præceptum, quando non adest possibilitas, sed ad animi tantum præparationem, est enim præceptum affirmatiuum, & nullus ad impossibile obligatur.

Quando dicimus, præceptum restitutionis statim obligare, intelligemus moraliter loquendo, loco, scilicet, & tempore competenti. non enim media nocte a lecto surgere, uel mensam, aut missam inchoatam relinquere, si tunc restitutionis faciendæ ab ipso, recordetur, satis namque tunc erit animũ restituendi tempore opportuno habere. Appen.

1. *Diffic. Suntne aliquæ causæ, ob quas restitutio differri possit.*

Scot. ubi supra de hac re optime disputat, & est notanda regula generalis, quia multi casus soluuntur: licet rem alienam detinere, quando Dominus rei rationabiliter debet uelle, eã retineri, ex principijs legis naturæ constat. *Th. Sc. et Med. ubi sup. Syl. uer. rest.* 5. *q.* 3

Hinc, quando aliquis est impotens, non tenetur statim restituere. S. Tho. & omnes Doctores hunc casum admittunt, nec tenetur, quando sine sui infamia restituere nõ potest, & creditor ex rei detentione magnũ incõmodum non patitur. Appen.

Nec quando restitutio statim facta est in creditoris, uel cõmunitatis detrimentũ, ut si furiosus gladium petat ad interficiendum seipsum, uel pecuniã ad impugnandum patriam.

Nec quando restitutio statim facta in magnum debitoris detri-

detrimentum, & parum commodum creditoris commodum redundat. communis harum appendicum ratio est regula Scoti, scilicet quia creditor tunc debet rationabiliter uelle, ut non fiat sibi statim restitutio. quilibet enim lege charitatis tenetur magnam bonorũ proximi iacturam uitare, si sine detrimento, uel cum paruo suorũ bonorũ potest, atq. ita tenetur rationabiliter uelle, ut non statim sibi restitutio fiat. Syluestr. regulam Scoti optimũ restitutionis fundamentum esse affirmat, citatque multos grauissimos Doctores, qui illam amplectuntur.

2. *Diffic. Qui iuratus est aliquid, teneturne statim sub pœna noui peccati restituere.*

CONCLVSIO

Qui diutius detinet alienum, magis, peccat, quam qui citius restituit, Quia magis nocet, & maiorem iniuriã Domino facit, & tamdiu detinere poterit, ut de nouo mortaliter peccet, uel præcedens mortale ita grauetur, ut illa circunstantia sit necessario confitenda.

CONCLVSIO.

Non quæcunque restituendi mora, mortale peccatum facit, ut si quis non restituat per unum, uel per tres dies, quod enim parum distat, nihil distare uidetur, dummodo Dominus re illa magnopere non indigeat.

CONCLVSIO.

Qui recordatur rei alienæ, & restituendi notitiõe habet, mortaliter peccat, quia contra Dei præceptum de restitutione facienda agit.

3. *Diffi. Si quis per totam uitam non restituat, augebiturne semper peccatum illud.*

CONCLVSIO.

Sẽper augẽbitur. Ratio est, quia tenebatur habere propositũ formale, uel uirtuale restituẽdi, quod tamẽ nũquam habuit.

1. *Dubium. Quando ille, qui non restituit, nouum peccatum committit.*

Respondeo, quando habet restituendi opportunitatem, & non restituit, & quotiescũque notitiõe restituendi elicit.

4. *Diffic. Qui per totam uitam non restituit, neque propositum restituendi, nisi in articulo mortis habuit, condemnãbiturne.*

CONCLVSIO.

Quicunque habet propositum non restituendi in uita, etiamsi habeat efficax propositum in morte, est in mortali peccato. Ratio est, quia quilibet tenetur restituere sub reatu peccati mortalis, quando potest, & hic cum possit, non restituit. hæc est Magistri Vega, quam docuit legens hanc materiam

etiam & B. Antonini.

CONCLVSIO.

Si ille potest commodè in ar. mortis restituere, & nõ uult, non est absoluendus, quia est in mortali, cum quilibet quando potest, teneatur restituere, & præsumitur hunc non habere propositum restituendi, si superuixerit.

Hinc, qui habet propositum non restituendi per totam uitam, non potest absolui, quia decidit in mortali.

Hinc, ut saluetur, oportet in uita restitutionem facere nec satis est illam hæredibus præcipere: si autem commode non potest, propositum quod habet, tunc mutare tenetur.

5. *Diffic. Eritne absoluendus in aliquo casu, ante mortem nõ restituens.*

CONCLVSIO.

Potest absolui, quando Dominus rei consentit, ut restitutio differatur. Tunc enim dilatio non est contra Domini uoluntatem.

CONCLVSIO.

Quando hæres, & ipsius bona magnam patiuntur iacturã, si statim restitutio fiat, & nullum Domino detrimentum accidit, absolui potest, patet ex regula Scoti, quia Dominus rei tunc debet uelle rationabiliter, ut restitutio protrahatur, quod si creditor incõmodum patiatur, debet etiam cum magna iactura bonorum statim fieri restitutio. Cæterum cum illo, qui habuit in uita propositum restituendi, fuit tamen impeditus, non tanto rigore est procedendũ, sed utendum est Sylue. consilio, quando cum rigore est agendum cum illo, qui nunquam in uita restituẽdi propositum habuit, etiam si Dominus in dilatione consentiat, & cum magna iactura bonorum, quia semper timendum est habere propositum nõ restituendi, si semper uixerit. *Syl. uer. resi. 5*

2. *Dubium. Quid faciet confessor, si infirmus dixerit se non teneri ad restituendum statim, cum tanta bonorum iactura.*

R. quia omnis causa excusans a restitutione ante mortis articulum, excusat etiam in articulo mortis, erit absoluendus, nisi præsumat Sacerdos in eodem proposito, quod habet antea, persistere: erit autem præsumendum, tale habere propositum, nisi aliunde oppositum demonstret. *Syl. et So. ubi sup.*

6. *Diffic. Qui habet magnam pecuniæ quantitatem, & non uult illam simul cum possit, sed successiue restituere, eritne absoluendus.*

CONCLVSIO.

Nullo modo est absoluendus, quoniã est in peccato mortali. potest enim simul, & statim restituere, non tamen uult.

7. *Differ. si nunquam sit restitutionem facturus ille talis, nisi paulatim & successiue restituat, erunne absoluendis.*

Hostien, & Angelus, quos Syluest. ubi supra, citat, tenent posse absolui, præsertim, si dominus detrimentum aliquod non patiatur, aut non maxime indigeat.

CONCLVSIO.

Nequaquam absolui potest, quia est in mortali peccato, cum possit statim totum restituere, & nolit. uerum nota posse restitutionē differri a confessore, quoties pœnitens habet iustas excusationes ad restitutionē protrahendā: non enim cōfessor debet esse nimis rigorosus, si est timoratę cōscientię.

3. *Dubium Tenebiturne semper, pœnitens confessori in hac materia obedire.*

Syluest. ubi sup.

R. primum communiter obedire, etiam si confessor non sit uir doctus, propter reuerentiam confessori debitam.

Secundo pœnitens propter aliquā iustam causam restituere statim non tenetur, & sacerdos uelit illum ad restituendum obligare, non debet tunc confessori obedire, poterit autem pœnitens scire se non teneri, uel quia est confessore doctior, uel quia doctiores consuluit.

Tertio poterit pœnitens tunc, citra mendacium tamen, confessorem, ut ab illo absolutionem obtineat, decipere, dicens. Pater mi sciā diligentissime omnia, quæ facere teneor, libentissimeque faciam.

8. *Differ. Confessor poterit debitorem: qui multoties restituere promisit & non restituit, quoties promiserit, absoluere.*

Duæ sunt opiniones. Vna affirmans, quia si de præteritis doleat, & restituere proponat, cum non possit, tunc temporis amplius facere, erit absoluendus. Altera opinio est negans, utraque est probabilis, nam uerisimile est si ante absolutionē non restituat, postea non restitutum, quia ex præteritis futura conijcere licet, atque ita non erit absoluendus, ut secunda opinio tenet. Est tamen diligenter animaduertendum eo difficilius esse absoluendum, quo sæpius restituere promisit. Nam toties poterit a promissione deficere, ut uerisimile sit, non esse restitutionem facturum, & tunc temporis etiamsi sit in gratia, non erit absoluendus, quoniam esset relinquere illum in peccandi periculo.

Th. ar. 3. citato.

4. *Dubium. Ille, cui remittitur debitum, & habuit animum restituendi, erit absoluendus.*

CONCLVSIO.

Erit quidem, si Dominus libere remittat, quia Domino licet

licet de bonis suis, quod uoluerit, facere: tenebitur tamen de proposito dolere.

9. Diffic. Qui non potest sine mutatione status restitutionem facere tenebiturne statim restituere.

V.g. si usurarius, qui ære alieno negociabatur, qui, si statim restituat, compelletur artificio uiuere, & idem dicendum de nobili, qui compelletur inferiorem statum assumere.

Caiet. 2. 2. q. 62. 1. art. 8. Adri. q. 1. de restitutione Sylvest. uerbo restitutio. 5. Duas opiniones citat, & prima est partem affirmatiuam tenentium, ita ut teneatur se omnibus bonis expoliare, quo usque mendicare cogatur. Secunda opinio, & cõtraria est Scoti. d. 15. q. 2. art. 4. Adr. Sylvest. & Caiet.

CONCLVSIO.

Quãdo res obnoxia restitutioni extat, & debitor extremã necessitate non laborat, illam statim restituere tenetur etiam si statim mutare cogatur, utsi det reditus alienos. Ratio est, quia tunc potest restitutio differri, quando quis damnum in re propria patitur: at uero quando res aliena extat, si illam restituat, nullum in re propria detrimentum patietur, nullus enim aliena iactura locupletandus est.

Hinc, nobiles, qui detinent uillas & alienas possessiones, ne a magnitudine status, & familiæ cadant, & eorum confessores rei alienæ conscij in statu damnationis esse dicuntur, nisi ignorantia, uel alicuius Doctoris opinione excusentur.

CONCLVSIO.

Iniustus possessor statim restituere tenetur, quamuis ex tali restitutione detrimentum lucri cessantis patiatur, & est statum mutare, atque etiam mendicare compellatur, ut si usurarius ex tali restitutione stipendio uiuere, aut mendicare cogeretur. Ratio est, quia nemo potest aliena pecunia negociari aut lucrum facere, regula enim lucri cessanti intelligitur, de lucro non ex aliena, sed ex propria pecunia acquirendo, neque tunc mutare statum dicetur, nam proprius status non ex aliena, sed ex propria pecunia est comparandus.

CONCLVSIO.

Debitor iniuste acceptionis statum restituere tenetur etiamsi damnum emergens in propris bonis patiatur, utsi usurarius domum, & uniuersa supellectilia uilius uendere cogeretur. Probatur eadem ratione, quia proxima conclusio. Nam tunc non mutaret statum, non enim ille erat suus status, sed alienus cum ex pecunia esset comparatus. potius namque ad proprium statum reduceret, & ita intelligenda est opinio supra. *Caiet. ubi sup.*

pra posita dicens, etiam cum mutatione status esse restitutionem statim faciẽdam. Erit tamen optimum consilium, tunc a creditorib. solutionis dilationem petere, & si debitores fuerint incerti, cum sede Apostolica compositionem facere.

CONCLVSIO.

Debitores ex iusta acceptione non tenentur statum mutare, neque lucrum cessans relinquere, ut statim creditorib. satisfaciant, sed possunt, ne in damnum emergens incidant, differre solutionem. Ratio est, quia in tali casu creditor dilationem concedere tenetur, & si nolente retineatur, non erit rationabiliter nolens, & inuitus: nemo namque tenetur restituere cum maiori detrimento, quam sit rei restituendæ prætium, & cadere a statu, est maximum detrimẽtum.

CONCLVSIO.

Quando creditor ex *dilatione debiti detrimentum aliquod patitur, ne debitor cum mutatione status ad soluendũ compellatur, debitor tunc damnum illud resarcire, quando ex culpa sua incidit in illam impotentiam*, tenebitur. Ratio est, quia est causa damni, & qui causam damni dat, damnum dedisse uidetur, ut in cap. finali. de iniurijs, legitur.

CONCLVSIO.

Debitor bonæfidei cum mutatione status restituere non tenebitur, quamuis creditor ex dilatione solutionis statum quoque mutare compellatur. Ratio est, quia in pari causa necessitatis, melior est possidentis conditio, quemadmodum in pari turpitudinis causa, obligatur tamen debitor damnum, quod creditor ex dilatione solutionis patitur, resarcire.

CONCLVSIO.

Sco. ẽ cui adhæsit Caie.

Quando debitor non potest sine periculo, aut detrimento propriæ famæ restituere, ad restitutionem statim faciendam non est compellendus, sed expectandum est tempus, quando tale detrimentum non timeatur. Ratio est, quia bona inferioris ordinis, non sunt restituenda cum detrimento bonorum superioris ordinis, qualis fama respectu pecuniæ iudicatur.

Appen. Hinc, qui furatus est rem alienã, poterit restitutionem differe, si timet statim restituendo latrocinij notã contrahere.

CONCLVSIO.

Quando res restituenda est magna, & infamia mediocris uel minima, debitor cum detrimento propriæ famæ restituere tenebitur, quia fama est bonum temporale æstimabile pecunia, & tanta potest esse res restituenda, ut famam debi-

toris

toris longe superet, & intelligitur conclusio, quando non expectatur commodius tempus, in quo sine periculo famæ possit fieri restitutio.

CONCLVSIO.

Quando creditor est pecuniam debitam in proprium damnum, siue alterius priuatæ personæ, siue reipublicæ consumpturus, poterit, & tenebitur debitor differre solutionem. Nã tũc peccaret, quia peccato creditoris cooperaretur, sed de his supra.

CONCLVSIO.

Debitor tenebitur cũ diminutione status creditoribus soluere, si aliter satisfacere non potest. Ratio est, quia habere magnam cateruam famulorum, equorũ, &c. cum dispendio creditoris ab obligatione restituendi non excusat, quia sine magna familia status nobilium conseruari potest. detinetur enim sine iusta causa inuito Domino alienum.

Hinc, consulendum est nobilibus, ut statũ minuant, quod est illorum confessoribus maxime animaduertendum. Appen.

V. Dubium Quare periculum status aliquando obligationem restituendi tollit.

Respondeo, quia cadere a statu est magna infamia, & propter uitandam infamiam integrum est creditore non egente restitutionem differre, ut ex superioribus constat. Appen.

Hinc, in his, qui non habent statum, nulla est ratio ratione status, qua a solutione statim facienda liberentur.

10. Diffic. Tenebiturne debitor seipsum uendere ut restituat.

CONCLVSIO.

Nequaquam ad istud obligatur, quia libertas est bonum superioris ordinis. pecunia uero restituenda inferioris. Ric. ar. 5 q. 4.

11. Diffic. Tenebitur mendicare, ut statim restituat.

Raymundus, quem ad istud citat Sylu. teneri affirmat.

CONCLVSIO. Ver. rest. 5.

Nequaquam tenetur, etiamsi iniusto titulo possideat, quia mendicitas solum est ad uitæ sustentationem, & ideo æquum non est, ut quis eleemosynis se sustentet, atque restituat: leges enim & iudices ad mendicandum, ut fiat restitutio, minime obligant.

12. Diffic. Tenebitur aliquis ad restituendum manibus laborare.

Soto dicit teneri uendere bona, ut satisfaciat, etiamsi inde periculum laborandi, & mendicandi sequatur. So. lib. 4. in fi.

Duæ sunt opiniones probabiles. Prima duabus sequentibus conclusionibus continetur.

CONCLVSIO.

Qui nunquam laborauit, nec scit aliquod officium laborare, ad restitutionem minime tenebitur: esset.n. inhumanum illum ad laborandum, ut restituat, obligare.

CONCLVSIO.

Qui habet officium, quo singulis dieb. lucratur, ultra sufficientem sustentationem, quod supereſt, restituere tenetur: nam potest commode, & sine aliqua difficultate restituere.

Secunda opi. tenet, nullo modo obligari, postea quam omnia bona sua dedit: uerum si quid post sufficientem sustentationem supersit, restituendum esse docet.

13. *Diff. Teneturne aliquis seruire ad restituendum.*

Duæ sunt opin. prima affirmat, nullo modo teneri postea quam omnia bona sua dedit. Altera est contraria.

CONCLVSIO.

Persona nobilis, quę nunquam seruiuit, seruire ut restituat, non tenetur, quemadmodum persona, quæ consueuit, & pōt seruire ad tempus, & non per totam uitam, seruire tenetur. Op positum.n. esset difficile, & ad perdendam totam libertatem obligaret,

13. *Dif possumne debitores in foro conscientiæ uti beneficio quarundam legum ciuilium, & aliquid sibi ad uitæ sustentationem seruare.*

Adr. tenet debitorem posse retinere omne illud, quod sibi lege permissum est, quando utiliter creditoris negotiū gerit, non autem propter suam solam utilitatem, nam tunc retinendo mortaliter peccaret, nisi extrema necessitas urgeret.

CONCLVSIO.

Personæ priuilegiatæ possunt uti beneficio legum priuilegia concedentium in foro conscientiæ. Nam cum leges illæ sint iustæ, ius in utroque foro concedunt, respublica.n. cū sit domina bonorum particularium: ut in q. i. huius tract. declarauimus, poterit pro communi utilitate talibus personis applicare illa, & tunc quod suum non est, retinere minime dicuntur, uariæ autem sunt leges priuilegia concedentes, quas breuitati studens prætermitto.

Cai uer. resi i.c.8. Syl. uer. resi 6 Med. q.12 Nauar. i manu. c. 7.nu. 47

Art.3. Quo ordine est facienda restitutio.

CONCLVSIO.

Quando debitor habet bona, quibus possit singulis creditoribus satisfacere, non est necessario solutionis ordo seruandus. Propter ea quod nulli fit iniuria.

Si

CONCLVSIO.

Si non habet bona, quibus possit omnibus satisfacere, & res eadem numero restitutioni obnoxiæ apud illum extãt, tenetur easdem numero creditoribus reddere: quia cum nõ sint consumptæ, & non habeat illarum rerum dominium, per illas aliis creditoribus satisfacere haud poterit.

CONCLVSIO.

Si non extent eædem res numero, & habet bona empta, quorum precium nondum est solutũ, uenditori prius erit satisfaciendum. Ratio est, quia quod pluribus obligationibus debetur, est debitis ex paucioribus obligationibus anteponendum, & precium rei emptæ. v. g. Domus debetur obligatione reali, quia manet creditori obligata, & personali, quia emptor est quoque uenditori obligatus. ad alia uerò debita sola obligatione personali tenetur. Et est definitum in lege, assiduis. C. qui potiores in pignoribus habeantur. hoc intelligo nisi facta fuerit pretiosior (Porque si se ha mejorado, y subido el precio) Erit uendenda, & quod residuum fuerit, alijs creditoribus restituendum.

CONCLVSIO.

Quando sunt plures Creditores, & cætera bona sunt uni hypothecata, illi est prius facienda restitutio. bona n. hypothecata debẽtur duplici obligatione, reali, scilicet, & psonali.

Propositio.

Sunt autem seruanda statuta municipalia, & leges quibus ordo satisfaciendi creditoribus determinatur, iuxta quas uxorum dotes sunt alijs debitis, etiam antiquioribus anteponendæ. Has leges confessores scire non tenentur: debent tamen iurisperitos consulere, si negotium hoc postulauerit.

CONCLVSIO.

Debitor prædictum ordinem restituendi transgrediens, mortaliter peccat. Ratio est, quia committit iniustitiam contra creditorem. Cæteris secundum ius præferendum.

CONCLVSIO.

Creditor, qui erat posthabendus, non tenebitur ad restitutionem, si prius fuerit illi facta solutio: non enim alienum tũc sed quod suum est, retinet

CONCLVSIO.

Si debita fuerint æqualia eadem, scilicet, obligatione debita, non est ordo aliquis seruandus. Ratio est, ex regula iuris in 6. nam tunc, qui prior est tempore, potior est in iure.

1. Dubium. *An obligatio ex delicto sit præferenda obligationi ex contractu licito.*

V. g. an teneatur restituere usuras uni, priusquam alteri mutuum.

Duæ sunt opiniones. Prima Caie. asserentis usurariũ prius teneri ad satisfaciendum creditori ratione contractus liciti quam creditori cui sunt restituendæ usuræ, dummodo per talem contractum non sit factus impotens ad soluendas usuras, ut est contractus donationis, dotationis, &c. in quibus contractib. usurarius nihil accepit, & bona alienauit.

Contraria opinio est Medinæ C. de restitutione *in quæst.* de usura restituenda, dicentis, si usurarius non habet alia bona præter acquisita per usuras, prius tenetur usuras soluere: si autem alia habet bona, & debitum usurarium est antiquius, erit cæteris debitis præferendum, sin minus, post ponendum.

CONCLVSIO.

Quando concurrunt *duo creditores, unus cui* sunt usuræ restituendæ, alter cui debetur pecunia ex *contractu licito*, tunc secundus, & si sit posterior, est primo præferendus: nam ille creditor est præferendus, qui magni est damnificatus, & cui sunt restituendæ usuræ, aliquam utilitatem est consequutus, quia mutuum fuit sibi præstitum: secundus uero nullam. Intelligenda est conclusio, quando usurarius habet alia bona licite acquisita. Nam si omnia sunt pecunia usuraria empta, omnia etiam sunt hypothecata creditoribus, quibus usuræ restituendæ. Perinde quando res acquisitæ per usuras extant, ut si usurarius habeat equum, & alia bona per usuras data, cum non habeat earum dominium, ante omnia sunt restituendæ.

CONCLVSIO.

Quando debitum est contractum ratione furti, si fur alia bona habeat licite acquisita, prius tenetur furti, quam alio rum debitorum ex contractu licito facere restitutionem. Ratio est, quia ad restitutionem furti tenetur duplici obligatione, scilicet, ex iniusta acceptione, & ex iniusta retentione: at uero in alijs debitis solum ex iniusta detentione obligatur, quia ex uoluntate contrahentium accepit.

CONCLVSIO.

Quando debitum ex ratione maleficij, ut homicidij, aut hæresis, prius omnino debita ex contractu licito sunt soluenda. Ratio est, quia debitum ratione maleficij est pœnale, & leges pœnales non possunt aliquem in detrimentum legitimi credi-

mi creditoris punire. Tum etiam, quia ratione malefici j ali quis tantum obligatur personaliter: homicida enim si suspendatur, ad nihil amplius tenetur: qui autem debet ex contractu licito, tenetur obligatione personali, & reali; propterea quod omnia eius bona tacite sunt creditoribus hypothecata.

1. *Diffic. Estne obligatio onerosa liberali obligationi præferenda.* *Medina, ubi sup.*

Est quidem onerosa, quamuis sit tempore posterior antepo nenda. Ratio est, quia creditor ex contractu permutationis magis damnificatur, quam creditor ex contractu liberali, si debitum non soluatur, nisi aliunde ille cui facta est donatio, graue damnum, si donatio non fieret, pateretur.

Art. 4. An qui est obnoxius restitutioni tantum semper quantum abstulit restituere teneatur. *Sot. li. 4. q. 6. ar. 4*

CONCLVSIO.

Detinens alienum inuito Domino, omnes fructus, non ex industria propria, sed natura rei acquisitos, restituere tenetur. Ratio est, propterea quod cuius est rei dominium, eius sunt rei fructus, cum nullus ex re aliena sit ditandus.

Hinc, fructus pecoris, ancillæ, iumenti, &c. Dominis rerum sublatarum erunt, deductis tamen expensis, ut ex ca. Ad nostram, de iureiurando colligitur, restituendi.

Hinc, fur ad restituendum quæ sua industria ex aliena pecunia negociando lucratur, minime obligatur.

CONCLVSIO.

Retinens alienum inuito Domino est quoque obligatus ad lucrum cessans, & damnum emergens restituendum, quia est causa damni, & qui causam damni dat, damnum dedisse uidetur.

Hinc, qui furatus est equum, tenebitur soluere periculum, quod Dominus equi soluit alium conducens, quem non erat conducturus ad iter faciendum, atque etiam lucrum, non locando equum sublatum, cessauit.

Hinc, qui furatus est triticum, si Dominus illius ad sustentandam familiam duplo precio coactus est emere triticum, tenebitur precium illud soluere, etiamsi tempore furti non tantum ualeret, propter damnum emergens, simil iter etiãsi Dominus uenditurus erat triticum tempore, quo ualebat duplo, erit totum restituendum ratione lucri cessantis.

Si autem non erat Dominus uenditurus triticum, nec emit aliud, quia ditissimus est, si frumentum extat, illud restituat, sin minus, quantum tempore furti ualebat.

Si res

CONCLVSIO.

Si res est precioſior, tenebitur fur illam eandem reſtituere deductis expenſis, dummodo facta ſit precioſior. non ex natura rei, ſed per furis induſtriã. cõſtat ex c. 1. De iureiur. neque enim æquum eſt ut Dominus rei aliena iactura ditetur.

Hinc, ſi equus ualet ducentos ducatos tempore reſtitutionis induſtria, & labore furis, qui tempore furti ualebat centum dumtaxat, tenebitur Dominus tunc laborem, & expenſas, & induſtriam, quib. omnib. factus eſt equus precioſior, ſoluere, etiam ſi ipſe eandẽ diligentiam, & induſtriã appoſuiſſet. Appen.

CONCLVSIO.

Si res tempore ſolutionis eſt minoris prætij ex *natura rei*, res ſolum reſtituenda erit, & precium minime ſupplendum. v.g. uſurpauit aliquis dolium uini. detinuitque per mẽſem, & uerſum eſt ex natura ſua in acetum, ſolum acetum reſtituere tenetur, ſecus autẽ ſi ex culpa ſua res fuerit deterior effecta. qa tũc ratione damni emergẽtis preciũ ſuplere tenebitur.

CONCLVSIO.

Si res ſublata furto, & inuito Domino retenta *perijt caſu* fortuito, quo in poteſtate Domini fortaſſis non perijſſet, debitor illam reſtituere tenebitur. Ratio eſt, quia res perijt eo quod fuit in mora reſtituendi. Nam ſi ſtatim reſtituiſſet, fortaſſis non perijſſet.

CONCLVSIO.

Si res omnino perijt, & non culpa furis, eademque erat in poteſtate Domini peritura, non pretiũ rei, ſed fructus ſi quos erat Dominus habiturus: aut damnum emergens, ſi quod paſſus eſt, ſin minus, nihil reſtituere tenebitur. Et ratio eſt, quia tunc nullum illi damnum intulit, quando enim nullum dãnum ſequitur ex culpa furis, ad nullam tenetur reſtitutionem.

Opinionem contrariam tenent aliqui, quos Medina ubi ſupra. in fine quæſtionis citat.

1. *Diffic Petrus erat Ioanni ſoluturus centum menſuras tritici & diſtulit ſolutionem per duos annos, ualebatque carius aut uilius tempore, quo triticum ſuſcepit, tenebiturne triticum, uel tritici precium ſoluere.*

CONCLVSIO.

Quando fuit ſolutio ex uoluntate creditoris dilatata, ſolũ tenebitur præcium, quod pro tritico ſoluebatur tempore ſolutionis in contractu præfixo, non autem triticum reſtituere: alioqui enim creditor eſſet uſurarius. quia pro menſura ualẽte decem, reciperet decem, & octo, propter ſolam ſolutionis dilationem. & ſi frumentum ualeret minus, damnum recipe-

ret, ſi

ret, si frumentum solueretur, quia reciperet mensuram ualentem 15. dragmas, pro ualente decem. qua propter nullo modo frumentum, sed æquiualens in pecunia erit restituendum.

CONCLVSIO.

Quando solutio differtur ultra terminum a uoluntate creditoris præfixum, si creditor in nullo est damnificatus, nō debet solui frumentum, nisi iuxta precium quo tempore in contractu præfixo uendebatur; nāsi solueretur frumentū & ualeret plus tēpore solutionis, creditor esset usurarius, quia ratione dilatatę solutionis plus exigeret, quā si nō esset dilatata solutio.

CONCLVSIO.

Si dilatata solutione contra uoluntatem Domini, Dominus fuerit damnificatus, omne damnum debitor resarcire tenebitur ut si carius triticum emat sibi, & suæ familiæ, quod nō emisset, si suo tempore fuisset facta solutio. Ratio est, quia debitor fuit creditori illius damni causa.

2. *Diffic. An dominus satisfacere teneatur iniuriam, uel damnum a proprio mancipio alteri illatum.*

CONCLVSIO.

Quando Dominus fuit causa damni, ad restitutionem tenebitur. quia, qui causam damni dat, damnum dedisse uidetur, & habetur expresse in Cano. *Si bos.* de iniurijs.

Hinc, si non fuerit causa damni, nō tenebitur, esset enim contra iustitia obligare illum ad restitutionem.

QVÆSTIO QVIS TENEATVR AD restitutionem. *Al. Alē. q. 86. m. 3. Caieta & S. Th. 2. 2. q. 62. ar. 7 Soto. q. 7 ar. 2. li. 4*

Art. 1. An possessor bonæ fidei restituere æquiualens rei alienæ teneatur, postea quam illam consumpsit.

V. g. cēnaui galinā furto sublatā, uel cōsumpsi pallium furto sublatum, quæritur modo, an teneat æquiualens restituere.

CONCLVSIO.

Possessor bonæ, aut malæ fidei non tenetur restituere lucrum, quod propria industria ex re aliena sibi cōparauit. quia lucrum non est alienum; ut supra diximus.

CONCLVSIO.

Possessor bonæ fidei tenetur restituere lucrum indirectum ex aliena re acquisitum. v. g. si erat usurus re propria, & aliena utatur, tunc quantum ex proprijs bonis erat consumpturus, restituere tenebitur. quia iniustum est re aliena locupletari sine propria industria, & cum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, quantum ex alienis bonis locupletatus fuerit, restituere tenebitur.

Hinc,

Hinc, possessor bonæ fidei, qui uendidit rem alienam, quã dono acceperat, tenebitur ad totius precij restitutionẽ, quia in illo factus est ditior.

Hinc inuitatus ad cœnam furtiuam, si bona fide accessit, tenebitur restituere, quantum erat in propria cœna consumpturus, & non amplius, quia in illo tantum factus est locupletior, & si nihil erat domi consumpturus, nihil restituere tenebitur, reliqui uero, qui mala fide accesserunt, restituere debẽt.

Hinc, si bona fide emit uestem elegantem, & illa est per annum usus, non plus restituere tenebitur, quanto uale (*Loquetur horro de sus uestidos.*

Hinc, qui bona fide rem alienam distraxit, & nõ est factus locupletior, ad nullam tenebitur restitutionem, ut si rem a fure datam dono dedit, aut quanti emit, tanti uendidit, quia non est factus locupletior. &c.

1. Diffic. Qui damnificauit præter intentionem, tenebitur no restituere damnum.

Scot. q. 2. ad vl. Ri. ar. 5. q. 3. So. S. Th. & Caie. vbi supra.

CONCLVSIO.

Qui sine culpa sua, & præter intentionem fortuito damnũ infert alicui, ad restitutionem non tenebitur. Ratio est, quia ubi non est deprauata intentio, uel culpabilis negligentia, neque est iniusta damnificatio, neque restituendi obligatio: tũc enim dicitur aliquis alium iniuste damnificare, quando est illius damni causa; ut qui ex intentione, uel ex culpabili negligentia damnum infert.

Hinc, qui præter intentionem dando operam rei licite damnum intulit comburendo segetes, siue occidendo animalia, &c. non tenebitur ad restitutionem.

Hinc, Petrus, qui occulte occidit hominem, non tenebitur damnum resarcire Ioanni quod recipit, eo quod fuit in iudicio condemnatus, quia hominis interfecti inimicus erat. Ratio est, quia non fuit damni causa, licet fuerit occasio.

CONCLVSIO.

Nunquam est damnificatio iniusta, nisi ex intentione damnificandi, aut ex negligentia prohibendi damnum alterius quod prohibere tenebatur. Ratio est, quia damnificatio iniusta tunc est, quando est causa damni, & non est causa, nisi ex intentione damnũ inferat, uel ex defectu diligentiæ propter officium adhibendæ, sequatur.

Hinc, Petrus interficiens hominem occulte animo nocendi Ioanni, ut homicidium illi ascribatur ob inimicitias cũ occiso, tenebitur damnum resarcire, quia animo deliberato dãnifi-

nificauit. Hæc colligitur ex Ricardo,& Scot.qui legem ciuilem ad hoc probandum adferunt.

Oppositum tenet Soto affirmans,nullam intentionem malam esse restitutionis causam, contra legem ab Sco. citatam.

2. *Diffic. Quando plures concurrunt ad damnificandum, uno soluente totum, reliqui pro rata tenebuntur pecuniam illi restituere.*

Al. Alē. ubi supra ar. 4. Me. q. 18 9. et 10. Sc. li. 3. q 7. ar. 4. Cai. ubi sup. S. Th.

CONCLVSIO.

Si res acceptæ penes participantes in furto seu rapina extāt uel sunt ab illis consumptæ,participantes tunc pro rata restituenti uero Domino restituere tenentur. Ratio est, quia cum participantes restituere teneantur,& non uero Domino,iam enim illi est satisfactum, ergo restituenti insolidum, qui in iure uero Domino succedit.

1. *Dubium. Quid si ex damnificatione iniusta nullum lucrum emanauit, tenebiturne tunc insolidum restituenti pro rata satisfacere.*

CONCLVSIO.

Si qui restituit insolidum fuit ab alijs ad damnificandū inductus,cæteri illi pro rata soluere tenētur. Ratio est, quia fuit ab alijs damnificatus, propterea quod ab illis fuit ad malum inductus, & licet sponte commiserit delictum,sponte tamen nō cōtraxit restituēdi obligationē,in qua damnificatus fuit.

CONCLVSIO.

Si integre restituēs nō fuit inductus,sed alios inducēs,reliq pro rata ad restitutionē nō obligātur,ipsi enim nō fuerūt causa damnificationis. Imo ab inducēte dānificati sūt,cū illos in obligatione restituēdi cōstituerit: si insolidū nō satisfeciſſet.

CONCLVSIO.

Quando,qui restituit integre,se alijs spōte obtulit, neque fuit inductus,neque inducens ad malum, cæteri pro rato ad restitutionem obligantur: dummodo malum non potuisset a singulis,sed ab omnibus comiunctim committi,ut si ad uulnerandum duos homines essent necessarij tres. Et ratio est, quia tunc quilibet illorum præstando alteri auxilium, illum damnificauit,propterea quod restitutioni obnoxiū reddidit. si enim non fuisset auxiliatus, non esset commissum delictū, neque orta restituendi obligatio.

CONCLVSIO.

Quando maleficium poterat ab uno committi, quamuis duo, aut plures se offerant, tunc uni restituenti in integrum cæteri pro rata refundere non tenentur. Ratio est, quia nullus alteri opem ferens causam damnificandi dedit: neque in obligatione restituendi alium constituit cum ma-

leficium

leficium ab uno solo committi potuerit. est igitur radix hu-
ius q. quod si unus socius est causa; ut alter maleficiū cōmittat,
tenebitur ad restitutionē pro rata; sin minus, nō obligabitur,

Caiet. ubi supr. Sot. li. 4. q. 7. ar. 3. Medina. q. 8

3. Diffic. Quando plures ad restitutionem in solidum obligantur, poterit uerus dominus, cui facienda est restitutio, suam partem quibusdam remittere, & totum debitum ab alijs exigere.

CONCLVSIO.

Creditor multos habens debitores insolidum potest in iudicio conuenire ditiores remittendo pauperibus actionem. Ratio est, quia quando plures debitores sunt insolidum, electio est creditoris, ita ut quem maluerit, conuenire possit.

CONCLVSIO.

Quando uni soluenti insolidum, cæteri pro rata restituere teneantur, creditor extra iudicium remittere debitum alicui quibus non poterit. Ita ut soluenti insolidum non teneantur. Et ratio, ut supra diximus, est, quia ita soluens respectu participantium loco ueri Domini succedit.

4. Diffic. An participantes in aliquo damno, damnificato insolidum satisfacere teneantur.

Hæc difficultas uaria in se continet dubia; ad quorum intelligentiam est animaduertendum, nouem esse genera participantium, quæ sequentibus carminibus continentur.

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Nō obstans, Non manifestans. de quibus singulis singula sunt proponenda dubia.

2. Dubium. An iubens damnum fieri, ad restitutionem teneatur.

CONCLVSIO.

Præcipiens rem licitam, ex qua præter intentionem iubentis damnum sequitur. ad restitutionem non tenetur, ut si ex ludo hastarum a principe præcepto homicidium sequatur. Ratio est, quia præcipiens non est causa illius damni. Nam causa damnificans est agens secundum intentionem, & homicidium tunc præter intentionem sequitur.

CONCLVSIO.

Præcipiens rem illicitam, ex qua per accidens sequitur proximi damnum, tenetur ad restitutionem, si fuerit damnū immediate per exequutores factum, ut si quis præcipiat suis familiaribus segetes. N. comburere, & illi credentes esse. N. segetes, uicini segetes adurerent. Et ratio est, quia quicunque iniuste damnum infert, ad restitutionem tenetur: & sic iubēs, quamuis præter intentionem iniuste intulit damnum. notanter dicitur, si immediate fuerit damnum per exequutores sequu-

tum.

tum. Nam si aliunde, quamuis sumpta occasione ex illius facto, non tenebitur ad restitutionem: ut si pater familias iussisset seruo suo occulte. N. uulnerare, & a prætore comprehensus fuisset Bernardus, tanquam uulnerator, & tormentis uexatus, nõ teneretur iubens ad restitutionem. quia nec immediate, nec mediate damnum Bernardo intulit, sed illũ damnificauit, qui sumpta occasione ex uulnerib⁹. N. accusauit. quod aperte colligitur, ex c. Continebatur, de homicidio.

3. *Dubium. Exequutor damni tenebiturne ad illius restitutionem.* *S. Th. 2. 2. q. 62. ar. 7. & ibi. Cai.*

Duæ sunt opiniones, quas affert Caieta. & Syluest. uerbo usura 7. §. 5. prima docet exequutorem tunc non teneri ad restituendum damnum, si illud poterat per alium inferre. Alia opinio est omnino contraria.

CONCLVSIO. *Al. Alẽ. Ric. & Soto ub supra.*

Qui est minister, & causa actionis iniquæ, si iubens non restituat, ad restitutionẽ tenebitur, constat ex c. Si culpa. de iniurijs ubi dicitur, qui causam damni dat, damnũ fecisse uidetur.

Progeneræ, & intercusores mediãtes inter usurarium, & solũetes usuras, tenẽtur ad restitutionem. quia sunt damni causa.

Hinc, omnis minister actionis iniuste, quamuis inde nullum cõmodum assequatur, ad restitutionem tenetur, ut sunt ministri furti, rapinæ &c.

Hinc, omnes milites cognoscẽtes tẽpore belli, aut postea bellum esse iniustum, ad restitutionem totius damni inquantum possunt, & insolidum singuli ad restitutionem tenentur. Nam quilibet est causa. damni.

CONCLVSIO.

Quando minister malefactoris nõ est iniustæ actionis causa, quia iam est consumpta, sed operatur aliquam actionem, quæ ex actione iniusta sequitur, non tenetur ad restitutionẽ. uerbi gratia, qui scribit ad memoriam fœneratoris conseruandam. Et ratio est, quia non cooperatur actioni iniustæ, cum iã sit consummata.

CONCLVSIO.

Minister missus ab usurario ad pœtendum fœnus est restitutioni obnoxius, etiam si mutuatarius sponte esset solutu-rus. Ratio est, quia cooperatur malitiæ usurarij, cum sit negociorum gestor. Nam idem uidetur ualere, uade, & pete a Ioanne usuras, atque uade, & rape ab illo bona sua. Neque sponte soluit. Quia non solueret, si posset. Et tandem exequutio contractus usurarij, iam facti est peculiare peccatum. Contra Soto, est lib. 6. q. 1. art. 4.

Quando

CONCLVSIO.

Quando ministri ignorant actionis iniustitiam, ad restitutionem non tenentur ut si sit usura palliata. Ratio est, quia propter hanc ignorantiam non fuit actioni iniustæ, quātum est ex parte sua, cooperatus.

Al. Alē. ubi supra S.Th. art. 7. q. citata Ric. q. 4. et 5. ar. 5 Med. q. 7

3. *Dubium. Qui consentit, ut iniqua & iniusta actio fiat, tenetur ad restitutionem.*

CONCLVSIO.

Qui consentit, ut damnum alicui inferatur. Ita ut sine eius cōsensu damnum minime sequeretur, ad restitutionem insolidum tenetur. Ratio est, quia consensum ab eo præstitū, fuit causa damni, & iniustitię, Definita est in can. notum sit, 2. q. 1.

Appen.

Hinc, si plures iudices iniustam sententiam proferant, quilibet insolidum tenebitur ad restitutionem, uno tamen restituente, cæteri, ut diximus, a restitutione liberantur.

Appen.

Hinc, quando plures *in collegio cōsentiunt*, ut aliquis collega iniuste cōpellatur, omnes ad restitutionem obligantur.

CONCLVSIO.

Suffragatores iniustitiam committētes ad restitutionem tenentur, qui uero iniustitia iam facta suffragantur, ad nullam obligantur restitutionē. Verbi gratia, si sint duodecim consiliarij, septem priores sunt restitutioni obnoxij, posteriores quinque nequaquam, licet mortaliter suffragando peccauerint: non enim sunt causa iniustitiæ, cum iam præcedentibus suffragijs sit iniustitia commissa, & reuocari sententia nō possit, nam si posset, proclamare tenerentur.

CONCLVSIO.

Quando suffragia sunt occulta, ut in electionem cathedrarum, & prælatorum iuxta decretum Concilij Trident. & plures fuerūt suffragatores iniusti, tunc illi tantum, per quos, cōsummata est iniusta actio, ad restitutionē obligantur, quia illi fuerunt iniustitiæ causa scilicet, maior pars cap. uel senatus.

Hinc, cæteri consentientes, si non fuerunt per suum cōsensum damni causa, mortaliter peccant, sed non tenentur restituere, cum non fuerint iniustitiæ causa.

5. *Dif. Qui per adulationem inducit alium ad furtum, uel ad aliquā iniustitiam perpetrandam, tenebiturne ad restitutionem.*

CONCLVSIO.

Tunc adulator ad restitutionem tenetur, quando probabiliter existimare potest, ex tali adulatione iniustam acceptionem, siue retentionem, siue damnificationem subsequutam fuisse. Ratio est, quia fuit iniustitiæ causa.

Hinc

Hinc qui contrahit amicitiam cum Titio, uel offert illi munera hoc solo animo, ut Titius iniussus iniuriam sibi illa tam iudicet, ad restitutionem tenetur. Quia illum ad malum per adulationem induxit.

6. Dissic. Receptor latronum, uel alicuius malefactoris defensor tenetur ne ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Al. Alē. & So. ubi supra. Medi. q. 10

Si malefactorem occultat, ne ab aduersarijs uulneretur, aut occidatur, crimen tamen nō defendat, neque peccat, neque restitutioni obnoxius est: nullus enim iniuria afficit ita occultando, etiamsi illum a ministris iustitiæ liberet.

CONCLVSIO.

Qui recipit furem, aut malefactorem, ut personam defendat, & crimen tueatur, ad restitutionem tenetur: ut qui occultaret prædam, etiamsi ex illa nullam partem reciperet. Definita est expresse in Can. qui consentit. 11. q. 3. Et ratio est, quia uel ante, uel post factum peccatum malefactoris cœlat.

CONCLVSIO.

Aduocatus, qui malefactori iniuste patrocinatur, quominus in expensis condemnetur, uel restituere compellatur, ad restitutionem obligatur. Ratio est, quia omnes defendentes latrones sunt iniustæ detentionis causa. dicitur enim in can. qui aliorum 24. q. 3. damnabiliorem esse defensorem erroris, illo, qui errat.

Idem dicendum est de tabellione, procuratore, uel quolibet alio intercessore, p latrone, ne a iudice restituere cogatur.

Sunt autem con. proximę, & eius appendix intelligendæ, si tamen certum sit non esse aliam restituendi uiam, & esse aduersus malefactorem plenam, aut semiplenam probationem, ita ut in iudicio confiteri teneatur, & tandem ut aduocatus & tabelio &c. latronem liberauerint.

7. Diffic. An concurrens cum latrone ad restitutionem teneatur.

CONCLVSIO.

Th. ar. 6. Al. Alē. & So. ubi supra, Med. q. 9

Quando plures fures ad prædam concurrunt, & unus alteri non auxiliatur, neque alterius auxilio innititur, sed quilibet partem recipit, nullus tunc in solidum, sed partem quam abstulit, restituere tenetur. Ratio est, quia nullus fuit causa iniustitiæ per alterū cōmissæ, cum quilibet, etiā si cæteri non ad essent, partē prędę rapuisset socius enim dicitur criminis, non qui tātū adest, tū crimē patratur, sed q criminoso auxiliatur.

Hinc soluitur tritissima quæstio, quando exercitus uineam ingreditur, & totam uineam expoliat, singuli singu-

las uuas recipientes &c.

Medin.q. 10. Soto. ar. 3. cit. 5. *Dubium. Singuli eorum ita uineam expoliantes, peccantne mortaliter.*

CONCLVSIO.

Peccauerunt singuli mortaliter, etiamsi furtum fuit leue. quia quilibet, uidens tantum detrimentum futurum, abstinere a uindemiatione tenebatur.

CONCLVSIO.

Quando plures fures ad eandem prædam concurrunt, & unus sine alio illam non aggrederetur, tunc singuli eorum in solidum, tenentur: ut in bello iniusto, ubi neque dux sine militibus, neque unus miles sine alio bellum aggrederetur. Et ratio est, quia quilibet eorum est causa iniustitiæ commissæ per alium, cum nullus sine alio prædam agressus fuisset. & si propter inopiam excusentur, satis erit tunc, ut quilibet quantum potest, restituat; de similibus simile est iudicium.

CONCLVSIO.

Quando duo latrones concurrunt ad prædam, & unus est animosior, & sine socio illam aggressus fuisset, alter uero est timidus, qui sine socio non auderet, tunc primus in solidum, secũdus uero partem tantum a se ablatam restituere tenetur. Ratio est, quia solus audacior est causa iniustæ acceptionis, timidus enim sine illo furtum non commisisset,

Appen. Hinc contra Hostiensem, ut refert Adri. sequitur, non omnes concurrentes teneri semper in solidum restituere.

8. *Differ.* *An liceat ad uitandum maius malum, consulere minus hac intentione; ut obstinatus a maiori malo abstineat.*

2.2.q.78 ar.4.adr. quolib. 2. Sco.d.34 q.3. Soto. art.cit.ad Rom.c.3. Duæ sunt opiniones. Caieta. partem negantẽ tenet. Adr. contrarium opinatur.

CONCLVSIO.

Quando utrumque malum est intrinsece malum, non licet malefactori minus malũ persuadere ut a maiori abstineat. non enim sunt facienda mala, ut inde ueniant bona. nam minus malum consulens, malum consulit. quia causa minoris mali, causa mali dicetur esse.

Appen. *Gen.c.19* Hinc, intelligitur peccasse Loth offerẽdo Sodomitis filias stuprandas, ut illos a nefando malo deterreret, Hæc est Nicolai lyrani opinio.

CONCLVSIO.

Quando duo mala concurrunt, unum intrinsece, aliud uero extrinsece malum, integrum est animo redimendi uexationem propriam, consulere malefactori extrinsece malum ut ab intrinsece malo abstineat. V.g. interficere hominẽ

est

est intrinsece malum, accipere pecuniam est extrinsece malum, unde licebit consulere malefactori accipere pecuniam, ut ab homicidio abstineat. nam apud Hieremiã legitur, quod cum Ismael uellet interficere uiros, obtulerunt ei Thesauros dicentes, noli interficere nos. Quia Thesauros habemus in agro &c. *Iere.c.41*

9. Diffic. Qui uerbo tenus potest furtum siue damnum alienum impedire, & non impedit, tenebiturne ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Appen. *Al. Alē. ubi supra S. Th.2. 2.q.2. ar.7. Ri. ar.65.q. 4.Sco. q. 2.Adr. q.de rest.* Appen.

Qui ratione officij tenetur prohibere latronem, uel malefactorem, si non prohibeat, ad restitutionem obligatur, quia est causa damni, quod ex officio prohibere tenebatur.

Hinc, si Prælatus, Dominus, pater &c. nouerit subditum seruum, filium &c. commissurum furtum, uel damnum, & non prohibuerit, cum possit, restituere tenebitur.

Hinc, consiliarij Regis, Principis, Comitis, uel Ducis, si nõ prohibeant bellum iniustum, aut peculiare damnum, cum possint, erunt restitutioni obnoxij.

Hinc, confessor, siue concionator certo intelligens, se publice, aut priuatim admonendo, separaturum aliquos a malefitio, si tacuerit, ad restitutionem tenebitur. Constat exemplo Isaiæ, qui cum ex officio teneretur Regem Achab arguere, quia non reprehendit, dixit: ue mihi quia tacui. & B. Pau. uæ mihi, inquit, si non Euãgeliza uero. Hæc omnia sunt Ri. Sco. Adr. S. Tho. & Caiet.

CONCLVSIO.

Qui uerbo, terrore, consilio, clamore, aut alio quouis modo furem a delicto terrere potest, non terrens, si ei ex officio non incumbat, mortaliter peccat, ad restitutionem tamen minime tenetur. agit enim contra charitatem, cum non seruet bona proximi, atque ita peccat, & non contra iustitiam. quia non competit ei ex officio. & ideo non tenetur ad restitutionem. Adria addit quod si quis cum dolo uel sine illo, non impediat maleficium, cum ei non competat ex officio, non tenetur ad restitutionem. Soto latius opinatur dicens, non teneri uicinum ad restitutionem, etiam si prętium a latrone, ut taceat, accipiat: dummodo prætium oblatum non sit pars furti: tunc enim esset particeps, & restituere teneretur. Hæc est contra Caieta. & Ric. ubi supra, qui tenent illũ, qui sine damno suo, aut periculo potest impedire rapinam, & non impedit, teneri ad restitutionem: etiamsi ex officio non incumbat, quia est causa indirecta damni. Angelus uero

dicit causa indirecta damni. Angelus uero dicit non teneri, si metu quodam, & absque dolo non prohibeat.

Al. Ric. Med. & Soto ubi supra.

10. *Diffic. Non impediens maleficium, quod ex officio impedire tenebatur, eritne obnoxius restitutioni.*

CONCLVSIO.

Dominus temporalis, iudex, &c. cui ex officio incumbit a republica pessimos homines expellere, & potest, ne furtum fiat, preuenire, quod per suam negligentiam factum est a restitutionem damni illati obligatur, quia est causa iniustitiæ, quam prohibere tenebatur. quemadmodum nauta negligens est causa ut nauis submergatur.

Appen. Hinc, maxime est animaduertendum confessoribus, dominorum temporalium, & iudicum, ut restituere præcipiant damna, propter eorum negligentiam alijs data: quemadmodum ex c. Iubetur. de iniurijs constat.

Al. Alē. q. 86. m. 2. Sot. q. 4. art. 7. Med. q. 3

Art. 2. Quando aliquis a restitutione liberatur.

Multi sunt casus, qui sequētibus difficultatib. exponuntur.

1. *Diffic. Qui in extrema necessitate posterius aliena rapuit, ad pinguiorem fortunam ueniens, eritne restitutioni obnoxius.*

Duę sunt opiniones. Vna Sco. asserentis acceptum ante extremam necessitatem, & in illa consumptum esse restituendum, si pinguior fortuna superuenerit, quod autem in extrema necessitate acceptum, & consumptum fuit, nunquam esse restituendum. Altera, & contraria opinio est Adr. in materia de restitutione.

Soto. q. 2. ad 4. Medin. q. 3. Sot. li. 5. q. 3 ar. 4

CONCLVSIO.

Quādo aliquis tenetur proximo in extrema necessitate existenti subuenire donando rem aliquam ad uitandam mortē naturalem, poterit tunc in tali necessitate constitutus necessaria sibi rapere, ita ut ad restitutionem, etiam si postea ad pinguiorem fortunam deuenerit, non teneatur. Ratio est, quia tantum ius accipiēs acquirit, quātum Dominus rei transferre poterat, & tenebatur, & cum Dominus teneretur transferre dominium, accipiens propria authoritate illud acquisiuit; atque ita ad restiiutionem minime tenetur.

Hinc, pauper ægrotans, ad cuius salutem est necessaria medicina aliqua, poterit, si pharmacopola dare noluerit, propria authoritate ex eius officina accipere, & qui ueste caret sufficiente ad uitandam mortem imminentem ex frigore, & asperitate a ditiore illam sumere poterit.

CONCLVSIO.

Quando ad uitandam mortem uiolentam proximi non tenetur

netur aliquis donare, sed mutuare tantum, qui, ut mortem tunc fugiat, alienum accipit, non peccat: uerum necessitate, & periculo recedēte ad restitutionem tenetur. quia non plus iuris acquirit, quam dominus rei transferre tenebatur, & Dominus tunc non donare, sed mutuare tantum tenebatur, hoc enim erat satis ad mortem uiolentam fugiendam.

Hinc si aliquis; ut fugiat mortis in sidias, equum alienum ar ripiat, superato periculo illum reddere tenebitur. Appen.

Hinc, si latrones comminentur uiatori certissimam mortem, nisi 100 aut plures ducatos offerat, & sciat uiator certo in loco proximum certam auri massam depositisse, illam sumere, & latronibus tradere poterit, posteaque ad restitutionē tenebitur. Et ratio est, quia talis mors per solam pecunię accōmodationem uitari poterat.

2. Differ. An si debitor a creditore remissionem impetret, a restitutione debiti liberetur.

Al. Alē. m. 2. & Med. ubi supra. Soto li. 4. in fine ad. 1

Duæ sunt opiniones. Prima est Dionysij, & Ioannis Andreæ, quos citat glossa in regula, non dimittitur. de reg. iur. in 6. qui affirmant non liberari debitorem, quin prius actualis restitutio fiat.

CONCLVSIO.

Quando creditor libere donat, aut remittit debitum, ad nullam restitutionem tunc debitor tenetur. Ratio est, quia radix restitutionis est detentio rei alienæ inuito Domino, & ille, cui fuit facta libera remissio, nihil iā inuito dño retinet.

CONCLVSIO.

Necessarium non est creditori pecuniam offerre, uel ut debitor animum restituendi habeat: ut ex parte creditoris donatio debiti libera censeatur. Ratio est, quia libertas donantis ex dispositione illius, cui fit donatio, haud pendet, satisq; erit ad donationem, ut precibus remissio impetretur, etiamsi pecunia creditori non offeratur.

CONCLVSIO.

Quando remissio debiti non est libera, debitor non manet liber a restitutione. Constat ex definitione donationis, cuius fundamentum est libertas donantis.

Hinc, habens dominium, & carens administratione non poterit debitum remittere, nec debitor erit liber a restitutione, quia donatio non est libera, id est, facta ab illo, qui donādi potestatem, & libertatem habet, talis est minor sub tutore, aut curatore, & uxor sub uiri potestate existens.

Hinc nec ualebit remissio facta a creditore, quando ui il-

lata,ut minis ad remittendum cogit creditorem debitor.

Hinc,ueque ualebit remissio ex uerecundia mediatoris facta. Et ratio harũ appendicum est,propterea quod,nulla istarum remissionum est libera.

1. *Dubium. Quando remissio non ualebit, neque potest per creditorem fieri, nisi omnino restitutio fiat.*

Propositio prima.

Quando iudex Ecclesiasticus, uel sæcularis titulo exercendi rectam iustitiam munus aliquod recipit, præter esculentũ, aut poculentum, quod paucis diebus consumi potest, mera liberalitate donatum. Definita est in c. tuum §. *in super*, de rescriptis in *6*. & tenetur iudex ad restitutionem faciendam pauperibus,etiam si a donante fuerit facta remissio.

Propositio secunda.

Visitator diœcesis, qui aliquam pecuniam in uisitatione, præter stipendium sibi concessum, recipit, pauperibus,etiam facta remissione,restituere tenetur. Ita definitur in *cap.* Fœlices. de censibus in *6*. Et ratio istarum omnium propositionum est, quia tales pecuniarum translationes a iure pro hibẽtur. & hac de causa tenebitur in his casibus recipiens pecuniã illam, danti restituere, qui si accipere noluerit, pauperibus erit eroganda. hęc est communis sententia,ut Sylvest. *Verbo*, Concussio,docet. cæterum non uidetur uerisimile, *creditore* remittente, debitorem ad pecuniam pauperibus *largiendam* obligari.quia in donatione turpi ex utraque *parte* donantis, scilicet, & recipientis, melior est possidentis conditio:ut lex secunda,de conditionibus ob turpem causam, docet, quod si turpitudo fuerit tantũ ex parte recipientis,ut si iudici aliquis det pecuniam ad redimendam uexationem,tunc danti faciẽda est restitutio,quo remittente,nulla apparet ratio ob quam dominium in recipientem non transferatur,Ita ut pecuniam illam pauperibus erogare teneatur.

3. *Diffic. An cedens bonis ad restitutionem,quando ad pinguiorem fortunam uenerit, teneatur.*

CONCLVSIO.

Tenetur quidem,si ad pinguiorem fortunam uenerit,quia per talem bonorum cessionem extinguitur obligatio, neque fit libera remissio,ut constat ex c. Odoard. de solutionibus, & lege ibidem glossam uerb. pinguiorem fortunam.

Hinc, mercatores fidem frangentes, & cum creditoribus conuenientes, ut soluta certa debiti parte, reliquum remittatur,ad pinguiorem fortunam uenientes tenẽtur ad restitutionem,

Appen.

nem, quia non fuit libera remissio.

4. diffi. Liberatur ne debitor timore infamiæ aut alterius detrimenti a restitutionis onere.

De hac re disputat Adr. q. 1. De restitutione, & in q. An auferens alteri famam, qui ponit exemplũ de adultera habente filium spurium, qui legitimus esse censetur.

Scot. in solutione ad argumenta. R. i. ar. 5. q. 4. Med. q. 3 Sot. l. b. 4. q. 6. ar. 3

CONCLVSIO.

Adultera quæ filijs legitimis partem hæreditatis quã filius spurius tulit sine mortis periculo restituere non potest, ad restitutionem non tenetur. Constat ex c. officijs, de pen. & remissi. Et ratio est: quia non est facienda restitutio, quando timeretur grauius periculum restituenti, quam sit rei restituendæ ualor, & uita adulteræ bonis fortunæ præstat. Hæc est Sc. ad argumenta cuius oppositum tenent Adr. & Sylvest. ubi supra, & Innocentius in c. citato.

CONCLVSIO.

Quamuis mulier ex reuelatione nullum periculũ uitæ uel indignationis, uel infamię timeat, si tamen eius uir spurium hæreditate priuare non potest, propterea quod legitimus censetur, & talis in iudicio declarabitur, adulterium reuelare minime tenetur. Ratio est, quia frustra niti, & nihil aliud quam odium detegendo crimen quærere, extrema dementia est.

Hinc, si in tali casu maritus posset sp. uxorem exhæredare, quia ipse est primogeniti institutor, tenebitur marito partum suppositum, uel adulterium declarare; quia nullum est periculum uitæ, aut famæ quod restitutionem impediebat.

2. Dubium. Quid, si adultera nouit filium sibi fidem adhibiturum, & hæreditati renunciaturum.

CONCLVSIO.

In tali casu tenebitur spurio adulterium reuelare. Ratio est quia quando fama non est alteri necessaria, homo non tenetur illam conseruare, ut infra patebit, cum sine peccato illam dimittere, & perdere possit. Non enim adultera habet præceptum conseruandi famem in particulari. hæc concl. non est contra Scot. quia S. totus intelligitur, quando publica infamia oritur, id est, ne adultera reuelet suum crimen coram iudice, quamuis illud probare possit.

Oppositum affirmant Innocen. Ric. & Hostien. quos Sylvest. loco citato refert.

CONCLVSIO.

Quando adultera aliunde potest soluere, & satisfacere hæredibus, nullo modo crimen suum reuelare tenetur, quia cau-

sa reuelationis, quæ est restitutio facienda, cessat, & cessante causa, cessat effectus.

So. et Medina locis cit.

3. Dub. Tenebiturne filius in foro conscientiæ matri reuelanti credere, & credendo hæreditatem remittere.

CONCLVSIO.

Si mater omni suspicione fraudis caret, scilicet, quando neque malenolentia in spurium, neque ex amore erga filios legitimos, affirmat se ex adulterio concepisse, ut spurium hæreditate priuet, & alios ditet, spurius tũc matri credere tenetur: quia ex lege naturali est alicui credendum, præsertim testibus omni suspitione fraudis carentibus, qualis nunc dicitur esse mater, & filius, nihil mali de matre suspicans retinendo hæreditatem, ageret contra conscientiam.

5. Dif. Tenebiturne adulter præter adulterum ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Adulter in conscientia proprijs, & ueris hęredibus, quantum spurius accepit ex patris putatiui bonis, restituere tenebitur. Definita est cap. finali, citato. fuit enim causa damni ueris hæredibus, & qui causam damni dat, damnum dedisse uidetur. hæc sunt intelligenda mortuo uiro, & obtenta ab spurio hæreditate, est autem consulendum adulteræ ut legitimis filijs partem suorum bonorum enel. 3. y. 5. augeat.

6. Dif. An solutio facta creditori creditoris, liberet debitorem in conscientia a restitutione.

CONCLVSIO.

Si debitor creditori creditoris sui debitum soluat, etiam inuito creditore soluendo non peccat. Ratio est, quia nemini

Med. q. 3 nocet: poterit enim creditor in foro iudiciali a debitore debitum exigere.

CONCLVSIO.

Qui soluit creditori creditoris sui, est a restitutione liber, si res, quæ soluitur, functionem admittat, ideſt, quando, quod debetur, non est idem numero restituendum, sed specie, & ualore, alioqui enim non satisfacit, quoniam esset rẽ alienam inuito Domino contrectare, ut V. g. si mihi equum accommodasti, eundem tibi reddere teneor.

7. Dif. Re interempta, & consumpta sine culpa debitoris, eritne liber ab æquiualentis restitutione.

Med. q. 3
So. lib. 4.
q. 7. ar. 2

CONCLVSIO.

Quando debitor non eandem rem numero, sed æquiualentem, ut in mutuo, soluere tenetur, tunc rei interitus illũa restitutione non liberat, ut si mihi frumentum pro frumen-

to ac-

to accomodaueris. Et ratio est, quia in mutuo dominium rei mutuatæ in mutuatarium transfertur atque ita illi, & non mutuanti periit.

CONCLVSIO.

Si res eadem numero est restituenda, ut in pignore, uel ac cõmodato, &c. si possidens fuit in mora restituendi, uel causa interitus rei, possidenti peribit: sin minus, Domino. Ratio est, quia existens in mora fuit causa interitus rei, quæ fortassis apud Dominum non perijsset, & qui causã damni dat &c. est autem in mora restituendi, qui non restituit, quando tenetur, unde fur ab hora commissi furti, nisi aliqua causa excusetur, est in mora restituendi, & qui non restituit statim, ut est conscius rei alienæ. ex tunc enim furtum committit, & tandem qui ad terminum præfixum non restituit.

4. *Dub. Quid si res apud verum Dominum esset quoque peritura.*

CONCLVSIO.

Tunc quamuis fuerit in mora restituendi, non erit restitutioni obnoxius, licet non restituendo tempore præfixo pecauerit. Definita est expræsse in lege finali §. finali. ff. ad legẽ Rhodiam de iactu.

Quidã, quos refert Sylue. ubi supra, affirmant hãc conclusione esse uerã in obligationibus, quæ oriũtur ex contractu.

CONCLVSIO.

Si Dominus erat illam uenditurus ante interitũ, debitor existens in mora tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia est causa damni: intelige, siue sit debitor ex obligatione, siue ex delicto, quia dilatando solutionem furtum committit.

CONCLVSIO.

Si non erat illã alienaturus, existens in mora non tenetur ad restitutionem, quia debitoris mora non fuit damni causa.

8. *Dif. An qui possidet aliquid authoritate legis, uel ex iudicis sententia a restitutione liberetur.*

CONCLVSIO.

Possessor bonæfidei legis authoritate ab onere restitutionis liberatur. Hæc toto titulo de præscript. demonstratur, & confirmatur Can. qui peccat. 23. q. 4. ubi B. Aug. inquit. nemo peccat, legis authoritate utens.

CONCLVSIO.

Debitor, qui est malæfidei possessor, in conscientia ad restitutionẽ tenetur, quia agit contra conscientiã, & ædificat ad gehennã omne enim quod non est ex fide, peccatum est.

Hinc

Hinc, licet nõ detur actio emptori decepto intra dimidiũ, tenetur tamẽ uenditor ad restitutionẽ. Quia retinendo agit contra conscientiã. Idẽ est iudiciũ de possessore malæfidei, qui legis authoritate se tuetur, & de Dño nõ soluẽte stipendium famulo intra annũ legis authoritate, & de nõ soluente uectigal propter negligentiam quæstoris iuxta legẽ regiã. tenetur enim in conscientia soluere, licet quibus facienda est solutio, ad petendum in iudicio actionem non habeant.

CONCLVSIO.

Quando sententia iudicis est iusta, tantum in foro exterio ri, debitor ab onere restitutionis non liberatur. Nam ageret contra conscientiam non restituendo.

CONCLVSIO.

Quando sententia est in utroque foro iusta, debitor est liber a restitutione. Ratio est, quia nulli tunc fit iniuria: priuatur enim dominio iudicis authoritate damnatus.

Syl uerb. resti. § 4. So. lib. 4. q. 7. ar. i.

5. *Dub. Debitor propter rei assignationem liberaturne a restitutione.*

Vt si dolium uini apud uenditorem assignatũ remaneat.

CONCLVSIO.

Si uenditor, qui est tunc depositarius, non fuit in culpa, in emptoris detrimentum peribit. Iam enim facta uenditione, fuit translatum Dominium.

2. 2. q. ul. ar. 6. ad 2. Medi. de rest. q. 3.

9. *Diff. Liberaturne debitor a restitutione per ingressum religionis, & professionem.*

Duæ sunt opiniones. Prima S. Th. affirmantis, debitorem, si cessit bonis, posse ingredi religionem. Contra hoc est communis religionum consuetudo, in quibus nullus ære alieno grauatus admittitur.

CONCLVSIO.

Qui potest restituere debitum, peccat mortaliter ingrediens religionem, & illum etiam recipientes, quia cooperãtur peccato illius, iure enim naturali, & diuino tenetur debitor alienum restituere, quamuis bonis cesserit, & ingrediendo religionem constituit se in periculo non restituendi, uix enim, aut nunquam ibi restituere poterit.

CONCLVSIO.

Valebit tamen eius professio in religione facta, quia ad professionem satis est, ut persona sit libera, & iure profiteri non prohibeatur, qualis est minor 14. annorum, huius autem debitoris professio a iure non prohibetur.

CONCLVSIO.

Facta iam professione tenetur, quãtum in se est, uel remissionem

sionem a creditore obtinere, uel quærere modum, quo illi satisfacere ualeat. Ratio est, quia per professionē ab obligatione naturali, & diuina restituendi non liberatur.

CONCLVSIO.

Si non potest creditori satisfacere, nisi dimittendo habitum: ut quærat substantiam ad satisfaciendum deponat habitum, dūmodo fiat sine scandalo: vt recedendo ad Indos, uel ad alia longissima loca, atq; ita propria industria lucretur bona, quibus restituat. Ratio est, quia obligatio ad religionem, naturalem, & diuinam restituendi obligationem non tollit. alioqui enim religio multis peccandi fomitem ministraret, quod absit. nam prius ære alieno grauarentur, & postea, ut liberarentur, religionem ingrederentur.

6. Dub. Quid, si prælatus nolit dare facultatem dimittendi habitum, poterit ne ille inuito dimittere.

CONCLVSIO.

Medina negat posse.

CONCLVSIO

Poterit quidem dimittere habitum. Ratio est, quia non tenetur obedire nisi in licitis, & honestis, & Prælatus rem illicitam facit impediendo medium ad restitutionem.

10. Diff. Differturne obligatio restituendi, quando creditor est excommunicatus.

Sylvester affert contrarias Canonistarum opiniones. *Ver. excō mun. 5. §. 9. Med. q. 3.*

CONCLVSIO.

Quando obligatio nascitur ex uoluntate, aut ex lege creditore existente excommunicato, non est adimplenda. Constat ex Cano. Nos sanctorum 15. quæst. 6. ubi uasalli absoluuntur a iuramento fidelitatis, quod Domino excommunicato præstiterunt, & ex Cano. Sacerdos 2. q. 7. ubi dicitur Episcopo excommunicato non esse obediendum.

CONCLVSIO.

Quando obligatio oritur ex contractu illicito, aut ex acceptione, siue detentione illicita, debitor creditori excommunicato, si aliter non potest, soluere tenetur, quia soluere debitum est de iure naturali, & diuino & ita magis obligat, quam uitare hunc excommunicatum. Notanter dicitur, si aliter fieri non potest, quia si habet uxorem, filios, aut familiares illis est restitutio facienda, ut ad creditorem deferant, uel petenda est ab Episcopo facultas, ut quantum ad debiti solutionem cum illo communicare liceat.

11. Diff.

11. *Dif. Meretrix, quę propter meretricum accepit, tenetur ne restituere.*

CONCLVSIO.

Tho. 2. 2. q. 32 ar. 7. Al. 4 len. q. 86 ar. 6. §. 2 Ri. ar. 5. q. 8. Medi. q. 20. So. lib. 4. q. 7. ar. 1. ad 2. idē Th. q. 62 ar. 5.

Meretrix publica ad restitutionem non tenetur. Quia nihil tam naturale est, quam, ut per uoluntatem proprij Domini dominium in alium transferatur, & amans uoluntariè dat & nulla lege dominium transferri in meretricē prohibetur. Vide legem quartam. ff. de conditionibus ob turpem causam.

7. *Dub. recipiine precium meretrix titulo uenditionis, an donationis.*

Caietanus ubi supra. S. Tho. tenet titulo uenditionis recipere, unde in foro exteriori prætium petere poterit, & amans in foro conscientiæ restituere tenebitur. eandem opinionem tenet illustrissimus Dominus, Couarruu. in repetitione regulæ non dimittitur peccatum. parte 2. §. 2. Et ratio huius opinionis est, quia huiusmodi actus turpes uēdi minime prohibentur.

Medina de restitutione q. 20. tenet recipere precium titulo donationis, ex qua opinione sequitur, amentem non teneri ad soluendum preciū. Securior tamen est prima opinio.

8. *Dub. meretrix occulta, quæ non est in lupanari, teneturne restituere precium.*

Med. & So. ubi supra.

Duæ sunt opiniones. Prima quam refert Adrianus, *dicit* teneri ad restitutionem Secunda, & contraria *est eiusdem* Adriani, cui neoterici Theologi adhæserunt.

CONCLVSIO.

Meretrix occulta, quę habet dominium sui corporis, titulo uenditionis precium prostibuli retinere poterit, quia cum sit domina sui corporis, si de facto illud uendiderit, iuste retinet precium. Venditio enim non est prohibita, licet peccet, propterea quod actus prohibetur.

CONCLVSIO.

Meretrix coniugata, occulta, quæ sui corporis dominium non habet, si pecuniā pro adulterio, uel sacrilegio titulo donationis factæ ab adultero, recipiat, iuste illam retinere poterit. Propterea quod talis donatio nulla lege prohibetur.

Idem dicendum est de Moniali. & de illa, quæ habet simplex continentiæ uotū, quia non sunt sui corporis Dominæ.

Hinc, si amās nihil promiserit, nihil dare tenebitur. si autem titulo uenditionis usus fuerit corpore mulieris, etiam si nihil promiserit, precium soluere tenebitur.

CONCLVSIO.

Si, quod titulo donationis promissum est, non fuerit superfluum

perfluum, erit adimplendum. Constat exemplo Iudæ Patriarchæ. Gen. 38. qui promisit Thamar nurui suæ hædum, quæ se meretricem finxerat, & cum non inueniretur, dixit: certe mendacij arguere me non potest: ego enim misi hædum quem promiseram, & non inuenisti eam. Notanter dicitur (si non fuerit superfluum) nam tunc censetur facta promissio absque libertate. Quia excessus amoris extenuauit libertatem, & si fuerit promissio iuramento firmata, erit petenda iuramenti dispensatio: quæ omnia sunt uera in foro conscientiæ, nam in foro exteriori dabitur meretrici actio.

9. Dub. Meretrix, quæ accepit ab amante minore 15. ann. sub potestate tutoris constituto, & filiofamilias, tenebiturne restituere. *Soto, & Med. ibi.*

CONCLVSIO.

Tenebitur, nisi uoluntate præsumpta curatoris, uel patris excusetur, quia tales non habent suorum bonorum administrationem, atque ita dominium transferre non possunt: nisi uoluntate præsumpta curatoris, &c. quando enim precium est modicum, curator, & pater consentire tenentur, non autē si fuerit precium superfluū, vt quando aliquid amplius, quam sit precium meretricib. sui status taxatum, datur, qua propter interrogandæ sunt meretrices a confessoribus, acceperintne aliquid ab istis superfluum. Nam tunc ad restitutionem tenētur: atque etiam quando presumitur; patrem, aut tutorem non consensurum, nisi isti peculium castrense, uel quasi castrensia habent. nam istius peculij Domini sunt, & dominium transferre possunt.

Meretrix, quæ accepit a milite precium prostibuli, uel donationem aliquam, non tenetur ad restitutionem. *Appen.*

Hæc est Adr. ubi sup. contra Medinam, & alios defendentes; teneri ad restitutionem per legem affectionis. ff. de don. cum lex illa nō obliget, nisi subditos Imperatoris, inter quos Hispani non recensentur.

10. *Dub. Donatio facta meretrici per dolum, uel fraudem ipsius, estne damni necessario restituenda.* *Th. q. 66 ar. 5. a l 2. & Medi. & S. ubi sup.*

V.g. si meretrix dixerit, se esse uirginem: ut maius precium sibi daretur.

CONCLVSIO.

Tenebitur tunc superfluum restituere: quia est inuoluntarie donatum, nempe, ex ignorantia, & deceptione: secus autē si blanditijs, non tamen mendaciis, adolescentem ad sui amorem allexerit.

12. *Dif. An iudex pecuniam per concussionem acquisitam restituere teneatur.*

Duæ sunt opiniones. Prima est Caiet. Adria. Medi. Soti asserentium esse necessario talem pecuniam restituendam, ita ut ante condemnationē possit fieri restitutio danti, uel pauperibus, post condemnationē uero pauperibus sit facienda.

Secunda & contraria opinio est Angeli in summa uerbo, Conclusio, & Sylu. uerbo, Restitutio §. 2. & uerbo, Iudex §. 1.

CONCLVSIO.

Iudex, uel quicunque alius iustitiæ minister, qui *accipit* pecuniam pro sententia iniuste ferenda, uel pro *quocunque* actu iniuste, si actus fuerit consummatus, non *tenetur danti* pecuniam restituere. Constat ex l. si ob turpem causam. ff. de conditionibus eodem titulo. ubi habetur. datum ob turpem causam causa subsequuta a dante repeti non posse, & cum lex prohibeat repetitionem, & dans uoluntarie dederit, non erit accipiens tunc restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Iudex, aut quicunque iustitiæ minister, tabellio, exequutor &c. pecuniam pro actu illicito acceptā pauperibus restituere minime tenetur. Nam radix restitutionis est iniusta acceptio, uel detentio inuito Domino, & minister iustitiæ pro damno alteri inferendo pecuniam accipiens, nec recipit *inuito*, neq; retinet, tum etiam, quia nulla est lex ciuilis, *aut canonica*, quæ pecuniam acceptam per conclusionem ante recipiētis condemnationem restituere præcipiat.

CONCLVSIO.

Si minister iustitiæ pecuniam accipiat, ut bene iudicet, & dans solum det ad redimendam uexationē, ne iudex a parte contraria corrumpatur, iudex tunc non pauperibus, sed danti restituere tenebitur, quia translatio dominii ex uoluntate Domini fit, & qui dedit pecuniam ad redimendam uexationem, inuitus dedit.

CONCLVSIO.

In omni euētu, licet sit turpitudo ex utraque parte, danti pecuniam est facienda restitutio. Ratio est, quia minister iustitiæ ante commissum flagitiū, pro quo accipit pecuniam, tenetur rescindere contractum, iuxta consilium Isidori. In malis promissis rescinde fidem, quod fieri non potest, nisi pecuniam acceptam restituendo. nam qui dedit pecuniam sub conditione, non amittit Dominium, si conditio non adimpleatur. Hæc est contra aliquos Doctores, quos Medina

de resti-

de restitutione refert.q.3.notabili 10.

CONCLVSIO.

Iudex a sede Apostolica delegatus accipiens a litiganti bus præter esculentum,aut poculentum, quod paucis diebus consumi potest,illud restituere tenetur. Definita est expresse in cap. statum, de rescriptis in 6. ex hoc textu colligit Gabr. omnem iudicem teneri ad restitutionem pauperibus faciendam.quod est uerum de iudicibus delegatis,non autem de ordinarijs. nam textus ille est pœnalis, & non est ampliandus.

CONCLVSIO.

Qui accepit pecuniam pro actu licito,quem gratis exercere tenebatur,ut iudex pro puniendo latronem,si dans non illa tribuat ad redimendam uexationem,sed ut facilius iustitię ministrum ad illam exercendam alliciat, tunc minister non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia dans uoluntarie,& libere dedit,& non timore ductus. nam, ut precibus, & pollicitationibus, ita & precio aliquo exhibito aliquem ad bonum inducere licet.

Hinc,qui accipit pecuniam,ut ab adulterio,uel homicidio aut alio quouis peccato abstineat, uel ut latronem, aut seruũ fugitiuum reuellet,non tenetur ad restitutionem, si dans non ad redimendam uexationem propriam, sed ad deterrendum a peccato,uel ad rem suam facilius recuperandam, dederit,quia uoluntarie,& libere dat.

13.*Dif. Qui accipit pecuniam,ut falsum testimonium dicat,uel ut ueritatem taceat,quam rogatus a iudice manifestare tenebatur, crimne restitutioni obnoxius.* *Syl. ubi sup.& li. 5.q.8.ar ti.4.*

Adria.de restitutione in q.cum extorta, &c.opinatur tenere ad restitutionem danti,uel pauperibus faciendam. Contraria opinio uidetur esse summæ Angelicę.

CONCLVSIO.

Ita pecuniam accipiens, licet teneatur damnum illatum resarcire, ad pecuniam tamen acceptam restituendam non obligatur,neque.n.tenetur illam danti restituere, quia uoluntarie dedit,neque pauperibus,quia illis nullam irrogauit iniuriam,neque innocenti,quia illis satis,ut illi damnum illatum restituat.

14.*Diff. Accipiens pecuniam pro beneficio,uel sacris ordinibus conferendis per symoniam realem, tenebiturne ad illius restitutionem ante iudicis condemnationem.* *Tho.2.q. 10. ar.ult. Med.q. Solo. q.5.ar.*

Quædam opinio fuit negans,quam citat Medina de restitutione.

Contraria,

Contraria, & affirmãs est S. Tho. quia lex canonica prohibet dominij translationem recipiendo eius restitutionem.

DD. ubi sup.

11. *Dub. Pecunia symoniaca cui ante condemnationem erit restituenda.*

S. Th. ubi supra ad 4. dicit non esse ementi restituendam. Soto lib. 6. de iust. & iure, q. 3. art. 1. existimat ante condemnationem esse emptori restituendam.

CONCLVSIO.

Danti ante condemnationẽ est facienda restitutio, quia accipiens pecuniam pro beneficij collatione, tenetur nõ solum penitere, uerumentiam quantum in se est, *contractum* rescindere, quod fieri non potest, nisi reddendo *preciũ* danti, & quemadmodum uenditio consummatur traditione rei, & acceptione pecuniæ, ita saltem quantum ex parte uendentis eiusdem pretij, siue pecuniæ redditione rescinditur.

12. *Dubium Quid si Papa dispenset cum symoniaco ut beneficium teneat.*

CONCLVSIO.

Tũc necessario est emptori facienda restitutio, quia post dispensationem non ratione pecuniæ datæ, sed ex collatione legitima Papæ beneficium retinet. illa enim dispensatio collatio beneficij fuit. Patet exemplo illius, qui sciens emit uas argenteum furto sublatũ, & postea a uero Domino *ignorante* furtum illud obtinuit: tunc huic, & non *Domino* erit pretium a latrone restituendum, quia non retinet uas ratione iniustæ uenditionis, sed ex ueri Domini uoluntate.

CONCLVSIO.

Post sententia contra Symoniacum latã, etiam si antea sit danti pecunia restituta, erit denuo Ecclesiæ restitutio facienda. Definitur expresse in ca. de hoc autem. de symonia. Iudex enim solum debet attendere crimen commissum esse puniendum, non autem an sit iam danti facta restitutio.

CONCLVSIO.

Quando dans pecuniam fuit deceptus, quoniam arbitrabatur inuincibiliter ignorans se Symoniam committere, tunc ante, uel post sententiam danti erit restitutio facienda. Definita est expresse in cap. Veniens, de Symonia, quamobrem quando turpitudo solum est ex parte recipientis, debet danti fieri restitutio, quia propter ignorantiã inuincibilem fuit a Symonia alienus.

CONCLVSIO.

Pecunia accepta propter collationẽ ordinũ, & sacramentorum

torum administrationē, ante sententiam est danti, etiamsi fuerit in culpa, restituenda, quia lex irritat contractū, & prohibet domini trāslationem. & cum ante sententiam dans non amiserit dominium, erit sibi restituenda.

15. *Diff. Symoniacus mentalis tenetur ne ad restitutionem.*

Canonistę in cap. Vltimo, de Symonia, & Caiet. 2.2.q.100. art. vltimo, tenent non esse restitutioni obnoxiū. Adria. autē Quolib. 9. & Soto de iust. & iure lib. 9. q. 8. art. 1. ad 6. affirmant obligari ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Symoniacus mentalis, aut realis non tenetur iure diuino ad restitutionem, quia ius Canonicum non est contrarium iuri diuino, quod quidem in cap. ultimo, de Symonia, Symoniacum mentalem ab onere restitutionis absoluit.

CONCLVSIO.

Neque iure Canonico Symoniacus mentalis ad restitutionem tenetur, ut constat ex c. citato, & hæc fuit opinio S. Tho. ubi supra in solutione ad argumenta.

Hinc omnes familiares episcoporū, qui nullo stipendio ac cepto, & sine ullo pacto, sed sola intentione obtinendi. beneficia Episcopis seruiunt, mortaliter peccant propter depranatum animi affectum, nec sunt absoluendi, dum ita famulantur, nec obtento beneficio ad resignationem tenentur, neq; Episcopus, aut patronus ad soluendum stipendiū famulatus obligatur. Oppositum sequitur ex contraria opinione. Appen.

Idem etiam est iudicium de illis, qui Episcopo, aut patrono munera a manu, uel a lingua aliquo precio æstimabilia intentione corrupta consequendi beneficium Ecclesiasticum offerunt.

CONCLVSIO.

Solum tenetur ad restitutionē symoniacus, qui pacto expresso uendidit beneficium, ordines, aut religionem, quia in his tantum præcipit ius Canonicum, non autē in uenditione cæterorum spiritualium, fieri restitutionem. hæc propositio est ualde notanda, & est Pano. super cap. Vltimo, de Symonia, & Caieta. in summa uerbo excommunicatio. cap. 27.

16. *Diffic. Liberatur ne aliquis per bullam compositionis Cruciatæ a restitutione.* *Syl. uer. rest. 8. §. ult. Med. q. 3. Soto li. 4. q. 7. ar. 1. ad 3*

CONCLVSIO.

Quando creditor fit bene notus debitori, bulla compositionis nullum habet locum, quia restitutio alieni, quando Dominus est certus, est illi facienda de iure naturali, &

diuino, in quibus Papa, quando nulla subest legitima causa, dispensare non potest.

CONCLVSIO.

Quamuis creditor sit bene notus debitori, si tamen longe absit: ita ut ad illum pecunia transportari non possit, sed sit pro uita spirituali creditoris pauperibus diuidenda, tunc locũ habebit compositio. Hæc est Illustris. Domini Couarru. *in re lectione.* Non dimittitur peccatum in 3. par. §. 1. Et ratio est, quia bona creditoris longissime absentis æquiualent bonis incertis, cum sit in loco adeo distanti: ut nullo modo *sua bona* recipere possit, & in bonis incertis habet *locum compositio.*

CONCLVSIO.

Quando bona sunt incerta. i. incogniti creditoris, siue sint per contractum licitum, siue illicitum acquisita, potest in illis fieri compositio. Ratio est, quoniam huiusmodi bona iure ecclesiastico sunt pauperibus distribuenda, *in* quo quidem iure Papa dispensare potest.

CONCLVSIO.

Compositionem hanc nullus a Rom. Pon. efficere potest: quia hæc compositio est tantum iure canonico præcipiente: ut restitutio pauperibus fiat, & cum in hoc iure solus Papa dispensare possit, solus quoque compositionem *concedere* uale bit.

Propositio.

Quando bona incerta restituenda sunt *ab aliquo* inuenta, potest in illis per dominum temporalem fieri cõpositio: quia ipse est dominus rei inuentæ, quæ uulgo (mostrenco) appellatur, & in hoc tantum casu est uera So. opin. qui per dominum temporalem, & regem compositionem fieri posse asseruit.

Al. Alẽ. q. 86. ar. 1. in 3. S. Tho. 2. 2. q. 66. ar. 5. & ibi. Caie. Medi. qũ. 16. & 1. de restitu. So. lib. 5. q. 3. ar. 3. ad 1. Et nota compositionem a Rom. Pon. concedi propter maiorem reipub. utilitatem: ut ad defensionem fidei, uel basilicam ædificandam.

17. *Dif. An per compositionem debiti debitor a restitutione liberetur.*

CONCLVSIO.

Compensatio in deposito locum minime habet: nõ. n. possum, si tu debes mihi 100. & totidem apud me deposuisti, hac uia, quod mihi debes, compensare. Definita est expresse in c. bona fides. de deposito.

CONCLVSIO.

In cæteris contractibus bonæfidei potest fieri cõpensatio. Hæc est Pan in c. bona fides, citato. Et ratio illius est; quia

in

in aliis contractibus a iure non prohibetur.

CONCLVSIO.

Si uolens compensare debitum iurauit absolute, sine ulla conditione, creditori suo debitum soluere, solutionem ratione compensationis differre non poterit. Constat ex c. ad nostrum, & c. debitores, de iureiurando. Et ratio est; quoniã qui sub iuramento aliquid promisit, non solum homini, cui promissio facta est, uerum etiam Deo, quem proposuit sui promissi fideiussorem, tenetur. quamuis creditor non lædatur, ita habetur in c. debitores, de illis, qui promiserunt soluere usuras.

13. *Dub. Quæ sunt conditiones in compensatione seruandæ.*

Respõ. sequentes. Et prima est, ut debitum sit liquidum, & non dubium. nam si dubius quis recompenset, & peccat, & ad restitutionem tenetur. in rebus n. dubiis tutius est eligẽdum, & tutius est proximum seruare indemnem.

Secunda, ne compensator speret authoritate iudicis debitum recipere posse, uel propter defectum testium, siue instrumentorum, uel ob malitiam iudicis, uel propter debitoris potentiam, quem non facile in judicio conuincere poterit, uel illum graui odio prosequetur, aut in aliis nocebit, aut non sine maximis expensis debitum extorquebit. Nam tũc propria authoritate, quod debitori minime nocet, recipere poterit.

Tertia, ne ex tali acceptione periculum famæ accipientis timeatur. posset. n tunc iudex in illum: ut in furẽ agere, quia extra iurisdictionem accepit.

Quarta, ne damnum alicui sequatur. nam fortassis a domesticis sumptum fuisse existimabunt.

V. Ne agat contra conscientiã, sed hoc sibi licere credat.

Sexta, ut uerissime opinetur, nunquam esse sibi solutionẽ a debitore faciendam, etiam si debitum petierit.

Septima, ne res propria authoritate usurpanda, sit debitori ualde necessaria: alioqui. n. peccabit.

CONCLVSIO.

Qui his 7. conditionibus cõcurrentib. alienum ratione cõpensationis accipit, non peccat. Quia nec facit iniuriam debitori, cum sibi debitum accipiat, neque legi prohibenti, ne quis propria authoritate ius suum exequatur: nã intelligitur lex, quando creditor secundum iuris ordinem rem suam recuperare potest: quod si non possit, ut in præsentia, nõ agitur contra legis intentionem.

CONCLVSIO.

Si debitum sit liquidum, siue certum, cæteris conditionibus deficientibus, peccabit mortaliter recompensans, non tamen ad restitutionẽ tenebitur, quia in cęteris conditionibus præter primam, non agit cõtra iustitiam, agit tamẽ contra iuris ordinẽ, & ideo peccat in rempub. ut constat in cap. Olim, de restitutione expoliatorum.

13. *Dubium. Si iudex excommunicet omnes, qui ex tali domo aliquid acceperunt, comprehendenturne compensantes.*

Angelus negat. Rossella affirmat, ut Syluester docet.

Ver. furtum. §. i. Med. qõ. 11. Soto, vbi sup.

CONCLVSIO.

Si recompensans omnes conditiones seruauit, non ligatur etiamsi in sententia hoc ipsum exprimatur, quia talis sententia contineret intollerabilem errorem, ut definitum est in c. Per tuas. de sententia excommunicationis.

CONCLVSIO.

Quando iudex absolute profert sententiam, nihil contra recompensantes addens, dummodo primam conditionem seruauerint, illa sententia minime ligantur. Et ratio est, quia non retinent alienum.

CONCLVSIO.

Quando iudex profert sententiam, excommunicationis sub hac forma, uolumus excommunicare, & ligare recompensantes, qui omnes conditiones iustę compensationis non seruauerunt, tunc ligantur, & restituere tenentur, non quod retineant alienum, si primam seruarunt conditionem, sed quia contra iuris ordinem bona usurpauerũt. Et iudex Ecclesiasticus potest istos compellere ad seruandũ iuris ordinem, qui est de iure naturali, & diuino. iuste enim dicit Scriptura, iuste, quod iustum est, prosequeris. Cauendũ tamen est, ne iterum debitor creditori, uel eius hæredibus soluet, & ne creditor infametur: utrumq; autem euitabitur, si debitum secundo solutum, per mediatorem eidem debitori restituatur, uel si in testamento hęredibus, ne aliquid ab illo recipiant, prę cipiatur.

18. *Differ. An qui ex culpa leui, siue leuissima alteri damnum intulit, in conscientia ad restitutionem teneatur.*

Duæ sunt opiniones. Vna Innocen. in cap. sicut dignum de homicidio, quã Syluest. dicit communem, scilicet, in foro iudiciali ex culpa leui, aut leuissima teneri ad restitutionem, non tamẽ in foro conscientiæ. Altera & contraria opinio est Adr. de restitutione in q. utrum in foro animæ teneatur restarcire, quãtũ dãnũ ex culpa sua leui, aut leuissima alteri dedit.

Verb. culpa. §. i. et 3. Ri. ar. 5. q. i.

Omne

CONCLVSIO.

Omne damnum quacunque culpa damnificantis illatum in foro conscientiæ est resarciendum. Definita est expresse in c. finali, de iniuriis, ubi dicitur, qui occasionem damni dat, damnum, & c. secus autem est de illo, qui, ut nõ occideret, uel damnum inferret, nihil de contingentibus omisit, quod quidem omittere dicitur, qui negligens fuit.

Hinc, uariæ soluuntur q. contra accommodatarios, depositarios, negociorum gestores, qui sua culpa damni causa extiterunt, contra nutrices, quæ incaute inter dormiendum paruulos suffocant, quæ sunt homicidii reæ, & contra medicos, & pharmacopolas, qui sua imperitia, uel negligentia alienũ mancipium interficiunt, cuius pretium soluere tenentur, & contra iumentorum medicos, si culpa sua leuissima iumentum moriatur, uel minoris pretii defixo in pede clauo factũ fuerit, aut per aliquod dies quieuerit. Nam tenetur omne dãnum, aut lucrum cessans restituere. Et idem est de similibus iudicium.

QVAESTIO DE RESTITVTIONE FACIENda propter negligentiam ecclesiasticorum.

Art. 1. An clericus omittens horas canonicas ad fructuum restitutionem tenetur.

Adri. in q. an male dispensans beneficium ecclesiasticum &c. So. li. 10 q. 5. ar. 7 Cai. est in sum. uer. hora canonica.

CONCLVSIO.

Clerici Ecclesiastica beneficia in Ecclesia cathedrali possidentes, & in choro non residentes, quotidianarum distributionem dominium non acquirunt, atque ita ad illarum restitutionem tenentur. Definita est cap. 1. de Clericis non residentibus li. 6. decretalium.

CONCLVSIO.

Clerici beneficia ecclesiastica possidentes, si non sint sacris ordinibus initiati, & nullum fructum beneficij recipiant, & non ex culpa sua, sed aliorum canonicas soluere non tenentur. Et ratio est, quia non habens sacros ordines nulla ratione horas canonicas soluere tenentur. quapropter si nullum recipiant stipendium, liberi, erunt ab horarum solut not. dicitur, & nõ ex culpa sua: nam si fuerint excommunicati, uel negligentes in petendis fructibus, tenebuntur soluere horas canonicas. peccatum. n. suum aliis nocere non debet.

CONCLVSIO.

Clerici habentes beneficium ecclesiasticum, & horas canonicas non soluentes, tantum pro rata restituere tenentur, quantum singulis diebus, quibus horæ fuerunt prætermissæ,

respondet. Definita est expresse in Conc. Later. *Sess. 9.*

Magist. Soto non est admittendus in hoc loco dicens, se nescire an hoc Concilium sit in usu, additque quod si per unum, aut duos dies clericus officium omiserit, non esse restitutioni obnoxium: si autem amplius dimittat, ad restitutionē teneri. Cæterum si hoc Concilium plenam habet authoritatem, confessor cum clerico per unum, aut duos dies officiū diuinum prætermittente dispensare non poterit: si uero nullā habet authoritatem, tunc ratione Cōcilij, etiam si per x. dies clericus diuinum officium omiserit, ratione Concilii ad fructuum restitutionem nunquam tenebitur.

Hinc, erit clerico per aliquot dies diuinum officiū prætermitteti consulendum: ut facta fructuum computatione, bullam compositionis accipiat, uel a Rom. Pon. siue ab eius commissario cruciatæ restitutionem petat, atque hac ratione neque omnia, quæ Concil. Later. præcipit, restituet, & in conscientia tutus erit.

Caie. 2. 2 q. 185. ar. 5. Gabri. d. 15 q. 8. Soto libro 3. q. 6. ar. 3.

1. *Diff. An clerici non residentes fructus beneficiorum restituere teneantur.*

CONCLVSIO.

Clericus habens beneficium ecclesiasticum curatum iure diuino in ecclesia eiusdē beneficii residere tenetur, *quod. n.* Christus Iesus tradens Petro ecclesiam dixit, *pasce oues: & reliquis prælatis in persona Petri dictum fuit, & pascere hędos lacte doctrinæ, & correptionis absens non potest.*

CONCLVSIO.

Iure quoque naturali ad residētiam obligatur. nam quod est apud omnes rationi consentaneum, *illud* est de iure naturæ, & hoc est rationi maxime consonum: ut prælati per seipsos, & non per Vicarios, militent quemadmodum miles, qui per seipsum non militat, stipendio dignus minime censetur.

CONCLVSIO.

Et iure quoque positiuo residere tenetur: ut constat ex toto tit. de cler. non resid. nam in c. fi. decretum est, clericum nō residentem esse beneficio priuandum, si monitus non corrigatur.

CONCLVSIO.

Habens beneficium simplex, cui seruitium est annexū, naturali, diuino, & positiuo iure residere tenetur. Dicit. n. B. Pau. altari seruientes futuros esse fructus altari participes. Et hac eadem ratio esse de iure naturę constat, & tandem de iure canonico, quam plurimæ canonicæ sanctiones, toto tit. de cler.

non

non residentibus testantur.

1. Dub. Quando habenti beneficium curatum abesse erit licitum.

CONCLVSIO.

Ratione alicuius impedimenti ab extrinseco, si impedimẽtum non fuerit uoluntarium, non residere licebit: vt si tyrannus episcopum relegaret. Et patet exemplo S. Th. Cantuariẽ, qui fuit a rege Angliæ in exilium relegatus: tunc. n. si ecclesia non periclitatur in fide, sustinendum est exilium, quia bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.

Hinc, etiam integrum erit recedere ab ecclesia ad tempus propter salutem corporalem. est. n. impedimentum in uoluntarium. Appen.

CONCLVSIO.

Potest quoque rõne qualitatis negocii non residere, uel quia est in bonum uniuersalis ecclesiæ: ut si episcopi ad Concilium uocentur, uel propter propriæ diœcesis bonũ, ut si propter defendendam suæ ecclesiæ immunitatem expediat episcopum ad curiam Rom. se conferre, uel tandem propter bonum spirituale totius reipublicæ: ut si episcopus ad componẽdas lites, & ad bella inter reges legatus constituatur.

CONCLVSIO.

Potest etiam ratione conditionis personæ esse absens: ut si expediret ecclesiæ propter excellentiam personæ, aliquẽ duo habere beneficia curata: tunc. n. integrum esset in altero non residere: ut habetur in c. de multa. de præb.

Hinc, episcopus Cardinalis non poterit rõne cardinalatus a sua ecclesia abesse, uel in curia Rom. residere: ut expresse in c. bonæ memoriæ, de postul. prel. habetur, neque poterit abesse episcopus pro rex constitutus. Quia gubernatio temporalis non est spirituali præferenda. Appen.

Hinc, neque erit absoluendus talis prælatus, cum cõtra diuinum, & naturale præceptum uagetur, in quo præter prædictas causas Papa dispensare, haud potest. Appen.

CONCLVSIO.

In residentia beneficii non curati, & habentis annexũ ministerium, Papa ex legitima causa dispensare potest. Constat ex c. ad audiendam, ubi conceditur episcopo: ut possit duos canonicos ad suum seruitium deputatos eligere, qui in sua ecclesia residere non tenentur.

CONCLVSIO

Ratione studii extra beneficia residere licet. Definita est

in c.cum ex eo, de elect.lib.6. Ratio est, quia tunc gerit ecclesiæ negotium.

CONCLVSIO.

In beneficiis non habentibus ministerium annexum, ut in præstimoniis, residentia de iure non requiritur: quia non habent annexum ministerium aliquod, ratione cuius personæ præsentia desideretur.

CONCLVSIO.

Clerici non residentes, & per uicarium administrantes ad restitutionem fructuum tenentur. Definita est in Conci. Tri. Sess.13.c.i.de refor. Gabr.d.15.q.8.ar.2. tenuit olim non esse restitutioni obnoxios.

CONCLVSIO.

Sacræ Theologiæ Doct. publice in aliqua uniuersitate cathedram regentes, in beneficio, etiam curato residere minime tenentur. Definita est expresse in c.fi.de magistris. Vbi fructus præbendarum, & beneficiorum dū in scholis docuerint, concedunt ur: inseruiunt. n. publicæ utilitati, quæ priuatæ est anteponenda.

2. *Diff. An clericus habens plura beneficia compatibilia, siue incompatibilia ad alterius fructus restituendos, tanquam iniustus possessor, obligetur.*

Adr.de restit.Gab.ubi sup.Sylu.uer.beneficium *quoad pluralitatem*, S.Th.quol.9.So.ubi sup.

CONCLVSIO.

Potest aliquis plura beneficia nullam residentiam exigentia sine dispensatione obtinere. Definita est in c.gratia, de rescrip.lib.6.

CONCLVSIO.

Non potest aliquis absque dispensatione plura beneficia simplicia habentia residentiam possidere. Definita est in d.c. gratia. In simplicibus quantum ad pluralitatem, præterquam in præbendis, & dignitatibus ecclesiæ collegiatæ, uel cathedralis episcopus dispensat.

Syl.uerb. benef. 4. §.uli.

CONCLVSIO.

Qui ex dispensatione sine rationabili causa plura obtinet beneficia curata, non est tutus, quoad Deum, licet sit quoad ecclesiam. Quia papa non est beneficiorum Dominus, sed dispensator, & ut dispensatio contra uoluntatem Domini non ualet, ita neque dispensatio in beneficiis curatis contra voluntatem Domini ualebit. dicit. n. D. Ber. ad Rupertum; quid tibi blandiris de dispensatione, cuius conscientia tenetur diuina

Th.ē.ar. 5. & Gabri. & Adria. ubi sup.

sen-

sententia ligata.

2 Dubium. Quotuplex est causa, ob quam ex iure, secluſa diſpenſatione Papali, plura licet habere beneficia.

Reſp. quadruplex. Prima, quando beneficium est exiguum ita ut ſacerdos conuenienter ali non poſſit, ut habetur in ca. eam, de ætate ordinandorum.

Secunda, quando una eccleſia habetur ſub titulo commendationis ad tempus, donec idoneus ſacerdos inueniatur. Ita habetur in can. qui plures. 21. q. i.

Tertia, quando una eccleſia est alteri annexa, uel quãdo ex duabus eccleſiis fit unũ beneficium. Ita habetur expreſſe in c. eam, de ætate, & qual. ord. & in c. qui monaſterium. de religioſis domibus. Hæc aut eccleſiarum unio inutilitatem non perſonæ, ſed eccleſiæ tantum fieri debet.

Quarta, ſi eſſent rari ſacerdotes ad curam animarũ idonei: tunc. n. liceret uni plures habere eccleſias, ita definitur in ca. clericus. 21. q. i.

3 Dubium. Quando ex diſpenſatione iuris hoc idem licebit.

Reſpond. propter ſublimes, & literatas perſonas, quando, ſ. genus, & ſcientia ſunt eccleſiæ neceſſaria, ut ſi eſſet neceſſaria nobilis potentia, ut eccleſia a tyranno liberaretur, liceret alicui nobili plures conferre eccleſias, uel literato propter eccleſiæ utilitatem, ubi uigerent hæreſes: atque ita intelligẽda est Concilii Lateranenſis definitio, ut in c. multa, de præbendis, habetur.

CONCLVSIO.

Facile poteſt diſpenſatio concedi in beneficijs exigentib. reſidentiam, non tamen habentibus annexam curam animarum; ut duo, uel tria beneficia poſſideantur: dummodo non ſint plura, uel ſcandalum inde ſequatur: ita. n. intelligẽda est Clem. i. ut lit. pend. &c.

CONCLVSIO.

Qui obtinuit diſpenſationem abſque legitima cauſa in beneficijs curatis, licet non ſit in conſcientia tutus, ad reſtitutionem tamen fructuum non tenetur. Nam in fructibus beneficiorum poteſt Papa diſpenſare, & illos Regi contra Turcas, uel aliis conferre. diſpenſando namque in pluralitate beneficiorum duo facit, primũ cõcedit, ut quis poſſit duos titulos, & eorundem titulorum fructus habere, & licet non ualeat quoad titulum, ualebit tamen quoad fructuum retentionem. Hactenus ex ſententia Theologorum, quorum iudicio

dicio nullus absque legitima causa plura beneficia curata post sidens absoluendus est, donec uno retento alia dimittat.

Caiet. sententia in summa uerbo, beneficiū, c. 1. est not. qui ait: non esse facile negandam absolutionem huiusmodi hominibus; quia non facile est iudicare, an sufficienter per uicarios beneficia regantur tanta enim potest esse uicariorum solicitudo, & diligentia, ut merito pastores dici mereantur.

Soto lib. 10 q. 5. artic. 6.

3. *Diffi. Retinens beneficium curatum propter fructus recipiendos, non animo residendi, sed dimittendi post tempus tenebiturne ad fructuum receptorum restitutionem.*

CONCLVSIO.

Tenebitur quidē, nisi uoluntate mutata promotus fuerit. quia illos fraudulenter recipit, expresse Definita est in c. Cōmissa. de electione lib. 6.

4. *Dub. Definitio huius textus in beneficijs non curatis habetne locum.*

Gabr. ubi supra dubio primo dicit, teneri ad restitutionem qui recipit beneficiū fraudulēter. Contraria opinio est So. de iust. & iu. & ratio est: qa illa definitio est in odiū curatorum, & ideo erit restringenda, & non amplianda ad beneficia simplicia. fauores enim sunt ampliandi, & odia restringenda.

5. *Dubium. Eritne expectanda iudicis sententia, an statim facienda fructuum restitutio.*

CONCLVSIO.

Statim ante iudicis sententiā erit restitutio facienda, quia lex hæc non est pœnalis, sed conditionalis, hac enim conditione recipit quis beneficium curatum, ut intra annum ordinem sacrum recipiat.

6. *Dubium quid si postquam accepit beneficium curatum animo recipiendi ordines intentionem mutet tenebiturne ad fructuum restitutionem.*

CONCLVSIO.

Tenebitur quidem. Et ratio est, quia textus citatus punit iniustitiam recipientis beneficium, sine animo promouendi seipsum ad sacros ordines, & cum eadem sit iniustitia accipiētis, & retinentis rem inuito Domino, eidem quoque Domino ad restitutionē tenebitur. cæterum animaduerte solū teneri ad restituendos fructus, quos dum perseuerauit in animo non recipiendi sacros ordines, recepit. dicit enim textus citatus, in uoluntate mutata promotus fueris, &c. quare solum, durante iniqua uoluntate, durat iniustitia, Qua propter ad fructus interim receptos restituendos obligatur: deducto tamen stipendio, quod Vicario dedit. quia tunc fuit per Vicarium

rium uerus minister. ut Gab. docet.

4. Diffic. An Episcopus, siue patronus eligens indignum, uel dignum, prætermisso digniori, ad beneficium, ad restitutionem aliquam teneatur.

S. Th. 2. 2. 62. ar. 2. Sot. li. 4. q. 6. art. 3. ad 6. Adr. est q. 4. de restit.

CONCLVSIO.

Conferens beneficium indigno scientia, & moribus tenetur Ecclesiæ damnum illatum propter indigni promotionem restituere. Probatur per c. finale, de iniurijs, & damno illato. ubi dicitur. damnum dedisse, qui causam damni Ecclesiæ fuit. inde enī sequitur damnū spirituale ī ministerio sacramētali.

CONCLVSIO.

Qui confert beneficium digno, prætermisso digniore, qui est longe præstantior, peccat mortaliter: non tamen digniori aliquid restituere tenetur. Ratio est: quia ita conferens beneficium digno, nihil iustitiæ abstulit a digniore. alioqui enim beneficij Dominus non diceretur, & obligatio restituendi ex iniusta acceptione, & detentione ortum habet. neque ullam illi iniuriam irrogauit. Hæc est Adr. ubi supra, quem sequitur Soto contra Caiet.

CONCLVSIO.

2. 2. q. 62. ar. 2.

Eligens dignum nihil Ecclesiæ restituere tenetur, quamuis potuerit eligere digniorem. Ratio est; quia eligens dignū ad sufficiens regimen animarum, non infert Ecclesiæ damnum, & constituere digniorem non est opus præcepti, sed supererogationis, & consilij, & qui agit contra consilium, non peccat, ut can. Vltimo 14. q. habetur.

5. Dif. Qua ætate poterit quis beneficium obtinere.

Adr. est loco citato.

CONCLVSIO.

Nullus non attingens. 25. annum beneficium curatū possidere potest, quod si sine dispensatione obtinuerit, ad fructuum restitutionem tenetur. Difinita est expresse in c. licet de electione lib. 6. & est Concilij Lugdunen.

CONCLVSIO.

Nemo potest ad Episcopatum ante 30. annum promoueri, & licet promotus peccet, ad restitutionem non tenetur. Definita est in c. cum in cunctis, ubi talis Episcopi electio prohibetur, non tamen irritatur.

CONCLVSIO.

Pueri post septennium citra dispensationem beneficium simplex, aut canonicatum obtinere possunt. Ratio est: quia iam ex tunc possunt minores ordines recipere, in choro canere

nere Ecclesiæ seruire; quod satis est ad simplex beneficium, uel canonicatum obtinendum, licet in capitulo uocem non habeant: vt in cap. ex ratione, de ætate, & qualitate definitur.

CONCLVSIO.

Nullus in Decanum, uel Archidiaconum ante 25. annum promoueri potest, & promotus ante præfatum annum ad nullam restitutionem tenetur. Constat in c. Cum in cunctis. ubi talis electio, licet prohibeatur, non tamen irritatur.

V I. Diffic. An habens beneficium, & nondum recipiens sacros ordines ad fructuum restitutionem teneatur.

CONCLVSIO.

Curatus intra annum, ex quo recipit beneficium, ad Sacerdotiũ promoueri tenetur. Alioquin beneficiũ ipso iure uacat, & ad restitutionem receptorum fructuum obligatur. Definita est expresse in cap. licet, lib. 6. de elect. & est Concil. Lugdun.

CONCLVSIO.

Episcopus cum curato, ne intra septennium ad Sacerdotiũ promoueatur, dispensare potest: finito tamen septennio, intra annum Sacerdotium recipere tenetur. Definita est in cap. Cũ ex eo, de electione in 6. est autem unica dispensationis causa, scilicet, ratione studij: nihilominus tamen infra primum annum Subdiaconatus ordinem recipere tenetur.

CONCLVSIO.

Nullus beneficium simplex habere potest, *quin sit* clericus saltem primæ tonsuræ. Alioquin erit ad restitutionem obligatus. definita est in cap. in Ecclesia, de institutionibus.

CONCLVSIO.

Mere laicus, & coniugatus potest in Ecclesia cathedrali prębendam, non tamen canonicatum habere. constat ex gl. in c. cum tamen. de constitutionibus. est autem præbenda stipendium tantum sine titulo, quale est, quod citharœdis, & cantoribus laicis datur.

CONCLVSIO.

Quicunque est inhabilis ad beneficium obtinendum, tenetur ad restitutionem, dummodo electio sit ipso iure nulla. vn de excommunicatus, si eligatur, erit restitutioni obnoxius. Vt constat ex cap. Si celebret, de clerico excommunicato ministrante. & idem est iudicium de filijs presbyteri; ut constat ex toto titulo de filijs presbyterorum.

VII. Dubium. Vacante beneficio, fructus cui erunt restituendi.

Fructus cuiuscunque beneficij ecclesiastici vacantis iure canonico successori reseruantur. Definita est expresse in cap. fi. de

de offic. ordin. lib. 6. & in c. Sæpe, de ele. in 6. nisi consuetudine, aut præscriptione patronus beneficij, siue Episcopus, aut capitulum dominium acquisierit, ut in eo. c. fi. habetur.

7. Diffic. An impediens aliquem a consequutione beneficij, ad aliquam restitutionem teneatur.

S.Th. Scot. Ricardo, ibidem affirmant impedientem aliquem animo nocēdi ex odio teneri ad aliquam restitutionē faciendam, non autem si ut sibi tantum consuleret, impediuit. Vide Adr. ubi supra, qui refert aliā opinionem Geraldi Oldonis, qui ponit hanc regulam: damnum in eo, quod nō erat suum, aut sui iuris, non est necessario restituendum.

S.Th. ubi sup. ar. 6. ad ult. Scot. q. 2. ad ult. Ric. ar. 5 q. 4. Sot. lib. 4. ubi supra.

CONCLVSIO.

Impediens dignum a consequutione beneficij, etiam post quam collator decreuit illud conferre, solum animo sibi, aut alicui amico digno consulendi, ad nullam restitutionem tenetur. Ratio est, quia integrum est unicuique suum negotiū sollicite agere: dummodo nullum iniuria afficiat quam non infert, qui ut digno beneficium conferatur, procurat.

CONCLVSIO.

Impediens dignum, aut digniorē, ut detur digno ex odio, uel inuidia, in illum, cui non erat beneficium conferendum, ad restitutionem non tenetur: dummodo collatorem non decipiat, sed precibus ab illo impetret, ut alteri conferat; licet enim peccet contra charitatem proximi, contra iustitiam tamen minime peccat. propterea que qui impeditur, non erat Dominus beneficij, atque ita cum nō auferatur ab illo, quod suum est, nulla iniuria afficitur.

CONCLVSIO.

Quando impediens non solum animo nocēdi, uerūetiam fraude, & mendacio dignum, uel digniorem a consequutione beneficij conatur impedire, non totum sed partem restituere tenetur, quia nondum erat decretum, cui esset conferē dum, ut si quis imponeret alicui aliquam falsam notā, cuius ratione a consequutione beneficij impediretur, teneretur satisfacere impedito, consideratis circunstantijs per onæ, negocij, & præbendæ, a cuius assequutione fuit impeditus: propterea quod in tali casu iniuriam impedito irrogauit. Nam ratione notę fuit impeditus a petitione, cum inde collator illum tanquam inhabilem habeat, & hac de causa aliquid æquiualens illi petitioni restituere tenetur.

CONCLVSIO.

Si collator decreuit apud se, & dixit se uelle. N. beneficiū

sine

sine mutatione sententiæ conferre, qui ante collationē fraude, uel mendacio, uel aliqua alia ratione facit collatorem mutare sententiam, tenetur quantum ualet beneficium, restituere. Ratio est: quia expolliatur beneficio, quod certissime erat habiturus: quod enim parum distat, Aristotile authore, nihil distare uidetur, & de proximo accigendus, habetur pro accincto, atque ita intelligitur Scot. quando dicit, impedientem animo nocendi teneri ad restitutionem.

Hinc, si impedimentū fiat absque fraude, & dolo, licet fiat animo nocendi, ad restitutionem non tenetur. Nam etsi contra charitatem proximi, non tamen contra iustitiā operatur.

Idem censendum est de eo, qui impedit aliquem a consequutione donationis inter uiuos, uel ne hæres constituatur, uel legatum aliquod illi relinquatur.

Hinc, cui erat compertum Ioannem morientē uelle Petrum instituere hæredem, uel legatarium, & ex fraude detinuit tabellionē: ut ab intestato succederet, impedito uniuersam hæreditatem restituere tenetur.

Hinc, si absque fraude, & dolo induxit testatorem, ut reuocaret testamentum, non tenetur aliquid restituere. non enim fit iniuria hæredi, quando ex uoluntate testatoris, uel sponte, uel aliquo modo inducti testamentum reuocatur.

8. *Dif. Qui simulata sanctitate, uel ficta paupertate bona aliqua acquisiuit, tenebiturne illa restituere.*

Duæ sunt extremæ opiniones, & una media Angel. uerbo restitutio. 1. §. 8. quem refert. Adr. de rest. affirmat. tunc nullā esse obligationem restituendi. Contraria opinio est Ale. Ale. & Altisiodorensis, quos citat, & sequitur Adr. ubi supra.

lib. 4. q. 3 ad 3. Tertia opinio media, est Soti asserētis solū teneri quando eleemosynæ sunt pinguiores; non autem quando tenuiores.

CONCLVSIO.

Obtinens beneficium simulata sanctitate ad illius resignationem non obligatur: sed satis erit deprauatos mores in bonos, & fictam in ueram sanctitatem conuertere. Alex. est ubi supra, quia Episcopus, uel patronus conferens beneficium hypocritæ habet duplicem causam, unam impellentem, seu impulsiuam, & est simulata sanctitas, alteram finalem, quę est ut in Ecclesia optimum ministerium, & ministrum constituat. Vnde si hypocrita optimum gerat ministerium, optime ministrat prædicando, consulendo, & confessiones audiendo, non erit irrita beneficij collatio, cum non cesset finalis causa concedentis.

Qui

CONCLVSIO.

Qui simulata sanctitate eleemosynam pinguem, siue tenuē obtinuit, ad eius restitutionem tenetur: si modo finalis causa donantis fuerit hypocritę subuenire, non propter eius paupertatem, sed ob sanctitatem; ut particeps suffragiorum illius efficiatur. V.g. si diceret, accipe Eleemosynam, ut pro me ores. Et ratio est: quia cessante causa finali, donatio est inuoluntaria, & Eleemosyna ex consequenti restituenda: si autem simulata sanctitas fuerit causa impulsiua, nulla est facienda restitutio: ut si quis libentius, & facilius fingenti sanctimoniam, quā cæteris pauperibus eleemosynam tribuat.

CONCLVSIO.

Eleemosyna titulo fictæ paupertatis acquisita est restituenda: si tamen existimata, uel ficta paupertas, fuerit finalis causa tribuendi Eleemosynā. Ratio est: quia propter deceptionē in causa finali, talis donatio est inuoluntaria, propterea quod ignorantia inuoluntarium efficit.

Hinc, si paupertas existimata non fuerit causa finalis, sed compulsiua, pauper ad restitutionem non tenebitur.

CONCLVSIO.

Restitutio Eleemosynæ propter simulatam sanctitatem, uel paupertatem collatæ: non danti, sed cæteris pauperibus facienda est. Ratio est: quia donans ad subueniendum pauperi propter Deum, & respiciendo personam huius hypocritæ dedit. imo Christo illam elargitus fuit dicenti, quod uni ex minimis meis fecisti, &c.

9. Diffic. An clerici, uel Episcopi, qui luxuriose consumunt Ecclesiæ redditus, ad restitutionē pauperibus faciendam teneantur, ac si non essent ueri redituum Domini.

Duæ sunt opiniones. Prima Canonistarum asserentiū nō esse Dominos, sed dispensatores tantum fructuum, hos refert & sequitur Palud. d. 24. *2. 2. q. 185. art. 7. Alex. Alē. in 3 p. q. 36. m. 5. art. 2. Thom. Vualdensis tomo 1 lib. 4. q. 42. & 4 sequenibus Al.*

Altera contraria opinio est quorundam Theologorum. S. Th. affirmantis clericum esse redituum beneficij Dominum.

CONCLVSIO.

Episcopi, & clerici ueri Domini sunt Ecclesiasticorum redituum, definita est in c. 1. de Canonicis non residentibus lib. 6. & c. olim el. 2. de restitutione expoliatorum, & alibi.

CONCLVSIO.

Clericus redituum Ecclesiæ in stipendium sibi assignatorum ad nullam restitutionem tenetur. Ratio est; quia nec iniuste detinet, neque alienum accipit, neque aliquem damnificat

nificat, quæ tria sunt restitutionis origines.

CONCLVSIO.

In materia de restitutione Cai. ubi supra. S. Tho. Sot. li. 11. q. 4 art. 3.

Episcopus Ecclesiæ bona distrahent, quę sibi sunt data tantum in administrationem, ad restitutionem tenetur. Propterea quod non est Dominus, cum sibi in administratione tantũ data sint, talia sũt oppida, q̃ cameræ Episcopi appellantur.

10. *Diffic. Extrahens alium a religione, uel ne ingrediatur impediens, tenebiturne monasterio aliquid restituere.*

Adria. dicit teneri ad ingrediendam religionem si aliquę a religione extraxit, & non potest reducere, eiusdem opinionis uidetur esse Scotus.

CONCLVSIO.

Extrahens aliquem professum a religione titulo correptionis fraternæ tenetur illi persuadere, ut ad monasteriũ redeat, quia professus uagans extra religionem sine legitima dispensatione est in statu damnationis perpetuæ: atque ita, qui illũ extraxit multo magis, quam alij corripere tenetur. & hac ratione Scot. est intelligendus.

CONCLVSIO.

de rest. Non tamen titulo restitutionis ad hoc tunc tenetur, propterea quod obligatio restituendi prę̃supponit iniuriam illatam, & cum professus sit uolens a religione extractus, *nulla* est illi facta iniuria: uolenti enim, & cõsentienti *non fit iniuria*, unde nulla erit facienda restitutio.

CONCLVSIO.

Neque monasterio a quo extractus est, restitutio facienda est. *nisi* ratione damni illati propter Monachi recessũ. Ratio est, quia restitutio ratione damni illati est faciẽda. & si monasteriũ *nullũ* recipit damnum, nulla erit illi faciẽda restitutio, quod si monachus erat cathedraticus, & monasterio eleemosyna ratione cathedræ tribuebatur, ratione huius damni erit tunc restitutio facienda. & est intelligẽda hæc conclusio, quãdo monachus est extra monasterium, uel nulla, uel illegitima dispensatione. Nam si legitima dispensatione uagetur, neque extrahens, neque monachus erit restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Qui impedit aliquem, ne religionem ingrediatur, non ex præcepto, sed ex consilio ut ingrediatur, persuadere tenetur. quia uolenti non fit iniuria, & uolens fuit impeditus. neq; est necessario corrigẽdus: propterea quod correctio est faciẽda, quando quis diuinum præceptum præuaricauit, & ingressus religionis non est præceptũ, sed consilium diuinum, atq; ita

impedies

impediens loco alterius religionem intrare non tenetur.

11. Diffic. *Lædens aliquem in bonis animæ, teneturne ad restitutionem.*

Duæ sunt opiniones. Prima affirmans Ricar. & Sco. & Adr. de rest. Contraria opinio est Syluest & Sor.

Ri. d. 15. ar. 5. q. 2. Syl. uer. restitutio 3. §. 1. So. li. de iust. & iur. q. 6. art. 3. ad 4. Sc. q. 2. & 3

CONCLVSIO.

Qui damnificauit aliquē in fide, quātum in se est, laborare tenetur, ut ad fidem Romanæ Ecclesię conuertatur, quia damnum illatum possessore inuito est necessario restituendū, & qui in fide damnificatur, innitus est, quia decipitur ignorā ter & ubi est ignorantia, est inuoluntarium.

CONCLVSIO.

Decipiens aliquem circa uirtutem spei, tenetur illud ad spem reuocare. Patet eadem ratione, qua proxima conclusio quia inuoluntarie læditur. ut si quis dicat peccatori, benedic Deum, & morere. neque enim aliquis potest misericordiæ diuinæ desperationem sine errore fidei persuadere.

CONCLVSIO.

Qui inducit aliquem ad peccandum contra charitatem, ut quando inducitur aliquis contra charitatem præceptorum decalogi, siue Ecclesiasticorum, si inductus in peccato perseuerat, non ex præcepto, sed ex Consilio ad restitutionem tenetur Ratio est quia nemo id, quod abstulit uolente, & consentiente possessore, restituere tenetur. Volēti enim non fit iniuria, & ad peccandum, seclusa ignorantia, nisi sciens, & uolēs inducitur nemo.

CONCLVSIO.

Inducēs aliquē ad peccatū, intelligēsque illum in peccato perseuerare, ex præcepto correptionis fraternæ illū ad resipiscētiā inducere tenetur. Cōstat apud Mat. si peccauerit in te, &c.

QVÆTIO DE RESTITVTIONE FAMÆ.

Art. I. Teneturne aliquis cum detrimento uitæ proximo famā restituere

Caiet affirmat nunquam esse faciendam restitutionem rei inferioris ordinis cum detrimento superioris. Soto oppositum tuetur, affirmans in aliquo casu esse famam restituendam cū periculo uitæ.

CONCLVSIO.

In his, quę frequentius accidūt, homo ad restitutionem bonorum inferioris ordinis non tenetur, quando aliter, nisi cum dispendio bonorum superioris ordinis restitui non possunt. nemo enim tenetur restituere bona fortunæ, quando aliter, nisi cum detrimento famæ, restituere non potest.

neque bona famæ cum periculo uitæ restituere tenetur quia restituens bona inferioris ordinis, cum detrimento superioris ordinis plus redderet, quam abstulit, quod est contra iustitiam, cum nemo plus damnificato reddere, quam ab illo abstulit, teneatur, notanter dicitur, quãdo aliter nõ possunt restituti propterea quod restitutus inuestigare debet secretissimos restituendi modos, sine bonorũ superioris ordinis dispendio.

Appen. Hinc, qui imposuit alteri crimen adulterij, aut hæresis, & non potest sine dispendio uitæ restituere, ad restitutionem non tenetur. uita enim temporalis famæ alterius præstat.

CONCLVSIO.

Quando ex infamia unius personæ, uel familiæ toti reipublicæ magnum detrimentum, scilicet, bellum, uel inter ciues graue dissidium nascitur; tunc infamator, si aliter respublica sedari non potest, etiam cum dispendio uitæ alienam famam restituere tenetur, fortis enim politicus, teste Aristotele; pro salute patriæ ad mortem subeundam obligatur, tum etiã; quia salus, & tranquillitas reipub. salute, & uita particulari alicuius ciuis præstantior est.

Hinc, qui magno duci proditionis crimen imposuit, unde uniuersa ciuitas, seu exercitus in armis constituitur, & multorum cædes timentur, tunc infamator, etiam cum dispendio propriæ uitæ famam restituere tenetur, quia ratione circunstantiæ non plus reddit, quam abstulit. præstantior si quidem est fama ducis tunc, quam diffamatoris uita.

CONCLVSIO.

Quando ex infamia imposita mors infamati timetur, tũc infamans, etiam cum periculo uitę obligatur ad restitutionẽ, si.n. altericrimẽ latrocinij, aut hęresis imposuisti, ꝓpter quod innocens comburendus, uel suspendendus est, teneberis mortem subire, si aliter illum liberare non potes. Adria. est q. de restitutione famæ. nam teneris uitam propriam expendere, ne innocentis iniusta mors inferatur.

Sco. q. 3. ar. 4. Ri. ar. 5. q. 3 Nau. ca. 25. numero. 35. Soto li. 5. q. 6. ar. 1. 2 2. q. 62. ar. 2. & q. 69. ar. 2.

1. Diffic. *Qui negat in iudicio uerum crimen, de quo accusatur, tenebiturne ad restitutionem famæ accusantis, eo quod sit notatus calumniæ in probationibus deficiens.*

Opinio Scot. & Ricar. est, ut non teneatur, quando non tenetur confiteri crimen, quia neque plene, neque semiplene probatum est. addit præterea Scot. salubre esset consilium, si reus diceret, non est credendum, accusatorẽ animo calumniãdi me accusasse, sed bono zelo.

Altera opinio est Caieta. s. teneri reum ad restitutionem,

quando

quando difitetur crimẽ in iudicio, etiam præter iuris ordinẽ.

CONCLVSIO.

Reus, quando conuincitur plena, aut semiplena probatione, negatque in iudicio uerum crimen, nihil contra accusatorem dicens, ad restitutionem famæ illius non tenetur, nisi accusatorem calumniatorẽ esse dixerit. Ratio est, quia nihil dicens contra accusatorem, & negans crimen, licet peccet mortaliter, non tamen calumnia accusatorem notat, cum crimen in iudicio sufficienter probauerit. at uero dicens contra calumniatorem mentitur, atque ita ad restitutionem tenetur, si accusantis fama læsa maneat.

1. *Dubium. Quomodo igitur restitutionem faciet.*

R. si iudicium durat, confitendo crimen, etiamsi illud sæpe negauerit: si autem iudicium finitum est, tenebitur etiam iudicium confiteri accusatorem nõ fuisse calumniatorem, sed de hac re supra in q. de correptione fraterna.

Ri. ubi sup. et S. Th. 2. 2. q. 69. ar. 2. Ricar. & Scot. est contra Caieta.

CONCLVSIO.

Reus accusatus sine aliqua probatione, neque tenetur crimen confiteri, neque si negando dixerit, accusatorem fuisse calumniatorem, ad aliquam restitutionem erit obligatus. nam calumniator non solum dicitur qui falso accusat: Verumetiam qui nullis præcedentibus probationibus accusat, ut ex c. 2. de calumniatoribus colligitur. Vnde reus notans accusatorem calumnia non mentitur.

2. *Dubium. Qui famam alterius læsit, teneturne post quodcunque tempus ad restitutionem.*

R. si diffamator non habet certitudinem de obliuione infamiæ eorũ, apud quos alium diffamauit ad restitutionem tenetur: si uero quibusdam coniecturis, illos oblitos iam fuisse colligit, minime tenetur. propterea quod cum innocens nulla tunc laboret infamia, nihil erit restituendum. intelliget autem fuisse oblitos, si interroget, meminerit ne, aliquo tempore de Catherina optima fœmina aliquod crimen fuisse dictũ, qui si dixerit se audiuisse olim tale crimen, tenebitur ad restitutionem: sin minus, nequaquam.

3. *Dubium. Esne locus compensationis in restitutione famæ.*

R. cũ Soto, est quidem: dummodo sint cætera paria. Nam si tu infamasti Petrum crimine hæresis, & Petrus te adulterij, restitutioni eris obnoxius, quia ut in pecunia cõpensatio nõ habet locum, nisi quando debita sunt æqualia, ita & in famæ restitutione. Tumetiam debet uterque esse suæ famæ Dominus. Nam si fama unius est alijs necessaria, quia est Prælatus,

non est compensationi locus. Et ratio est, quia ubi non est locus remissioni famæ, aut pecuniæ, neque compensationi: cum compensatio sit mutua debiti remissio. Adria. est q. penultima, de restitutione. Et constat ex c. tua fraternitas. de adulterijs. ubi habetur paria delicta mutua cõpensatione tolli.

2. Diffic. *Potest diffamatus detractori restitutionem dimittere, aut compensare pro pecunia.*

Tres sunt opiniones. Prima Adriani affirmatis, in tegrum esse unicuique propriam contemnere, uel remittere famam. Secunda, & cõtraria est Caiet. Tertia, & media est, S. Tho. ibidẽ ar. 4. ad primũ dicẽtis, in arbitrio hominis esse detrimẽtum suæ famæ pati, nisi hoc uergat in periculum aliorum.

q. penul. de rest. 2 2. q. 63. ar. 2. So. lib. q. de iust. & iur. q. 6. ar. 3. ad 3.

CONCLVSIO.

Quando fama non est alijs necessaria, quia diffamatus nõ habet descendentes, quibus eius infamia nocere possit, remittendo famæ restitutionem, uel pro pecunia illam recõpensando, non peccat quia cum fama sit bonũ temporale, & propriũ diffamati, sitque famæ Dominus, poterit illam prodigere, suoque iuri cedere, remittendo detractori famę restitutionem. Aristot namque Eth. horũ gloriam, & honorem partes fœlicitatis, bonumque proprium, & non commune esse docet.

CONCLVSIO.

Quando infamia unius in descendentium, uel *familiæ* detrimẽtum temporale, uel famę redundat, diffamatus tunc famæ restitutionem remittere haud potest. propterea quod alijs nocet. unde infamatus crimine hæresis, & publica pœnitẽtia notatus, non poterit suo iuri cedere. quia toti Reipub. & eius familiæ noceret.

CONCLVSIO.

Si infamia unius resultat in detrimentũ spirituale alterius, diffamatus iure suo cedere non potest. quia contemnendo propriam famam multis ruinæ occasionem præbet.

Hinc, pater, iudex, Prælatus, concionator famę restitutionẽ remittere non possunt. Nã cuius uita despicitur, restat: ut eius doctrina contemnetur.

CONCLVSIO.

Potest fama pro pecunia remitti, siue cõpensari, quando sine peccato famæ restitutionem condonare licet. Ratio est; qui fama est bonum temporale, & pecunia æstimabilis, & illam remittendo, uel pro pecunia cõpensando nemini nocet.

Nota nõ omnibus criminibus omnes infamari. fornicatione namq; simplici fama religiosi, nõ autem sęcularis denigratur

tur non enim pluris faciunt dicere, fornicatus sũ, quã cęnaui.

4. *Dubium. An sit mortale diffamatum in uno loco iudices auctoritate, in alio infamare.*

CONCLVSIO.

Neque est mortale, nisi iniquo animo fiat, neq; detegens crimen ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia punitus publice ob crimẽ aliquod, nullam secundũ leges habet famam cum iuxta illas sit infamis, & colligitur ex Sco. dicente qui accusat aliquem in iudicio, & cõuincit duobus testibus, nõ in famat, quia crimen coram duobus commissum est publicum, & solum facit ut magis publicum sit.

5. *Dubium. Restituens famam tenebiturne cum iuramento se falsum dixisse testari.* — *Soto li. 4. q. 6. ar. 3 ad 4. Syuerbo de tractio.*

R. tenebitur, si ad faciendam fidem fuerit necessarium.

6. *Dubium. Qui non potest famam restituere, tenebiturne loco famæ pecuniam dare.*

R. cum Ric. & Adr. in hac materia, qui asserunt famam esse restituendã, si non in toto saltem in æquiualenti. & per æquiualens aliqui pecuniã intelligunt: quia fama est pecunia æstimabilis, & ut ladens in bonis corporis, quia membrum re sarciri non potest, tenetur pecuniam restituere: ita qui nõ potest restituere famam, &c. idem est iudicium de rest. honoris. ut si quis alium fustibus percutiat, aut alapam impingat

QVÆSTIO DE RESTITVTIONE ex bello iniusto. — *Al. Aẽ. q. 47. m. 3. in 3. p. S. Th. 2. 2. q. 40. Ric. ar. 5 q. 4. Soto libr. 5. de iust. et iure q. 3. ar. 5.*

Art. An fidelium Christianis bellum gerere.

CONCLVSIO.

Integrum est aliquando bella gerere. hæc est de fide, & oppositum est hęreticum. Ratio est; quia aduersatur diuinæ scripturæ asserere, bellum nunquam fuisse licitum. ut 1. Reg. 15. ubi præcepit Deus Sauli, ut demoliretur Amalech, & uniuersum. &c. iratusque est Deus Saul, quia regem uinum seruauit. & D. Ioa. Bap. Luc. 3. dixit militibus, contẽti estote stipendijs uestris, unde si illicitum fuisset bellum primum, ut a bello abstinuisset, persuasissent.

1. *Dubium. ut bellum sit iustum, quot desiderantur.*

R. tria. Authoritas, iusta bellandi causa, & recta militantiũ intentio.

CONCLVSIO.

Authoritas tunc ad bellandum concurrit, quando bellum gerens superiore caret, uel si habet, illius authoritate expeditionẽ bellicam parat: nam quia deest, qui satisfaciat, pro

iniuria passo illata, ideo bellum geritur. & quando uterque, lædens. s. & læsus sunt subditi, non est necessarium bellum, cũ possit læsus coram proprio iudice conuenire lædentem, atque ita requiritur principis, siue superioris authoritas. non n. sine eius facultate subditus multitudinem conuocare potest, si hoc ad sui defensionem faciat.

CONCLVSIO.

Causa iusta bellandi, uel est defensio innocentium, & correptio uiuentium contra legem naturalem, uel repetitio iniuste ablatorum, uel iusta delinquentium punitio: si enim sit gens damnans innocentes, illas debellare licet pro innocentium salute. dicitur namque in prouerbijs, Innocentem ne cesses liberare. tertiam & quartam par. concl. probat D. Aug. lib. 83. q. ubi ait, iusta bella, solent definiri, quę ulciscuntur iniurias, si gens, uel ciuitas plectenda est, quæ uel uindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, uel reddere quod per iniuriam ablatum est.

CONCLVSIO.

Tunc recta est bellantium, siue militantium intentio, quãdo bellum hostibus non animo sumendi uindictam, uel rerũ cupiditate, uel dominandi ambitione, sed propter aliquam proximæ conclusionis causam bellum infertur, præsertim, ut in pace uiuatur. ait enim D. Aug. ad Bonifacium, *non quæritur pax, ut bellum geratur & exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* Et 10. Ethico. bellum inquit Aristo. geritur, ut in pace uiuamus.

Hinc, expugnatur hęresis Manicheorum omnia bella damnantium, & Lutheranorum errorem asserentium, bellũ aduersus infideles nullo modo esse licitum. quas confutat pater a Castro lib. 3. contra hæreses, uerbo, bellum.

1. *Diffi. Tenenturne gerentes bellum ad restitutionem quando bellum ex defectu tantum authoritatis est iniustum.*

De hac difficultate disputat Adr. in q. de restitutione belli.

CONCLVSIO.

Deut. 16 Adr. ubi sup. Syl. uerb. bellum. §. 9. Gabr. d. 15. q. 4.

Qui propria authoritate debitorem publicè, siue occulte expoliat, ut rem suam, siue æquiualens assequatur, cum possit illã iudicis authoritate recuperare, si armis aut cum scandalo istud faciat, mortaliter peccat: non tamen est ad restitutionẽ obligatus. accipit namque contra ordinem iuris rem suam, & agit contra legem naturalem, & diuinã iuste enim, dicit Scriptura, quod iustum est, exequeris, & cum rem suam titulo recompensationis retineat, non erit restitutioni obnoxius.

2. Diffic. qui plura intulit damna in bello, quam fuerit ualor rei occupatæ, crimine restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Qui defendendo seipsum plus æquo aduersarius lædit ad restitutionē damni illati tenetur. Ratio est, quia unicuique licet seipsum defendere, & uim ui repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et est definita in ca. olim, primo, de restitutione expoliatorum. ubi habetur, excedentes modum in defensione teneri ad restitutionem excessus: est autem moderamen inculpatæ tutelæ, quando quis tantam defensionē, aut tantum aduersario nocet, quantum ad propulsandam iniuriā & non amplius requiritur.

Limitatio

Intelligenda est conclusio de defendentibus se, & habentibus superiorē. nā si nō habēt, poterūt nō solum seipsos defendere, uerumetiā hostes in pœnam delicti punire, & persequi.

CONCLVSIO.

Adr. Sy. & Gab. est.

Quando bellum est iustum, & superioris authoritate infertur, qui plus absulit, quam ab hostibus debebatur, siue aggressor, siue defensor sit, ad restitutionem minime tenetur. Et ratio est: quia quando bellum est non nisi iustum, qui gerit bellum, est minister iustitię Diuinæ, & humanæ: atque ita potest, ut iudex, & minister, in pœnam delicti retinere omnia, quæ ab aduersarijs ultra rem a tyranno occupatam, abstulit, quemadmodum iudex punit latronem in septuplū ultra rei uirtiuæ præcium.

Appen.

Hinc, nostri Christianissimi Hispaniarum reges, iure, quia iusto bello, regnum Nauarræ possident.

Appen.

Hinc quoq; reges, & principes iusta bella gerentes ciuitates, & oppida, quæ durante iusto bello occupauerunt, restituere non tenentur, quamuis hostis non abstulerit castella.

CONCLVSIO.

Inducens bellum sine superioris authoritate, & iusta de causa ad recuperādas res proprias ab aduersarijs usurpatas, quicquid ultra sibi debitum abstulerit, restituere tenetur. quia cū non sit iustitiæ minister aduersarium punire, uel ab illo quicquam, ultra sibi debitum auferre non potest, quemadmodū Dominus rei furto sublatæ, furē in quadruplo punire nequit: ut potest iudex.

2. Diffic. Esne militi Christiano licitum pro redemptione alterius Christiani iusto in bello capti exigere, et recipere pecuniam.

CONCLVSIO.

Poterit miles tunc certam exigere pecuniam. Ratio est:

quia princeps, durante bello iusto, est iudex contra hostes iniquum bellum gerentes: atque ita non solum morte, verum etiam priuatione bonorum illos castigare poterit, integrumque erit non solum bellantes; verum etiam cuiuscunque principis iniquum bellum gerentis subditos capere, & pro illorū redemptione pecuniam exigere.

CONCLVSIO.

Princeps iniustum gerens bellum omne damnum suis subditis illatum ab aduersarijs resarcire tenetur; est enim causa damni subditorum, & qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, vt ex cap. finali, de iniurijs, constat.

Caiet vbi supra.

3. *Diffic. Teneturne iustum bellum gerens statim, vt satisfactio offertur, a bello abstinere.*

CONCLVSIO.

Quando ante bellū inceptum satisfactio offertur, qui iustū bellū parat, abstinere tenetur. Ratio est; quia bella gerere non est actus voluntatis, sed necessitatis. vt D. Aug. tenatur, & refertur in ca. noli, & oblata pace in principio belli nō est amplius bellū necessariū. dūmodo sit facta integra satisfactio, idest, restitutū ablatū, & omnes expensæ ad bellum gerendum factæ.

D. Aug.

CONCLVSIO.

Si pax, & satisfactio ab hostibus offeratur, quando iam semi prælium est, vel prope finem belli, & sunt multæ hominum cædes factæ, gerens bellum iustum, neque satisfactionē admittere, neq; a bello abstinere tenetur, tametsi possit iudex quando incepit in causa criminali cognoscere, incepta causa non tenetur satisfactionem admittere, sed vsq; ad diffinitiuam sententiam procedere potest. & gerens bellum iustum contra suos hostes est in causa criminali iudex.

Gab. vbi supra.

4. *Diffic. Liceatne hostem iniuste bellantem interficere, quando deposita contumacia se subijcit.*

CONCLVSIO.

Quando hostes sunt damnati crimine proditionis: vt si princeps contra suos subditos rebelles pugnet, huius principis milites hostes ēt seipsos non defendentes occidere possunt. quia tunc milites sunt ministri iustitiæ, & vt hostes per carnificē erant suspēdēdi, ita gladio militū iuste interimi possunt.

CONCLVSIO

Quando hostes non sunt tali crimine damnati, & libenter se in manus hostium deposita contumacia tradunt, quod vulgo dicitur, renderi non sunt interficiendi. nam cum gerant bellum iniustum, sunt in mortali, atque ita illos impenitentes oc-

tes occidere non est licitum. tumetiam bellum non getitur, nisi cõtra hostem iniuste pugnantem,& qui se subijcit de posita contumacia,nec pugnat,nec se defendit.

5. *Diffic. Possumne monasteria,& Ecclesiæ,clericorumque domus expoliari, quando militibus oppidum expoliandum traditur.*

CONCLVSIO.

Si bellum iustum contra Prælatum Ecclesiæ iniuste pugnãtem geratur,clerici expoliari possunt. Ratio est,quia sunt subditi Prælati iniuste pugnantis.

CONCLVSIO.

Si bellum nõ est contra Prælatum,sed aduersus tẽporalem Dominum,neq; clerici, neque monastetia expolianda sunt, & damna a militibus illata sunt restituenda. hæc conclusio definitur in c. Innouamus,de tregua,& pace,& est Concilij Lateranen sis sub Alexan III. sunt etiam milites excommunicati Papali excommunicatione; vt in capite conquæsti,de sententia excommunicationis,habetur. similiter expoliantes terras Romanæ Ecclesiæ vt in bulla cœnæ Domini habetur.

6. *Diffic. An gerens bellum iustum quoscunque subditos, etiam innocentes partis aduersæ expoliare possit.*

CONCLVSIO.

Quando ciuitas militibus in prædam datur, omnia bona ciuium,etiam innocentium, expoliari possunt. Quia omnes illi hostes censentur, & tota ciuitas vnum hostem repræsentat: atque ita milites inter vnum ciuem & alium discernere non tenentur. Hæc Caietanus. Nihilominus tamen similitibus constaret aliquem ciuem esse innocentem,tenerentur illi ignoscere. Nam iniquum est innocentem punire. Quando ciuitas in prædam datur, quidam iure Canonico excipiuntur, qui quidem in canone. Innouamus. citato referuntur. Nam excipiuntur peregrini, & mercatores, hospites ad nundinas venientes,& rustici euntes,& redeuntes ad agriculturã; non autem domi existentes, & alij,de qua re lege Caietanũ vbi supra & Canonem paternarum. 24. q. 3.

7. *Diffic. An princeps, qui iuste se descendit,possit pactum cum gerente bellum iniustum facere,ne damnum illatum suis subditis restituere teneatur.*

Adria. tenet partẽ affirmantẽ;teneri tamẽ dicit principem ad resarciendum damnum,suis subditis per hostes illatum.

CONCLVSIO.

Quando aliter hostes expugnari non possunt, nec opidum ab hostium iniuria defendi, licitum erit remittere aduersarius

uersarius damnum iniuste illatum,& non aliter.Rō est; quia princeps quando expedit reipub.ut in casu concl.ciues parte suorum bonorum priuare potest:gerit.n.personam totius rei pub.& habet maius dominium supra bona cuiuscunq; ciuis, quam ipsemet ciuis habeat. Sunt.n. dominia a iure ciuili introducta:tunc.n. negocium ciuium utilius gestum est, cum a maiori dispendio liberentur.

CONCLVSIO.

Si princeps pacem cum aduersario iniuste pugnante constituat,& ne damnum ciuibus illatum restituere teneatur,cō cedat,tenebitur aduersarius omne damnum restituere: quia omnis donatio,& remissio inuolūtaria est nulla:talis est hęc remissio:quia fit metu belli iniusti, & omnis talis metus facit actionem inuoluntariam.

8.*diffic. An qui ex negligemia subditos ab aduersarijs non defendit,ad restitutionem damni illati teneatur.*

Supra responsum est,quando explicauimus non obstantē, & non manifestantem,scilicet,iudicem,dominum, ducē,aut principem,teneri ad restitutionem, quando possunt damnū impedire,& non impediunt: nisi forte iustam causam timendi aduersarium, habeant.tunc.n.quamuis hostibus ciuitatem aliquam ad uitandum maius periculum tradat, non peccat; neque ad restitutionem tenetur: ut ex difficultate proxima constat.

9.*Dif.Tenenturne milites causam belli,iusta ne sit,an non examinare, an sola principis obedientia,illos compellentis,excusat.*

Adr.ubi sup & Caie.verbo,bellum,in summa de hac difficultate uerba faciunt.

CONCLVSIO.

Milites,qui sunt principi gerenti bellum subditi, belli iustitiam examinare non tenentur,sed ratione obedientiæ excusantur,si tamen iniustitia fuerit illis ignota:nam ut carnifex non tenetur examinare causam hominis suspendendi,ita neque milites belli causam.Definita est in ca. quid culpatur. 23.q.i.& est B. Aug.

CONCLVSIO.

Milites conducti,uel uocati, prius belli iustitiam examinare tenentur:si n minus,solum ad illud, in quo facti sunt locupletiores,restituendum obligantur. Ratio est: quia possessor bonæ fidei,postea quam distraxit alienum, non tenetur æquivalens,sed illud tantum,in quo locupletatus est,restituere:ut si ex gēma in bello capta locupletatus sit vsq; ad quinq;,licet

ipsa

ipsa decem ualeret, quinque duntaxat restituere tenebitur.

10. *Diff. Tenenturne omnes milites iniuste bellantes prædam ciuitatis insolidum restituere, an quod unusquisque tantum abstulit.* Cæie. 2. q. 62. ar. 7.

Tenentur in solidum ad totam prædam, nisi impotētia restituendi excusentur: quia quilibet est causa prædæ. mutuo. n. se adiuuabant; quādoquidem unus solus totam ciuitatem expoliare non poterat: si autem fuerit præda Rom. urbis, uel terrarum Romanæ ecclesiæ, milites, & ad restitutionem tenētur & Papali excommunicatione cœnæ Domini ligantur.

11. *Diff. Teneturne milites restituere, quæ ab hospitibus, & ex alienis uineis, aut agris accipiunt.* Cai. ver. exc. c. i.

CONCLVSIO.

Potest consuetudine introduci, ut rustici alicuius principis iustum bellum gerentis milites tempore belli alere teneātur, præsertim, si bellum est ad rusticorum possessiones defendendas. Ratio est: quia talia alimenta naturam tributi habent; & ut est consuetudine introductum milites hospitio gratis recipi, ita introduci pōt, ut quilibet ciuis gratis suū militem alat.

CONCLVSIO.

Tenentur milites restituere omnia spolia, ex omnibus uicinis, uel eorū agris, qui non sunt hostes, ablata, ubi non fuerit talis consuetudo, quia alienum inuito Domino auferūt.

QVAESTIO DE RESTITVTIONE vectigalium.

Primo loco explicandum est, qua rōne hæc nomina vectigal, Census, Pensio, Tributum, Duana, Pedagium, Talia, & Gabella differant, quæ a Syl. uerbo, gabella, explicantur.

Census est nummus, qui soluitur a Repub. secundum quantitatem, quam quisque possidet, & Hispanice dicitur (pecho) Vnde hodie idem sunt Census, & tributum. Nam olim Census erat pensio, quam ciues pro capite principi tribuebant, & in aliquibus locis hodie (martiniega) uocatur. daturque in signum subiectionis.

Vectigal est pensio, quæ ex mercibus uenditis soluitur, & differt a censu fine, & materia. finis. n. census est subiectionis protestatio, & materia numisma: uectigalium autem finis est rerum publicarum. s. murorum, pontium, &c. reparatio. Vocatur Hispane, alcabala: & idem omnino est gabella, soluiturq; decima mercium pars.

Pedagium est pensio, quæ a uiatoribus ad custodiēdas uias a latronū incursu soluitur. Hispanice (portazgo) nominatur.

Duana idem est, quod uectigal, distinguiturq; in hoc, quia sol-

soluitur pro rebus uenalibus, quæ ab uno regno ad aliud vẽdendæ transportantur.

Talia est collecta, siue pensio, quæ principi secundum quã titatẽ bonorũ cuiuscunq; ciuis datur, & est idem quod cẽsus.

Tributum proprie est pensio, quæ pro alendis militib. soluitur, & stipendium appellatur.

Art. An uectigalia, quæ hodie Regi, & magnatibus in Hispania soluuntur, licita sint.

Absoluetur art. duobus expositis. Primum, quis possit uectigalia imponere. Secũdum quibus de causis licite imponãtur.

CONCLVSIO.

Princeps quicunque superiore carens uectigalia imponere potest. Definita est in Conc. Later. & habetur in cap. innouamus, de censu: ubi excommunicationis sententia feriũtur noua uectigalia sine authoritate, & consensu Regum, & Principum imponentes, & latius ab Innoc. III. in c. super quibusdã, de verb. sig. confirmatur.

Hinc, respublica nulli subiecta, ut Venetorum, & Genuensium noua uectigalia imponere potest. Nam princeps quoq. dicitur, qui nulli subiicitur.

Hinc, duces, & comites regi subditi noua uectigalia, uel obsequia imponentes sine principis authoritate, excommunicati sunt, & ad restitutionem tenentur.

Hinc, uectigalia, uel obsequia, quæ antiqua consuetudine dominis soluuntur, iux. conc. Later. licita sunt.

CONCLVSIO.

Octo sunt causæ, quibus noua uectigalia imponi possunt.

Prima, ratione expensarum ad bellum pro defensione ciuitatis, aut regni incundum.

Secũda, propter expẽsas ad bellũ iustum alijs inferendum.

Tertia, ad redimendum dominum in bello iusto pro ciuibus captum. nam si bellum esset iniustum, esset ex proprio patrimonio redimendus.

Quarta, pro utilitate publica: ut ad construendum aliquod ædificium, & habetur in c. cum apostolus. de censib.

Quinta, ad redimendam rempub. ab alio onere: ut si ciues inter se pecuniam ad tributum redimendum colligerent.

Sexta, quando princeps non haberet patrimonium ad regiam maiestatem conseruandam, & est S. Th. in epist. ad Duciſſam Barbantiæ.

Septima, propter locandam regis filiam, siue prolem regiã commode alendam.

Octaua,

Octaua, ad redimendam prolem regiam ab hostibus captã uel liberandum regnum ab aliquo obsequio, quod hostibus soluitur. Additur his ultima, ad satisfaciendum læsis in bello iniusto: ut si aliqua Respublica iniustè aliquos damnificauerit, & hæc satisfactio uocatur Sissa, quæ imposita fuit, finitis bellis ciuilibus, quæ, communidades, hispanice uocabantur: rationi si quidem consentaneum est, ut Respub. quibus damnum intulit, satisfaciat. Ratio autem harum omnium causarum eadem est, nempe, communis utilitas: nam quicquid in maiestate regia commode, & non superflue sustentanda expenditur, in communem utilitatem redundat.

CONCLVSIO.

Quæ modo in regno Castellæ uectigalia imposita sunt, iuste a rege exiguntur. sunt enim necessaria ad custodienda regna in terris maritimis. Vbi continuo milites propter incursum saracenorum, & aliorum infidelium existunt, & ad alendum exercitum triremium, quibus uia maris defenditur, quę omnia sine magnis expensis a ciuibus collectis diu conseruari haud possent.

CONCLVSIO.

Iuste quoque a rege Hispaniarum, etiam si nulla essent bella exigerentur. nam ciues tenentur regiam maiestatẽ alere. Alioqui. n. non haberetur aliquod patrimonium, quo rex, & regia proles sustentarentur.

Hinc, cum magnates Hispaniæ a rege uectigalia emerint iure optimo illa possidere dicuntur.

1. *Diff. An princeps immoderata uectigalia exigere possit.*

CONCLVSIO.

Rex, seu princeps iniusta uectigalia exigere non potest. dicuntur autem iniusta, siue immoderata, quando aliqua causa iusta exigendi ex dictis in proxima difficultate, non subest. Et ratio est, quia bona ciuium sunt propria, & non dominorũ. Vnde si iniustis uectigalibus grauarentur, Rex tunc ad restitutionem eorum, quæ iniuste exigit, teneretur. *Ric. in 2. d. 44. ar. 3. q. i.*

CONCLVSIO.

Oẽs magnates noua obsequia a subditis, uel a priuatis exigentes, & peccant mortaliter, & ad restitutionem tenẽtur. Definita est in c. super quibusdam, de uerb. sign.

2. *Diff. Defraudans uectigalia iusta teneturne ad restitutionem.* *Gab. ubi sup. q. 6. Caieta. in sum. uect.*

CONCLVSIO.

Qui non soluunt uectigalia iusta, quando exactores conducentes uectigalia petunt, mortaliter peccant, & ad restitutio-

tutionē tenētur. sunt enim reditus Reipublicæ vel principis, & qui nō soluit reditus vero, & iusto Dño, mortaliter peccat, & est restitutioni obnoxius, quid? quod Christū Iesum legimus soluisse tributū, & dixisse, reddite, quę sūt Cęsaris Cęsari.

Matt. 33 Lucæ ca. 20.

1. Dubium. Tenebiturne soluturus vectigalia, tributorum exactores quærere ad soluendum?

CONCLVSIO.

Secundum consuetudinē Hispanicam nullus tenetur vectigalia soluere, donec a quæstoribus exigantur; tenetur tñ non consummare venditiones occulte, aut si occulte vēdat, quæstori significare, vel si pedagiū fuerit soluendum, tenetur nō diuertere a via, ne quæstores, vel portitores decipiantur. Et ratio est; quia retinens vectigal donec exigatur, & est paratus soluere, non retinet inuito Domino, atque ita non peccat.

Appen. Hinc, vendentes proprias merces in foro, nec quæstorem vectigalis quærere, neq; venditionem manifestare tenentur. satis enim superq; in petendis vectigalibus vigilant.

Appen. Hinc, faciens contractum palliatum titulo, nimirū donationis, cum sit vera venditio; vt quæstorem decipiat, ad vectigalium restitut. tenetur. Similiter, qui extra terminum ciuitatis, aut coram scriba occulte venditionem cælebrant.

CONCLVSIO.

Non soluens vectigalia tenetur habere animum paratum soluendi, quandocunq; petantur, sunt enim debita ex lege, & aliena alioquin mortaliter peccabit: iniusta vero vectigalia non sunt soluenda. Et si soluantur, sunt restituenda.

Gab. q. 1. ar. 7. Medina. q. 14.

3. Diffic. Domini temporales pedagia exigentes pro tutandis vijs, si fuerint negligentes tenenturne viatoribus spolia a latronibus capta restituere?

CONCLVSIO.

Si sufficientem diligentiam in relegandis latronibus non adhibeant, spolia capta restituere tenentur. Nā inter soluentes pedagia, & dominos tēporales est contractus mutuus assecurationis, & licitus: quapropter, si viæ non fuerint tutæ, viatoribus damnum resarcire tenentur. sunt enim Domini temporales præsides viarum, & præsides prouinciarum tenentur omne damnum per suam negligentiam innocentibus illatum restituere: vt constat toto titulo ff. de officio præsidis.

Appen. Hinc, si sufficientē adhibuerint diligentiā, non tenebūtur capta a latronibus restituere, quia tunc non sunt dāni causa.

Est autem sufficiens diligentia, quando satellites ad compræhendendos latrones mittuntur.

4. Diffic.

4. *Diffic. Quando Domini sunt negligentes; erunt ne viatores obligati ad soluenda pedagia?*

Gab.& Ang. tenent viatores tunc, neque peccare, neq; obligari ad restitut. Oppositum defendit Med. de restitutione. *Vbi supra. q.* 14

CONCLVSIO.

Tunc defraudantes pedagia neq; peccant, neq; tenentur ad restitutionem: quia cessante causa finali legis in lege expressa, cessat legis obligatio. & in lege pedagiorum exprimitur causa. s. pro tutandis vijs. quare si via latronibus abundat, cessat obligatio soluendi pedagia.

5. *Diffic. Quæ personæ excipiuntur a solutione gabellarum?*

CONCLVSIO.

Clerici in maioribus ordinibus constituti, a subdiaconatu, scilicet, vsq; ad Sacerdotium, & monachi, atq; moniales a cuiuscunque tributi solutione exempti sunt, exactoresque excommunicati sunt, & ad restitutionem tenentur. Definita est in cap. quanquam, de censibus lib. 6.

Hinc, principes Ecclesiasticos, aut religiosos compellere non poterunt: vt hospites recipiant, vel Sisam soluant, quæ in cibis emendis imponi solet. Medina vbi supra tenet, clericos primæ tonsuræ hac immunitate gaudere, quod est contra totius Hispaniæ vsum, & in iure Canonico non habetur. nam in cap. quanquam, citato, solum fit mentio Ecclesiasticorum, & in cap. aduersus, & in cap. meminimus, de immunitate Ecclesiarum. habentes autem primam tonsuram nõ sunt Ecclesiastici: quamuis enim priuilegio canonis, si quis suadente, gaudeant, non tamen priuilegio fori, iuxta decretum Concilij Tridentini, Sess. 23. cap. 7. Appen.

Hinc, portitores pedagia a clericis, vel pro seipsis, vel pro rebus suis deportandis exigentes excommunicati sunt, & ad restitutionem tenentur, si sint in maioribus ordinibus constituti: non autem si in prima tonsura. Appen.

CONCLVSIO.

Quando Respublica penuriam patitur, ex consensu Rom. Pont. a clericis, & religiosis gabellæ exigi possunt. Definita est in cap. aduersus. de immunitate Ecclesiarum.

CONCLVSIO.

Clerici ementes merces, non vt illis vtantur, sed negotiandi causa, illarum vectigal, & pedagium, cæteraque tributa, quæ a laicis soluuntur, soluere quoque tenentur. Definita est expresse in cap. quanquam, allegato.

2. Du-

2. *Dubium. Suntne clerici iure diuino, an humano a tali solutione immunes.*

Medina de restitutione q. 15. defendit iure regio, & non Canonico esse immunes.

CONCLVSIO.

Non sunt iure regio tantum exempti. Neque enim posset Papa tunc excommunicare reges reuocantes sua priuilegia: vt de facto excommunicat, quemadmodum ex text. proxime citatis constat. quid? quod in cap. quanquã, prædicto, clerici iure diuino immunes a solutione gabellarum esse dicuntur. 6. *Diss. Suntne alij præter Ecclesiasticos a solutione tributorum liberi.*

CONCLVSIO.

Si noua Sissa, quæ ab emptoribus ciborum exigitur. sit, v. g. in vtilitatem huius solius Reipublicæ, a peregrinis exigi nõ potest, quia iniquum est, vt damnum patiantur, qui nullum sentiunt commodum: Secus est si ex antiqua consuetudine, uel in utilitatẽ totius regni soluatur. tunc enim exigi potest, ut constat in cap. sũper quibusdam, de verb. sign. lib. 6.

CONCLVSIO.

Temporales Domini, mercium quæ in suis nundinis vendendę deferũtur, vectigalia exigere possunt, quia parati sunt eos defendere, & ius dicere, & a quauis iniuria liberare, non tamen collectas, quæ sunt quoddam genus tributorum a suis tantum soluendum, a peregrinis possunt exigere.

CONCLVSIO.

Iniquum est in ingressu ciuitatis vectigal exigere pro rebus, quæ non ad vendendum, sed ad propriam vtilitatem deferuntur, quia materia vectigalium sunt tantum res venditæ: ut constat in lege uniuersi, Codice de uectigalibus, nisi ratione antiquę consuetudinis soluantur, ut in cap. sũper quibusdam, citato habetur.

3. *Dubium. Qui lege prohibente sub pœna confiscationis merces ab vno regno in aliud vendendas defert, teneturne merces confiscatas restituere.*

R. non tenetur ante confiscationem. Ita tenuit glossa cõmuniter recepta in cap fraternitatis. 12. q. 2. licet tales leges sæpissime ad mortale obligent propter damnum, quod ex tali deportatione Reipublicæ infertur, sed de ijs infra.

4. *Dubium. Custos, qui merces impedire tenebatur, si corruptus pecunia, vel ex malitia, aut negligentia, non impediat, tenebitur quæstiuri conducenti reditus pœnales ad restitutionem.*

Medina. q. 15. de restitutione ad finem citat D. Bernard. dicentem,

dicentem, non plus teneri custodem, qui fraudem commisit, quam qui illum pretio corrupit: & cum iste non teneatur nisi per sententiam, neque custos tenebitur. Oppositum defendit Med. dicens teneri; ratione frandis, sed probabilior est sẽ tentia D. Bernar. Et ratio est, quia corruptor etiam commisit fraudem, tamen restituere non tenetur ante sententiam.

QVÆSTIO DE RESTITVTIONE propter venationem.

Art. Vtrum qui venatur bestias, uel aues in alieno prædio teneatur ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Si prædium est undiq. clausum, ingrediens ad uenandũ bestias furtum committit, & ad restitutionẽ tenetur: quia quãuis bestiæ illæ sint ferę: sunt tamen captæ, & ueluti passeres in uinculis; & constitutæ sub dominio detinentis. *So. lib. 4. de inf. & in q. 6. arti. 4. & Med. qõ. 12*

CONCLVSIO.

Si illas extra prædium clausum uenetur, & non consueuerũt ad prędium redire furtum minime committit: secus autẽ si ad prædium redire consueuerunt. Patet ja simili, ut si quis nutriret seruum domesticum consuetum domum, ũbi nutritur, redire, habet illius dominium, etiamsi extra domum vagetur, & idem est iudicium de aliis. amittitur autem dominiũ, si redire non consueuerunt: ut definitur expresse in §. fere bestiæ, inst. de rerum diuis. Nam iure gentium per fugã a custodia bestiæ pristinam libertatem asse quuntur, atque ita cuiuscunque capientis efficiuntur.

CONCLVSIO.

Si prædium est apertum, etiamsi dominus prædii possit alicui uenationem impedire, qui bestias, ibi habitantes uenatur, restituere non tenetur. Quia nullius sunt domini, cũ ibi neque captæ, neque detentæ sint, atque ita capientis efficiuntur; ut ex §. proxime citato constat.

1. Dis. An capientes columbas alieni columbarij ad illarum restitutionem teneantur.

CONCLVSIO.

Qui occidit columbas intra alienum columbarium furtũ committit, & ad restitutionem tenetur: quia tales columbæ sunt peculiaris domini, qui illis cibum & domum ministrat.

CONCLVSIO.

Interficientes columbas extra columbarium uagantes, & ad columbarium redire consuetas, furtum committit, nisi statuta municipalia hoc permittant post certum a colum-

barus spacium, nam ut est reus furti, qui occidit gallinam extra domum uagantem, ita qui ad columbam interimit, quæ ad columbarium redire consueuit: post spacium autem decretum a lege iam syluestris, & nullius Domini esse iudicatur.

CONCLVSIO.

Qui columbarium ædificant absque consensu habentium agros finitimos, mortaliter peccant, & rei sunt furti. Propterea quod columbæ, quamuis habeant pastum sufficientem, finitimas segetes deuastare solent. Concensus tamē debet esse, uel expressus, uel tacitus, & si tacitus consensus præcesserit, tenebitur Dominus columbarij quocunque tempore contradicentibus, uel satisfacere, uel columbarium destruere; nisi consuetudo regionis, uel legitima præscriptio illi suffragetur. Nā uisi sunt ad tempus consentire, non tamen in perpetuum: qđ si expresse consenserint, & postea reclamauerint, nō tenetur Dominus columbarium destruere, quia prior concensus expressus, fuit donatio, & tributum super finitimas terras cōstitutum. Caie. in sum. uer. columbarium.

CONCLVSIO.

Aedificans columbarium si artificiose grana proponat: ut ad se alienas columbas trahat, furti est reus. Nam ut est reus furti, qui ingreditur alterius columbarium, ita qui artificiose facit, ut pristinum columbarium deserant.

CONCLVSIO.

Habentes columbaria tenentur columbis pastum administrare: alioquin ad damnum finitimis agris a columbis illatū resarciendum obligabuntur: quia habens columbarium sine pastu est damni causa.

CONCLVSIO.

Leges ciuiles prohibentes uenationem, siue piscationem, siue aucupium, capientes ad restitutionem minime obligant. Propterea quod, cum bestiæ feræ nullius sint domini, illas capientes non accipiunt alienum, quod est restitutionis principium. sunt tamen tales leges iustæ, & Reip. utiles: quia tēpore quo animalia suos nutriūt fœtus, illarum captionē prohibēt.

QVAESTIO DE CEDENTIBVS LIGNA, & pascentibus oues in alienis agris.

Art. An cædentes ligna, ex alieno nemore, uel pascentes ibidem oues ad restitutionem teneantur.

CONCLVSIO.

Quamuis nemora, & montes de lege naturali sint communia, nihilominus tamen aliquis eorum dominium præscribere

scribere potest; quantum ad pœnam tantum a scindentibus ligna, & arbores exigendam, non tamen præscribere potest: ut ante condemnationem ad aliquam restitutionem ligna scindẽtes teneantur. Nam ut aues, & pisces sunt communes, ita nemora, montesque lege naturali communia sunt, & ut non potest quis præscribere dominium ferarum, ita ut illas capiens in conscientia ad restitutionem teneatur, perinde de nemoribus, & montibus censendum est.

CONCLVSIO.

Quando nemora sunt communia alicuius oppidi, oppidani ligna scindentes, neque peccant, neque ad restitutionẽ tenentur. Quia alienum non accipiunt: nam quod est commune, est etiam singulorum. Hæc concl. seq: concl. explicatur, & limitatur.

CONCLVSIO.

Oppidani magnam stragem in communi nemore faciẽtes tenentur ad restitutionem. fit. n. iniuria toti illi Reipub. perinde. n. est magnam partem lignorum cædere, atque illa cõburere.

CONCLVSIO.

Qui scindunt ligna ex nemore finitimi oppidi, aliud habẽtis nemus, non committunt furtum: quia oppidani finitimi ligna sibi ipsis condonare uidentur.

CONCLVSIO.

Si autem uicinum oppidum non habet nemus, illius oppidani ligna ex nemore uicino, sine crimine furti scindere haud possunt. Quia uicini hoc consentire minime censentur.

CONCLVSIO.

Si nemus peculiaris Domini fuerit, ex illo ligna scindẽtes & mortaliter peccant, furtumque committunt, & ad restitutionem tenentur. Propterea quod alienum inuito domino accipiunt. cum arbores non cõmunes, sed particulares sint. Al. Alẽ. 3. qõ. 40.

Idem omnino quod de scindentib. ligna dictum est, est ẽt de pascentibus oues, & armenta in alieno agro, tenendum. Tho. 2. 2. q. 64. ar 3. Ri. art. 3. q. 26

QVAESTIO DE RESTITVTIONE iniustitiæ in iudicio commissæ.

Art. Iudex proferens sententiam contra conscientiam, & iudicans secundum allegata, & probata, teneturne innocenti satisfacere. Syl. uer. iudex. 2. §. 2. So. libro 5. q. 4. ar. 2.

V. g. si Petrus duobus testibus fide dignis de furto, aut homicidio conuincatur, quem iudex innocentem esse nouerit. Duæ sunt opin. Prima tenet iudicem teneri ad absoluendum innocentem. Secundam & contrariam opin graues Do-

ctores defendunt, quos citat Caiet. 2.2.q.67.ſ. Alex. Alen. S. Tho. Ric. Palu. ſuntque pro utraque opinione multa, & probabilia argumenta. Adrian. uero quolib. 2. & 3. aſſerit, in cauſa criminali non licere iudici damnare innocentem, bene tamen in cauſa ciuili.

CONCLVSIO.

Si in tali caſu iudex fuerit inferior, non eſt iudicaturus ſecundum allegata, & probata, neque contra conſcientiam, ſed debet ſuperiori cauſam definiendam remittere; ita ut teſtis efficiatur. Nã aliter damnando innocentem contra conſcientiã, & abſoluẽdo illum contra Rempublicã ageret, quia omnes hunc reum eſſe mortis ſecundum allegata, & probata arbitrantur, tumetiam, quia tunc concurrunt duo præcepta incompaſſibilia, unum, quo ſecundum allegata, & probata iudicare tenetur. Alterum quo ad liberandum innocentem obligatur: & cum huius ſecundi tranſgreſſio, magis quã primi obliget, cauſam reuocare, & teſtis fieri tenebitur.

CONCLVSIO.

Iudex inferior, qui ſcit accuſati innocentiam, & teſtium malitiam, poterit malitiam uarijs interrogationibus detegere, & ſi res poſtulauerit, publice proclamare, manifeſtãdo accuſati innocentiam. Quia tunc nulla fit teſtibus iniuria. Nã ipſi ſibi ipſis iniuriã irrogarũt falſo innocentem accuſando.

CONCLVSIO.

Iudex ſuperior cauſam delegare, & teſtis fieri debet, quia quantum in ſe eſt, ſemper media ad liberandum innocentem quærere tenetur.

CONCLVSIO.

Iudex damnans contra conſcientiam innocentem, probatum nocentem, omne damnum illatũ reſtituere tenetur, qa potuit illũ liberare, cauſam alteri remittẽdo, & tamẽ uoluit.

1. Dif. *Quando iudex propter iniquam ſententiã ad reſtit. tenebitur.*

Th. 2. 2. q. 67. ar. 2. 3. & 4 Al. Alẽ. ubi ſup. ar. 3. Syl ue. uer. iudex. 1. §. 12

CONCLVSIO.

Iudex litigantem damnificans ex malitia, uel negligentia ſtudendi, aut ex ignorantia craſſa iuris ciuilis, ſiue municipalis damnum illatum reſtituere tenetur. Quia fuit cauſa damni, ut conſtat ex c. fi. de iniur.

Hinc, iudex ex malitia iniquam proferens ſententiam, & principale, & expenſas reſarcire tenetur: perinde ac ſi ex negligentia ſtudendi, ſi tamen ſentẽtia fuerit exequuti oni mãdata. Si autem pars læſa appellauerit, expenſas tantum reſtituere tenetur. Idemq. eſt dicendum de iudice ex ignorantia craſſa

crassa iniustam sententiam proferente.

Iudex, qui sententiam ultra terminos iuris differt, cum illam finire possit, expensas restituere tenebitur: quia est huius damni causa. Appen.

CONCLVSIO.

Iudex inferior delinquenti, uel accusatori pœnam ex lege fisco applicandam remittēs, illam soluere tenetur: propterea quod committit in iustitiam contra alterum litigantium, cui erat pœna applicanda, cum secundum legem pœnalem sentētiam ferre tenetur.

CONCLVSIO.

Iudex reum non sibi subditum condemnans ad totius dāni restitutionem obligatur: quia agit contra iustitiam: cū nō sit nisi suorum subditorum iudex, est autem non iudex, qui neque est ordinarius, neque delegatus, neque arbiter.

Hinc, iudices laici, qui plerunque clericos primæ tonsuræ ad tribunal episcoporum appellantes puniunt, expensas iniudicio factas, & principale soluere tenentur.

CONCLVSIO.

Iudices ab ecclesia per uiolentiam aliquem extrahentes, omnia damna templo illata tenentur resarcire: quia iniuste tunc procedunt.

CONCLVSIO.

Iudex non condemnans partem aduersam in expensis cō demnandam, illas soluere tenetur. Constat per l. fanximus. C. de iud. si tamen pars hoc in libello petierit. Alioqui non tenetur proferre sententiam, nisi circa petita in libello.

CONCLVSIO.

Iudex condemnans reum nocentem, non conuictum legitimis probationibus confessione. s. & duobus testibus, sed semiplena tantum probatione, uel indiciis, uel unico tantū teste, damnum etsi fuerit uere reus, restituere tenetur, nam agit contra iustitiam: quia deficientibus legitimis probationibus, iudex iurisdictione caret.

CONCLVSIO.

Iudex reum nocentē inauditum, neq; edicto uocatum, cō demnans, licet uere sit reus, tenetur ad dāni illati restitutionem. agit. n. contra ordinem naturalem, & diuinum condemnando partem inauditam, & ideo tunc desinit esse iudex.

CONCLVSIO.

Iudex in ciuili, uel criminali causa reum etiam nocen-

tem sine accusatione condemnans, tenetur ad totius damni restitutionem. Constat ex cap. inquisitionis, & qualiter, & quando, de inquisitionibus, & nota ex Glos. Gen. 4. tria esse, quæ vicē accusatoris supplent; scilicet, publicū delictum, vel infamia, & contumacia contra Ecclesiam, qua ratione per uiam inobedientiæ Ecclesia contra hæreticos, & alios contumaces procedit, & quando crimen coram iudice, & alijs cōmittitur. Iudex autem sine aliquo istorum iniuste damnat.

Appen. Hinc, Prælati religionum non poterunt delinquentes publice nulla damnatos infamia condemnare, est enim contra cap. inquisitionis citatum.

1. Dubium. Tenenturne iudices accepta per concussionē restituere.

Supra teneri ad restitutionem responsum est.

2. Diffic. Quando accusator ad restitutionem tenetur.

Alexan. Alen. 3. p. q. 42. Nota accusatorē posse iniustitiam committere, vel per calumniā, falso accusando, uel prævaricando, ut quando partē deserit, & cōtrariæ parti, quā impugnare debebat suffragat, vel tertio per tergiuersationem desistendo a causa publica.

CONCLVSIO.

Accusator altero istorum trium modorum iniustitiam cō mittens, tenetur accusato ciuiliter condemnato, damnum il latum restituere, quia agit iniuste, & est damni causa.

Appen. Hinc, accusator proprio nomine, uel alieno, ut *procurator, sindicus, solicitator*, cui dictū est causam esse *iniustā si* per calumniā in accusatione perseueret, ad restitutionē tenetur.

Appen. Hinc fiscus qui nomine Reipublicæ accusat, si tacite reū defendat, aut per tergiuersationem ab accusatione desistat, si causa fuerit ciuilis, tenetur Reipublicæ principale, & expensas restituere, si autem criminalis expensas tantum; & si aliquod aliud damnum illatum est,

Alexan. Alen. 3. p. q. 41. S. Tho. 22. q. 69 ar. 4. Soto lib. 5. de iu. & iur. qō. 1. art. 4. Soto vbi supra.

3. Diffic. Quando accusatus ad restitutionem tenebitur.

CONCLVSIO.

Si reus in iudicio ciuili, aut criminali semiplena probatione conuictus ueritatem negauerit, omnia damna parti læsæ restituere tenebitur. Ratio est; quia diffitendo ueritatem, quā confiteri tenebatur, aduersæ parti damnum intulit.

2. Dubium. Accusatus aliquo crimine pateritur ante, vel post condemnationem, carcerem fugere vincula dirumpere, & fores absque peccato infringere, & se a ministris iustitiæ sine aliqua iniustitia defendere.

CONCLVSIO.

Si damnatus ad mortē fuerit legitimis probationibus conuictus,

uictus, aut conuincendus, seipsum armis a ministris iustitiæ ne comprehendatur defendere nõ poterit, qui enim inquit B.Pau. ad Ro. 13 potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *ad Ro.13*

CONCLVSIO.

Si accusatus fuerit innocens, & probatus nocens, a ministris iustitiæ & a iudice armis se defendere poterit. Nam ut licet defendere se a latronibus, ita & a falso iudicio, licet iudex recte secundum allegata, & probata, procedat, nisi, ut dicit S. Thomas ubi supra, ex tali defensione scandalum timeatur, nam tunc potius mortem subire, quam scandalum in detrimentum spirituale cæterorum, admittere tenebitur.

CONCLVSIO.

Quando carcer datur in pœnam iuste damnato, siue damnando ad mortem, aut alias pœnas, sine peccato carcerem fugere aut uincula dirumpere non licebit; quia iustæ sententiæ iudicantis parere tenetur, qui enim potestati resistit &c. *ad Rom. c. 13.*

Hinc, si alicui in pœnam præcipiatur: ut intra Ecclesiã, uel castrũ, uel aliũ locum maneat, talẽ locum egrediẽdo peccat. *Appen.*

CONCLVSIO.

Si carcer datur ante iudicis sententiam in custodiam tantũ, reus etiam ad mortẽ damnatus carcerẽ fugiendo, uincula frangendo &c. non peccat, quia tunc non præcipitur reo; ut aliquid agat, atque ita non facit contra iudicis obedientiã, solũ namque tenetur habere animum paratũ ad subeundũ pœnas infligendas. Hæc est contra Henricum quolib. 25.

3. *Dubium. Liceine etiam cuicunq; alteri opem reo fugienti ferre.*

CONCLVSIO.

Si minister iustitiæ fugæ delinquentis cooperatur, mortaliter peccat, & parti læsæ damnum resarcire tenetur, quia graue facinus iniustitiæ, & aduersus Rempublicam, & contra partem, cui nocet, committit.

CONCLVSIO.

Cæteri uero, qui ministri iustitiæ non sunt consilium, uel auxilium reo fugam paranti præstantes, neque peccant, neque ad aliquam tenentur restitutionem, nisi ad illam, quam reus in conscientia parti læsæ facere tenebatur, quia nullus a cooperatione alicuius actionis licitæ, nisi per accidens ratione status prohibetur. Quare non peccabit occulte cooperando: ut si limam porrigat, dum modo non timeatur scandalum ex tali auxilio, seu consilio, quod est timendum, si occulte auxilium præstetur, publice autem reo etiam innocenti auxiliari non licet.

CONCLVSIO.

Quamuis integrum sit carceri mancipato uincula, & parietes rumpere, nemini tamē licitum erit illum a carcere parietem rumpendo aut feras carceris frangendo extrahere, hoc enim est Reipublicæ manifestam uim & scandalum inferre. Nā hoc non esset reo auxilium præstare, sed illum arripere, & Deo, resistendo publicæ potestati, contradicere, si enim esset morte dignus frangens fores priuatæ domus, quanto magis carcerem publicum rumpens.

ad Rom. 13.

CONCLVSIO.

Si existentes in triremibus fugiant, mortaliter peccant. Ratio est, quia carcer illis non in custodiam, sed in pœnam datur; nihilominus tamen redire non tenentur, quia nullus tenetur se tradere iudici, nisi apprehendatur.

4. *Diffic. Quando testes restitutioni sint obnoxij.*

Alexan. Alen. 3. p. q. 43. m. 5. Caietā. 2. 2. q. 70. ar. 4.

CONCLVSIO.

Testis alium falso testimonio damnificans ad restitutionem tenetur, est enim damni causa.

4. *Dubium. Quid si præter intentionem, & ex obliuione falsum testimonium in iudicio deponat.*

CONCLVSIO.

Si facta diligenti inquisitione, testis ex obliuione *falso* iurauerit, tenetur incontinenti suā sententiā retractare, fidesq; illi est adhibēda, ita expresse definitur in c. præterea, de testib.

CONCLVSIO.

Si post aliquod temporis spacium testis suum testimoniū retractauerit, eius retractatio secundum iuris rigorem non est admittenda. Cæterum si iudex intellexerit testem esse fide dignum, exequutionem sententiæ dilatare, & parti contrariæ, ut a causa desistat, consulere tenetur, ita docet glossa in cap. præterea, citato.

CONCLVSIO.

Si sententia fuerit iam exequutioni mandata ob falsi testimonij dictum ex inculpabili iguorantia, testis tunc ad nullam tenetur restitutionem: non enim causa damni fuit, sed solum occasio: uerum enim uero si sibi fidem adhibendam existimet, suam sententiam retractare tenetur, non coram iudice, sed coram parte aduersa, quæ ratione testimonij sententiam iudicio obtinuit, quod si arbitretur se non posse aduersarium flectere, ad nullam retractationem erit obligatus, stultum si quidem est, frustra laborare.

5. Dif. Quando aduocati ratione iniustitię ad restitutionem tenentur. *Alexan. Aleu. vbi supra Caietan. 22. q. 71. ar. 3. Soto q. 8. ar. 3. vbi supra.*

CONCLVSIO.

Aduocatus, qui scieus, & uolens causæ iniustæ patrocinatur, principale, & expensas parti læsæ restituere tenetur, est enim damni causa.

5. Dubium. Aduocatus, qui defendit causam iniustam ex ignorantia, tenebiturne ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Si Aduocatus in principio litis causam ex negligentia nõ examinauit, & erat paratus ad quamlibet causam sine discrimine admittendam, est in statu pessimo, & parti læsæ omne damnum cum expensis restituere tenetur, quia est causa damni: si uero illam discussit, & uisa est probabilis, uel iniusta, estque aduocatus mediocriter eruditus, ad restitutionem tenetur, etiam si postea causa iniusta appareat.

6. Dubium. Quo tempore litis poterunt aduocati causæ iustitiam, vel iniustitiam intelligere.

R. in quæstionibus de facto post testium appatitionem: at uero in quæstionibus de iure, uel principio litis, uel quocũque alio tempore, posteaquam recte studuerint, & intellecta iniustitia causam deserere, non autem partem aduersam admonere tenentur.

5. Diffic. Quando tabellio erit restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Quando ex ignorantia suæ artis alicui damnum infert, v. g. si testamentum ex ignorantia fuit minus solemne, quam ob causam Petrus institutus hęres, hæreditatem amisit. Constat per regulam, non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet, de reg. iur. in 6. & intelligitur quoque regula de iudice, assessore, aut medico, qui ex ignorantia suę artis aliquem lædit. *Alexan. Alen. & reliqui vbi supra.*

CONCLVSIO.

Quando tabellio instrumenta falsificat, falsos testes scienter recipit, testamenta, aut scripturas iustitiæ aliquorum suffragantes rumpit, uel compulsus a iudice non uult instrumẽta alteri ad consequendam iustitiam necessaria exhibere; uel quando non seruat scripturas originalium, & in alijs id genus casibus, ad restitutionem tenetur, quia in his omnibus est alijs damni causa.

CONCLVSIO.

Tabellio scripturam continentem usuram palliatã conficiens, est restitutioni obnoxius; quia usurarię iniustitiæ cooperatur,

peratur. atque ita est damni particeps. Notãter dicitur : usura palliata. nam si manifestam contineat, cum ratione contractus in iudicio, usura exigi non possit, licet peccauerit mortaliter instrumentum conficiendo, restitutioni tamen non erit obnoxius, propterea quod nemini nocuit, nisi fortassis, quia contrahentes ad talem induxit contractum.

QVÆSTIO DE RESTITVTIONE legis pœnalis.

Art. An leges pœnales ad restitutionem obligent, antequam reus per iudicis sententiam condemnetur.

Duæ sunt extremæ opiniones. Prima affirmans Abbatis in cap. canonum, de constitutionibus, & in c. dilecti, de arbitris, & Patris a Castro de lege pœnali.

lib. 1. de iust. iur. q. 6. ar. 6 Iacob. de Symãcas in tract. a tu de mst. catolicis Med. q. 1

Secunda, & negans est omnium Theologorũ, quos Soto. de iustitia, & iure citat, hãc q. difficilem reddunt uaria, & probabilisima pro utraque parte argumenta.

CONCLVSIO.

Nulla lex pœnalis dominio bonorum temporaliũ priuans delinquẽtem priuat illum possessione, aut usufructum suarũ rerum, ante iudicis cõdemnationem, siue declarationem, ita ut reus se a possessione, & usufructu abdicare teneatur. Constat ex definitione, & natura pœnæ, quæ est, ut pœna ab exequutione infligatur, & illam reus inflictam ab alio patiatur, homicida enim occidendus seipsum suspendere non debet, neque latro ex lege in quadruplo puniendus, pœnam in seipsum exercere, sed ab alijs impositam pati tenetur. nam lege naturali reus patiens ab infligente pœnam distinguitur, priuatio autem bonorum temporalium legis pœnalis pœna est.

CONCLVSIO.

Quamuis hæreticus iuste ante condemnationem, fructum & possessionem bonorum retinere possit: dominium tamen non habet, ita ut pro libito bona alienare ualeat. Definita est in c. cum secundum leges, de hæreticis lib. 6. ubi dicitur, bona hæreticorum ipso iure esse confiscata, id est, a die commissi criminis, ut glossa ibidem docet.

Appen. Hinc, hæreticus mortaliter peccat uendendo bona. quia iã sunt aliena, neque dominium in emptorem transfertur, quia post condemnationem emptores bona fisco reddere tenẽtur. peccauit quoque emptor, si erat criminis conscius. Propterea, quod peccato illius cooperatus est.

CONCLVSIO.

Fiscus compellens emptorem, ut bona ab hæreticis empta resti-

restituat, prætium reddere non tenetur, nisi in se, uel in suo æquiualenti, apud hæreticum reperiatur. nam ut dominus alicuius rei furto sublatæ, illam nullo restituto pretio sibi uendicare potest, ita & fiscus, cum sit uerus bonorum hæreticorũ Dominus.

Vide glossam in dicto c. cum secundum leges, citato. Notanter dicitur, nisi in se &c. quia cum sit res aliena, erit a fisco restituenda.

Appen.

CONCLVSIO.

Non peccat hæreticus sua bona alienando si ex tali alienatione onerosa, uel gratuita nullum fisco detrimentum sequitur, aut timetur, quia ratio ob quã alienatio prohibetur, quæ est fisci, detrimentum cessat. *Sylu. eis uer. hæreticus 1. §. 8.*

Hinc rem hæretici emẽs, uel dono accipiens, sciensque hæretici crimen, & præstans secretam cautionem reddendi fisco bona accepta, non peccat.

CONCLVSIO.

Hæreticus sua bona ignoranti hæresim uendens, etiam si pretium in arca seruet, ut a fisco ementi restituatur, mortaliter peccat, quia licet iniustitiam non committat, emptorem nihilominus decipiet,

CONCLVSIO.

Hæreticus bona ad suam sustẽtationem necessaria alienare potest. Nam, ut ex proxima conclusione constat, fructu suorũ bonorum ante condemnationem non priuatur.

CONCLVSIO.

Emens rem ab hæretico, fructus rei, etiam secluſa propria industria, receptos fisco restituere non tenetur. ut si annuũ cẽsum emat. Nam, ut hæreticus fructus illos retinere, & consumere poterat, quemadmodum in prima conclusione patet, ita hoc ius in alium transferre potuit.

1. *Diffic. Lex humana ciuilis, uel canonica poterit me reum ad pœnam obligare ante condemnationem.*

Pater a Castro de lege pœnali partem affirmantem tenet. Soto autem de iustitia, & iure, partem negantem defendit, & Medina ubi supra.

CONCLVSIO.

Non potest legislator obligare reũ in foro conscientiæ ad soluendam pœnam ante iudicis sententiam. lex enim siue legislator ordinem naturę peruertere non potest. & ordo naturalis iudici apud omnes nationes est, ut nullus sit sui ipsius in foro exteriori accusator, iudex, uel testis, unus namque debet

esse

esse accusator,& alius reus; aliusque iudex, atque alius testis,

CONCLVSIO.

Hæreticus etiam post latam sententiam iure optimo bona confiscata,donec sententia exequutioni mandetur, possidet. quia illa sententia non obligat reum ad agendum,sed ad patiendum,atque ita seipsum priuare non tenetur.

CONCLVSIO.

Si hæreticus in iudicio crimen neget, quod confiteri tenebatur, quia erat legitimè conuictus. & ob negantem absoluitur.quoniam tormento suspicionē purgauit,fisco bona sua restituere non tenebitur,quia ut hæreticus absolutus ad alias pœnas infamiæ subeūdas non est obligatus,ita neque ad hāc pœnam,scilicet,bonorum priuationem. Nam tunc sequeretur obligari ad seipsum infamandum.

FLORES QVÆSTIONIS CONTRACTVS Mutui.

Al. Alē. 3.p.q. 66.S. Th.22. q.78.ar. 1.& 2. Dur.in 3 d. 37. q. 20. Ric. ar.5.q.5

QVÆSTIO DE CONTRACTV MVTVI.

Art.1. An liceat mutuanti exigere aliquid ultra sortem, siue accipere ultra pecuniam mutuo datam.

CONCLVSIO.

MVtuum est contractus, in quo pro una re redditur alia eiusdem speciei,ut si modo detur frumentum pro frumento reddendo post tempus. Hinc colligitur,mutuum differre a uenditione,ubi non res eiusdem speciei,sed pecuniam redditur, & a contractu permutationis,in quo res diuersæ speciei,ut frumentum pro uino.permutantur. Et ab accommodato,in quo idem numero redditur.

CONCLVSIO.

Vsura est intrinsece mala,id est,in nullo casu est licita.Ratio est, quia præcepta legis naturæ, quod est intrinsece malum, prohibent. & usura septimo præcepto prohibetur, cū sit furtum.

CONCLVSIO.

Hæreticum est affirmare, usuram non esse peccatum mortale, Definita est expresse in Clementina unica,de usuris. ubi ita legitur. Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum uelut hæreticum puniendum.Iniquū enim est exigere duplex pretium,unum pro re ipsa, alterum autem pro usu, quo res consumitur, ut si pro 10. mensuris frumenti 11. exigantut.una pro usu frumenti exigitur.

Vsura

CONCLVSIO.

Vsura est exigere, aut expectare aliquid pecunia æstimabile præter mutuum. Hæc conclusio utramque usuram comprehendit. continet enim perfectam usuræ definitionem. Nam cum definito definitio conuertitur, & per ipsam omnes proprietates, siue actiones usuræ cognoscuntur, ex eaq; multæ cõclusiones, quas appendices, seu consectaria nominamus, colligunrur. Appen.

Hinc, primo sequitur, mutuantem pecuniam, ut sibi, quando indiguerit, pecunia rursus mutuetur, esse usurarium. Ratio est, nam etiam si accipiens beneficium lege naturali benefacienti benefacere teneatur, tamen si hæc obligatio in pactum deducatur, ciuilis efficitur, ut habere aliquem deuinctum ciuiliter, ut ad mutuandum obligetur, pecunia æstimabile est.

Hinc, neque licebit mutuare, ut pauperibus, aut affinibus, aut amicis, qui mutuum accepit mutuare teneatur. Hæc colligitur ex c. super eo, de usuris, ubi habetur, pro redimendis captiuis non licere mutuare ad usuram.

Hinc, mutuans pecuniam, si exigat precium, uel munus a lingua, uel ab obsequio, est usurarius, quia munus a lingua, ut docere, patrocinari in iudicio, &c. uel ab obsequio, quod est corporale obsequium, ut si quis diceret, accipe mutuum, ut meam officinam ad emendum adire tenearis. est pecunia æstimabile. S. Th est contra Adrianum, & Angelum. integrum tamen erit talia obsequia emere, ut si quis dicat, accipe pecuniam, ut ex mea officina merces emas, aut, ut frumentum ad meum molendinum deferas &c. Appen. Appen.

Hinc mutuans alteri pecuniam hoc pacto, & lege, ut nunquam ab eius amicitia recedat, quia ex illa aliquod temporale commodum, beneficium, scilicet, aut suffragium sperat, usurarius est. Propterea quod non tam amicitia, quam temporalem beneficium exigitur.

Hinc mutuãs alteri pecuniam ut accipiat aliquas merces, quas ipse non potest uendere, & postea sibi illas reddat, uel ut retorqueat a debitoribus difficilimę solutionis pecuniam, &c. usurarius censetur, quia liberari a pessimis debitoribus, & alienare merces, quę uẽdi nõ possunt, pecunia æstimabile est. *Caiet. ubi supra. Thom.*

Hinc, mutuans pecuniam alteri hac conditione, ut agrum suum colere, aut suos reditus sub certo prætio colligere teneatur, quamuis hoc accipiẽti mutuum sit utile, est nihilominus absque dubio usurarius, quia habere alium ciuiliter obligatũ, est commodum pecunia æstimabile.

Hinc,

Hinc, mutuans communitati, ut liber a solutione tributi
Appen. reddatur, usurarius est: perspicuum namque est aliquid ultra sortem recipere.

Hinc, mutuans inimico, ut actioni iniuriarum cædat, est
Appen. quoque usurarius, quia hoc pecunia æstimari potest.

Hinc, mutuãs principi hac conditione, ut tale officium sibi concedat, usuram committit, accipit enim ultra sortem.

Appen. Qui adueniente termino solutionis, non uult illum protra
Caiet. ubi supra. here, nisi aliquid ultra sortem sibi tribuatur, usurarius iudicatur, quam idem est, ac si tunc sub usura mutuare inciperet, ni si illlud ratione lucri cessantis, aut damni emergentis fieret. de quibus infra.

Appen. Hinc, si statutum fuisset, in aliqua ciuitate, ut mutuãti certam pecuniam, aliquod munus daretur, tale statutũ esset iniustum, quia crimen usurarium. Vno uerbo hoc est in præsentia animaduertendum, ne aliquid obligatione ciuili ultra sortẽ recipiatur, hinc enim infinitæ quæstiones soluentur.

S. Th. ubi supr. art. 2. et Ric. ubi supra 2. *Art. De usura mentali. An sit semper illicitum mutuare pecuniam expectando aliquid ultra sortem, ita ut, si non expectaretur, nullo modo mutuum daretur.*

CONCLVSIO.

Mutuans alteri pœcuniam hac intentione, ut aliquid ultra sortem non ratione amicitiæ, quia contrahere non intendit, sed immediate ratione mutui, sibi reddatur, usurarius procul dubio est. dixit enim Christus Iesus muluum date, nihil inde sperantes. Constat etiam Conclusio ex usuræ definitione proximo art. posita.

CONCLVSIO.

Lucæ. ca. 26. Qui alteri immediate pecuniam mutuo dat ratione cõtrahendi cum illo amicitiam, ut sibi indigenti subueniatur, aut aliquod temporale commodum conferatur, & non ratione mutui immediat, usurarius mentalis non est appellandus: nõ enim expectat pro mutuo aliquid ultra sortem, nam amicitia quam contrahere intendit, est iure naturali illi debita, cum per idem ius benefactoribus benefacere, & amicitia conuungi, & eisdem amicitię opus exigere teneamur,

Appen. Hinc, licitum erit mutuare alteri immediate ratione contrahendi amicitiam, ut cui mutuum datur, si mutuans fuerit artifex, ex eius officina emat, & si mercator ab eo merces emat, & si aduocatus ipsum in patronum assumat.

Hinc, licebit mutuate regi animo obligandi illum, ut conferat mutuanti aliquem magistratum, non tamen integrum

erit,

erit, hæc in pactum reducere Quia acquireretur tunc obligatio ciuilis ultra sortem: cum non debebatur, nisi solum naturalis, quæ manet citra pactum.

Hinc, falsa est eorum sententia, qui dicunt, nihil licere ex mutuo sperare, licet enim sperare opus amicitiæ, ita ut, si non speraretur, licitum esset non mutuare. Appen.

1. Dif. *Quando usurarius mentaliter recipit aliquid ultra sortem tenetur ad restitutionem.* S. Tho. vbi sup. art. 1. ad 4.

CONCLVSIO.

Qñ usurario mentali datur aliquid, tã ex parte eius, q̃ ex parte dantis, rõne mutui, uel quia tẽpore mutui insinuauit recipienti mutuum, ut aliquid ultra sortem redderet, dicens, faciestempore solutionis, quod alij facere consueuerunt, ad restitutionem tenetur. Definita est in cap. Consuluit. de usuris. Et ratio est; quia retinetur inuito Domino. qui necessitate, uel rubore compulsus, ne mutuum sibi negetur, soluit.

CONCLVSIO.

Vsurarius, qui recipit aliquid ratione mutui, quia tempore mutui, si non aliquid speraret, non mutuaret. dans tamen ultra sortem non dat ratione usuræ, sed ratione amicitiæ ob beneficium acceptum, si usurarius hoc sibi ita dari intellexerit, licet mortaliter peccet, ad restitutionem tamen non tenetur. Ratio est, quia illud non est restituendum, quod inuito Domino, aut prohibente lege non retinetur: in præsentia autem neque lex est, quæ id prohibeat, neque Dominus inuitus dat. Est Scoti, & Ricar. & Caieta. ubi supra contra aliquos Canonistas, quos Caieta. citat.

Hinc sequitur, aliquid per legem Diuinam prohiberi ne recipiatur; quod tamen retinere non uetat, quia non retinetur inuito Domino; & non esse inuitum intelligetur per contando, quo animo dederit. Appen.

APPENDICES EX DEFINITIONE usuræ collectæ.

Qui mutuat alicui 1o. hoc animo, ut soluat sibi aliud debitum, quod negat, uel soluere non uult, non est usurarius. non n. recipit aliquid ultra sortẽ, sed uexationem tantũ redimit. Appen.

Accomodans alicui pecuniam, & non mutuans, sed solum ad ostẽtationem, ut ditior appareat. propterea quod fortassis sua interest pecuniæ abundantiam ostentare, si ratione huius accomodati præcium recipiat, nõ est usurarius, propterea qd nõ accipit fructum ex alieno, sed ex suo, quia quando accommodatur pecunia, non transfertur dominium. Appen. S. Th. & Scoti et

Mutuans

Appen. Mutuans tempore Natiuitatis 1000. mensuras tritici, ut totidem mense Maij in grano soluantur, quando annona est carior, & non ante, si erat seruaturus triticum usque ad illud tempus, non est usurarius, quoniam non accipit aliquid ultra sortem. si uero non erat seruaturus usuram palliatam committit. quia, ut Hispanice dici solet. (*Oro es lo que oro uale.*) Hæc colligitur ex Cano. Nauiganti. de usuris, sunt enim isti contractus æquipollentes, scilicet, accipe modo unam mē suram frumenti ualentem 4. dummodo soluas quando, 5. ualebit. & accipe modo 4. argenteos, ut post sex menses, quinque reddas, frumentum namque pecuniæ æquiualet.

Appen. Si nullum tempus constituatur solutioni frumenti, sed mutuetur frumentum ueteris, ut nouum reddatur, & frumentū ueteris incorruptionem tendebat, ita ut tempore mutui uilioris esset præcij, contractus erit usurarius, quia recipit ultra sortem; si uero frumentum utile, & integrum sit, non fit usura, etiam si tempore solutionis carius uendatur, quam tempore mutui; quia cum non certus terminus solutionis præfigatur, creditor rem suam in tuto nō constituitur, contingere si quidem potest, ut uilius uendatur.

Hinc, timens corruptionem frumenti ueteris, & mutuans illud, ut non seruata præcij æqualitate reddatur, non est usurarius, quia non accipit aliquid ultra sortem, si autem aliter cō stituatur, contractus erit periculosus, & melius erit reducere ad formam contractus uenditionis.

Appen. Hinc, quando frumentum datur mutuo, ut totidem mensuræ certo tēpore reddātur, quo dubitatur, plus, aut minus ualiturū esse, nō cōmittitur usura. Quia neuter in tuto cōstituitur.

Hinc, mutuans alteri pecuniā, quam sub usuris accepit hac lege, ut fœneratori usuras soluat, si non habet animum ad aliā pecuniā mutuo dandā, sed quā ipse accepit, quia nondum illam consumpsit, non erit usurārius, quia solum se indemnē conseruat, & transfert in alium mutū nōdum consumptum.

Si habet autem aliam pecuniam, quam posset mutuare, uel acceptam sub fœnore iam cōsumpsit, proculdubio, ut modo diximus, mutuans usurarius erit. Rō est, quia hac lege mutuans, ut alius usuras, quas ipse soluturus erat, soluat, contractū mutui in alium nō transfert, sed ipse sub fœnore mutuat.

Mutuans aliquid sub pignore ultra sortem ratione laboris quem in conseruando pignore habet, aliquid recipere potest, ita definita est in c. Ad nostrā, de reb. Ecclesiæ non alienādis.

Accipiens aliquid ultra sortem titulo mutui, uerum hoc animo,

ánimo,& intentione,ut debitum,quod negatur, recompenset,usuram non commit.non.n.est uera usura: quia ratione mutui accipit alienum,v.g.si non possum bona mea, quæ apud te sunt,recuperare,potero sub specie mutui,& usurarum, quæ uere usuræ non sunt,recompensare.

2.Diff. Potestne fidelis ab infideli, aut Iudæo iuste usuras exigere.

CONCLVSIO.

Ita iniquum,& iniustum est ab illis, ut a christianis usuras exigere.Ratio est,quia infideles, & iudæi suorum bonorũ uerum dominium habere possunt. *Tho.2.2.q.66.ar.8.ad 2. Ri.ubi sup.*

3.Diff. An in mutuo aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis, aut damni emergentis exigere liceat.

Opi.S.Th.est,ut non liceat in pactum deducere,quod erat pecunia mutuata lucrandum:eiusdem sententiæ est Sco.&dicitur esse Ric. *Tho. 2.2.q.78.ar.2.ad.*

Opi.So.utramque partem amplectitur. Adr.in materia de restit.& Sylu.sequuntur recẽtiores Theologos,appositis quinque conditionibus.Et dicit hanc esse communem opin.Canonist.in ca.conquestus, de usur.est autem tota controuersia circa hanc rem quando uoluntarie, charitate tamen compulsus erga proximum egestate laborantem, quis mutuum dat. *Dur.in 3 d.37.qõ.2.Ri.ubi sup.*

CONCLVSIO.

Ratione damni emergentis potest aliquis ultra sortẽ,quantum est illud damnum ratione mutui exigere: dummodo tẽpore mutui mutuatario hoc insinuet. Propterea quod ordinata charitas a seipso incipere debet: & nemo cũ proprio dãno,sed salua sua indemnitate alteri benefacere tenetur. Not. dicitur,dummodo insinuet,&c. Quia fortassis,si mutuatarius sciret tale damnum esse resarciendum,pecuniam ab alio quę reret.

Hinc,multæ quæst.soluuntur.tenebitur.n.mutuatarius soluere expensas omnes,omniaque damna creditori ratione mutui illata,ut si corruit domus,uel alia id genus infortunia,eidem acciderunt.

CONCLVSIO.

Ratione lucri cessantis licet exigere aliquid ultra sortem, quando pecunia erat negotiationi statim exponenda, & mutuans non habet aliam pecuniam, quam mutuare possit. Rõ est:quia non solum damnificatur aliquis, quando amittit aliquid,quod habet,uerumetiam quando impeditur a lucro,qđ quidem habiturus erat:quod enim parum distat nihil distare uidetur;& de proximo accingendus, ut iurisconsulti asserũt,

pro accincto est habendus: atque ita poterit aliquid ultra sortem exigere, quia nullus alteri, nisi salua sua indēnitate, subuenire tenetur.

Est autem limitanda concl. primo ut pecunia certissime sit negotiationi exponenda. 2. ut aliam non habeat, quā mutuare possit. 3. ut mutuans malit negotiatione, quam mutuatione aliquid lucrari. 4. ut rogatus id faciat. nam si ultro se offerat, non poterit ratione lucri cessantis aliquid exigere. in si nuaret. n. tunc se ad aliquid in fraudem usurarum mutuare. 5. ut deducantur expensæ. 6. ut minus aliquid, & non totum quod uerisimiliter lucraturus erat, exigat.

Appen. Ex probatione concl. colligitur, teneri ad aliquam restitutionem, qui impedit alium, consequutione beneficij, quod certissime erat habiturus.

Appen. Hinc, qui habiturus erat censum, si pecuniam nō mutuasset, poterit in pactum deducere, ut ultra sortem æquiualens censui pecunia mutuata ementi reddatur.

Appen. Hinc, uendens merces pecunia credita *potest* carius illas uendere, quando, si statim fieret soluto, erat pecunia negotiationi exponenda, ex qua lucrum sperabatur: ita tamen, ut conditiones limitationis seruentur.

Appen. Hinc, quando debitor est in mora restituendi, *tenetur in* foro conscientiæ soluere creditori, non solum *mutuatam* pecuniam: uerumetiam omne damnum illatum ratione dilatæ solutionis: atque etiam omne lucrum cessans.

Appen. Hinc, campsores mutuantes pecunias *nullis* negotiationibus exponendas, & aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis exigentes, in statu damnationis esse dicuntur.

1. Dub. An quando licet petere damnum lucri cessantis, liceat petere totum lucrum cessans.

S. Thom. ubi supra art. 2. & ibid. Caiet. & 4. 6. de usur. Ri. ubi supra

Caie. opinatur nullo modo licitum esse exigere totum lucrum cessans, quamuis liceat petere totum damnū emergēs. Contrariā sententiam defendunt Inn. & alii, quos Cai. citat.

CONCLVSIO.

Quando aliquid ultra sortem ratione dāni emergentis petitur, totum dānum exigi potest. Ratio est; quia, qui tale dānum patitur, non amittit, quod erat habiturus, sed quod modo quis habet: quamobrem poterit recompensationem bonorum, quæ ratione mutui amittit, petere.

CONCLVSIO.

Quando lucrum cessans ratione mutui est certissimum, & sine periculo assequendum, licitum est totum lucrum cessans

lans ratione mutui ultra sortem exigere: ut qui precibus, & charitate commotus cogitur mutuare pecuniam censui exponendam. Ratio est; quia tale lucrum cessans damno emergenti propter certitudinem lucri æquatur: nam uelut actu habetur, & impediri non potest.

Quando lucrum cessans non est omnino certum, non totum, sed partem ad arbitrium boni uiri petere licebit: ut in mercibus, & in alijs negotijs. Ratio est, quia lucrum cessans non est in actu, sed in potentia uariisque rerum euentib. impediri potest: atque ita ad arbitrium boni uiri pars illius erit restituenda.

4. Diff. An liceat ultra sortem, siue pecuniam mutuo datam ratione pœnæ conuentionalis, aliquid exigere.

V.g. si mutuetur pecunia sub hac forma, Da tibi 100. mutuo ad diem Natalis Domini soluenda, sub pœna soluendi 10. ultra 100.

Sco. affirmat esse licitum, dummodo non fiat in fraudem usurarum; Sylue. & alii Canon. quos ipse citat, Scoto subscripserunt.

CONCLVSIO.

Si pœna, ut indemnitas creditoris seruetur, ponatur, quia ex dilatione solutionis damnum emergens, aut lucrum cessans sequitur, licite talis pœna ponitur. Constat, quia nullus est cogendus, ut cum suo damno alteri benefaciat; iuste n. se indemnem seruare potest.

Hinc, mutuans pecuniam usque ad nundinas Maii, uel Octobris, quam tunc si solueret, erat mercibus creditor expensurus, poterit pœnam conuentionalem apponere, ut totũ lucrum cessans, si debitor fuerit in mora, soluatur, & de similibus erit similiter censendum.

CONCLVSIO.

Ad euitandam debitoris negligentiam licet pœnam conuentionalem apponere, & exigere. Conuenit. n. Reip. ut pacta seruentur, & debitoris negligentia puniatur. Interest. n. Reip. ut delicta quantuncunque læuia castigentur.

CONCLVSIO.

Quando debitor non potest soluere ad terminũ præfixũ, pœna ad eius negligentiam uitandam imposita, iuste exigi non potest. Quia ubi non est culpa, cum soluere non possit, iniuste pœna imponeretur.

CONCLVSIO.

Pœna conuentionalis in fraudem usurarum posita, iniuste

exigitur. Ratio est; quoniam usura palliata censetur. fit autem in fraudē, uel quando creditor fenerari cōsueuit, uel mauult debitorem pœnam incurrere, quam termino assignato solue re, uel quādo est pœna grauis, ut si dicat; elapso termino eris singulis dieb. ad soluendam tantam pecuniam obligatus.

CONCLVSIO.

Quando nulla pœna ad damnum emergens, aut lucrū cessans uirādum imponitur, si debitor ex culpa sua fuerit in mora soluendi, omne damnum in conscientia creditori resarcire tenetur. Ratio est; quia est causa damni saltem interpretatiue, quamuis intentionem damnificandi non habuerit.

Hinc, si non fuerit ex culpa sua in mora, damnū resarcire non tenebitur, quia tunc non est dāni cā, licet fuerit occasio.

Hinc, animaduertere debent confessores nobiliū, qui frequentissime reditibus suis abutentes mercatoribus ex negligentia, & culpa sua non soluunt, illos ad resarciendum damnum, & lucrum cessans teneri.

5. Diff. An liceat pecuniam mutuare, & pro assecuratione aliquid ultra sortem exigere.

CONCLVSIO.

Simpliciter pecuniam mutuare, & postea in mutuate pecuniæ periculum assumere, licitum est. nullum. n. usuræ colorē habet, quia simpliciter fuit pecunia mutuatæ, & sine ullo pacto reddendi aliquid ultra sortem, quamuis postea cōtractus assecurationis fuerit factus.

CONCLVSIO.

Mutuare pecuniam hac lege, & conditione, ut nullus præter mutuantem pecuniam assecurare debeat, illicitum est. est namque contractus usurarius. Quia ultra sortem recipit aliquid, quia, ut constat mutuatarius obligatione ciuili ligatur perinde. n. est, ac si ratione mutui obligaretur ad deferendū triticum in molendinum mutuantis, & ita definitum est cap. nauiganti, de usur.

6. Diff. An maritus possit ratione dilatationis dotis aliquid ultra sortem recipere.

Rica. ubi sup.

CONCLVSIO.

Maritus ultra dotem sibi promissam ratione dilatationis dotis aliquid exigere potest. Definita est expresse in c. salubri ter. de usur. ubi dicitur posse recipere fundum singulis annis & non teneri ad computandum fructus in sortem. Et ratio, inquit, Innoc. 3. ibidem est, quia frequenter dotis fructus ad supportanda matrimonii onera non sufficiunt. Adr. non putat

tat hanc causam sufficere, cum illam tex. exprimat. Sylu. quoque, ubi supra, dicit; quod si gener ex dote non est reportatus aliquem fructum, nō poterit ratione dilatationis aliquid exigere, quod est contra rationem textus. Maritus. n. tenetur ex dote alere mulierem, & dotem integram seruare, atq; ita poterit alimentum uxoris exigere.

Si tamen fructus excedant sumptus familiæ, excessus fructuum sunt in dotem computandi, quia cessante causa, quæ est sustentare familiam, effectus cessare debet.

CONCLVSIO.

Maritus ratione dilatationis singulis annis tot reditus, quot ad sustentandam familiam sufficiant, poterit exigere, non solum quando pignus fructiferum, uerum etiam quādo nullum tale pignus datur. Patet ex ecclesiæ cōsuetudine, quæ non compellit maritum, ut cum uxore habitet, & illam alat, donec dos soluatur: tenetur. n. ex fructibus dotis, salua tamen dote, uxorem alere. Host. in c. per uestras, de don. inter uir. & ux. & Sylu. lege.

CONCLVSIO.

Quando maritus post certum terminū, & non statim, dotē sibi dari uult, durante termino, ultra dotem aliquid exigere non potest. Ratio est, nam, ut poterat accipere uxorem absq. dotē: ita potest solutionem dotis ad tempus renunciare, tunc que sine dote, & sine dotis fructibus uxorem alere tenebitur.

Hinc, si pater uxoris, uel alius uxorem, siue familiam sine mariti industria alat; maritus ultra dotem nihil exigere potest. Iam. n. causa exigendi cessat.

7. Diff. Poteritne uxor uiro mortuo ab eius hæredibus ratione dilatationis dotis exigere aliquid ultra dotem.

Variæ sunt de hac re opin. Ang. Sylu. & So. tenent partem affirmantem. Pan. in c. salubriter, de usur. apud Sylue. æquum esse tenet, ut uidua gratis ab hæredibus uiri infra annum alatur, si non habet unde ali possit, & ut statim dos post annum integra illi reddatur. Idem docet gl. in C. de rei ux. actio. l. uni ca. §. exactio. quia uidua, inquit, intra annum nubere non potest. Innocen. Hostien. Ioan. And. in c. salubriter, citato defendunt, quod sequenti conclusione explicatur. Quos Sylvest. affert.

CONCLVSIO.

Vidua mortuo uiro, nec intra annum, nec post a morte uiri ratione dilatationis dotis aliquid ultra dotē exigere potest. Ratio est, quia ipsa non tenetur alere familiam, & in-

tegram seruare dotem, quemadmodum uir eius tenebatur; vt ex cap. Salubriter, constat.

CONCLVSIO.

Quando hæredes sunt in mora soluendi dotem, non propter impotentiam, sed ob negligentiam uiduæ, etiam ditissimæ, totum lucrum cessans, uel damnum emergens restituere tenentur. Neque enim uidua cum proprio detrimento dotis solutionem expectare tenetur.

Hinc, hæredes usuras uiduæ exsoluere tenentur, quas ipsa propter retentam dotem ex culpa hæredum contraxit.

Appen. Hinc, si uidua nullam habebat pecuniam præter dotalẽ, quæ statim erat negotiationi exponenda, uel ex ea census emendus, hæredes tũc dãnũ lucri cessantis soluere tenentur.

Appen.

CONCLVSIO.

Bona dotalia immobilia; ut fundus, siue domus, sunt statim a morte uiri uiduæ restituenda. Ratio est; quia talium bonorum nullum in hæredes transfertur dominium.

CONCLVSIO.

Quando bona sunt mobilia; ut pecunia, uel suppelex, hæredes non tenentur uiduæ, dotem, nisi post annum a morte uiri soluere. Definita est in §. Exactio, supra citato.

2. Dubium. Si mortua uxore liberi remaneant, poterit ne ratione dilationis dotis aliquid exigere ultra dotem.

CONCLVSIO.

Nequaquam potest. Et ratio est; quia mortua uxore, non remanet idem matrimonij onus, cum sit solutum, cuius ratione in Cap. Salubriter, illud concedatur.

3. Dubium. An mortuo uiro possit uxor exigere fructus ex pacto dotali per uirum facto.

Sylvest. est verbo usura 7. & 9. Soto lib. 6. q. 1. ar. 2

R. ratione pœnæ conuẽtionalis, aut damni emergẽtis, vel lucri cessantis, non tñ ratione oneris matrimonij (ut diximus) potest uxor exigere totũ, quod maritus ratione dotis petere poterat, quia dos magis uxori, quam uiro est soluenda.

Art. 2. De usura ratione emptionis, & venditionis quæ naturam mutui sapit.

Lege infra de emptione &c. S. Tho. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 7. et

Hic art. quibusdam difficultatibus positis, absoluetur.

1. Diffic. Sitne usurarius, qui merces maiori pretio pecunia creditæ, quam mutuata vendit.

Maxima est inter Doctores de hac re controuersia. Sylvest. uerbo, usura, opinatur nullo modo hoc licere, nisi in casu primæ conclusionis sequentis, & in casu cap. in ciuitate, & cap. nauiganti, de usuris, de quibus sequenti difficultate agetur.

Idem

Idem tenet S.Tho.& Soto. *Caiet. 2. 2. q. 76. ar. 2. ad 7. Syluest. uerbo, usura, 2. §. 1. 2. 2. q. 78. ar. 2. Soto lib. 6. q. 4. ar. 1. Medi. q. 38.*

Opinio contraria est Medin. C. de restitutione,& Coradi quem ipse citat, & Ric. (ut Soto scribit) quod tamen apud Ric.nullibi reperitur; hi Doctores affirmant licitum esse carius uendere pecunia credita,quam numerata. Caieta.concedit in casu cap.in ciuitate & in cap. Nauiganti, licere carius uendere pecunia expectata,quam numerata.

CONCLVSIO.

Quando merces rarissime uenduntur pecunia credita, & frequentissime numerata pecunia, & mercator nõ eratillas seruaturus,uenditq; pecuniacredita,cum possit numerata statim uendere; tunc carius ratione lucri cessantis uendere poterit.Ratio est;quia sicut mutuans poterat se seruare indemnem,nec suo detrimento alteri benefacere tenebatur,ita neque uendens tenetur alteri benefacere,nisi sua indemnitate seruata,carius,scilicet ratione lucri cessantis uendendo.

Sed est intelligenda in magna rerũ quantitate, ut si quis esset pecunia numerata statim uenditurus uini doliũ,& in alijs mercibus pecuniã consumpturus,& rogatus uendat; non autẽ in mercibus minutis, ut in duobus, aut tribus mensuris uini seu tritici,quia in his nullum est fere lucrum cessans.

CONCLVSIO.

Præcio rigoroso potest quilibet quas vis merces,etiammutas,carius, pecunia credita, quam numerata uendere,quia cum precium rigidum, suæ rigorosum non excedat reiprecium, nulla committitur iniustitia. *Limitatio.*

CONCLVSIO.

Mercator merces,quæ rarissime pecunia numerata uendũtur, carius pecunia credita uẽdens ratione dilationis solutionis, usuram committit, nam talis contractus est æquis illi, in quo pecunia mutuatur,& ultra sortẽ exigitur. Idem enim est mutuare pecuniam,& ultra sortem exigere,atqueexpectare mercium solutionem, & illas carius uendere. Qua expectatio pretij authore S.Tho.mutui rationem habet.

CONCLVSIO.

Si uero carius uendat tales merces habita ratione ad lucrum cessans,tunc nulla usuræ macula interuenit.Ratio est, quia ut in mutuo licet exigere ultra sortem ratione lucri cessantis,ita & ratione expectatæ solutionis,cum illa expectatio rationem mutui habeat.

Hinc, eadem res,eodem tempore duo præcia iusta,& differentia habet, quia ulna serica eodem tempore 30. argen- *Appen.*

teis pecunia credita,& 28. numerata uendi solet.

Appen. Hinc, mercatores preciosos pannos, & sericos nobilibus carius,quam alijs uendentes non sunt damnandi, quia nobiles sæpissime per integrum annum, uel biennium, seu quadriennium retinent mercium solutionem, quæ si statim fieret, statim mercatores præcium in alijs mercibus expenderent, ex quibus magnum sibi lucrum acquirent; & idem est de alijs mercibus,ut de iumentis &c. iudicium.

Appen. Non tamen totum lucrum cessans exigendum est; ut supra diximus,quia multũ interest,inter habere, & prope esse, & inter lucrum in actu,& in potentia; deberent autem mercatores precium,tempore solutionis taxare, ut Coradus optime apud Medinam consulit.

Appen. *Nota confessor.* Hoc loco animaduertendum nobiles soluentes stipendia famulis,uel alia debita,sumptis a mercatoribus preciosis pannis,teneri ad restitutionem creditori faciẽdam, atque etiam mercatores, qui famulis ratione dilataræ solutionis merces ualentes 80. & precio 100. ducatorum uendunt, propterea quod,mercatores fraudi commissæ per Dominum cooperantur. Hic casus est in usu frequentissimus.

Scot.q.2. ar.2. Soto art. 2. Medina. ibid. 2. *Dif. An mercator seruaturus merces in aliud tempus,possit illas carius uendere,quam tempore solutionis res ualitura speratur.*

Animaduerte tria esse capita titulo de usuris ad hanc rem facentia,& primum est cap.In ciuitate.Secundũ cap.Consuluit,Et tertiũ cap.Nauiganti,ubi tres casus simul definiũtur.

Dicæ sunt opiniones.Vna opinio Theologorum,& Canonistarum affirmantium;nullo pacto licere tunc carius uendere, ratione expectatæ solutionis; ut aperte in cap.consuluit, & in cap.ciuitate definitum est.

2. 2. q. 78.ar.2. ad. 7. Contraria opinio est Caie.asserentis;non seruaturum merces, posse statuto præcio tanto carius illas uendere, quanto tempori solutionis ualituræ creduntur.

CONCLVSIO.

Vendens merces carius pecuniæ credita,quam numerata, si nõ erat illas seruaturus,& præcium determinat,quo æstimatur illas certo tempore solutionis futuras, procul dubio est usurarius.Definita est expresse in cap. consuluit,de usuris, illa enim expectatio solutionis æquiualet mutuo,ut supra diximus, & intelligimus conclusionem &c. non taxare præcium; creditur tamen merces plus ualituras, quia tempore contractus se in tuto constituit.

Quando

CONCLVSIO.

Quando in casu proximæ conclusionis præcium non determinatur, sed relinquitur tempore solutionis determinandum, quo tempore dubium est, sit ne plus, aut minus res ualitura, quam tempore cõtractus, nulla interuenit usura, quod si plus ualitura creditur, contractus erit illicitus. Ratio est, quia neuter constituit suã rem in tuto, neque ibi ratio speciẽ mutui habens, sed indeterminatæ uenditionis reperitur. *Soto vbi supra.*

CONCLVSIO.

Seruaturus merces potest illas carius uendere pecunia credita, quam numerata, atque etiam præcium determinare potest. Definita est expresse in 3. casu cap. nauiganti, nam licet cum est uenditori se indemnem seruare, neque uendit tempus, ut recte Scotus dicit. Quia erat illas merces seruaturus, & maius lucrum sperabat.

CONCLVSIO.

Non tamen licet tunc totum precium, quo res ualitura tẽpore solutionis erat, exigere, est enim habenda ratio periculorum, laborum, & expensarum, quæ in seruandis mercibus erant faciendæ. multum namque interest inter habere, & prope esse, & inter lucrum in potentia, & in actu.

1. Dubium. Licebitne quando venditur frumentum indeterminato præcio statuere, vt eo præcio, quo carius valebit in tcio mense Maij soluantur.

CONCLVSIO.

Talis contractus esset iniquus, quia sors uendentis in tuto collocaretur, deberet enim determinari dies solutionis, uel essent constituendæ tres nundinæ, & sortiendum, quæ illarum esset eligenda, uel esset arbitris committendum.

CONCLVSIO.

Potest, qui erat seruaturus merces, & ob hoc carius illas uẽdit, ut in casu. 3 & 4. conclu. non solum pecunia credita, uerum etiam numerata carius uendere. Et ratio est, quia causa, ob quam licet carius uendere, non est terminus solutionis, sed est seruare creditorem indemnem, quia si seruasset merces, ut erat illi cordi, plus esset lucraturus, est autem hoc loco animaduertendũ ut uenditor precibus amici, & charitate cõpellatur. nã si ipse se offerat, maximã usurę speciem insinuat. *Soto. art. 1. vbi supra, ad vltimum Ric. ar. q. 5.*

3. Dif. Emptor, qui anticipata solutione minus iusto precio emit, teneturne ad restitutionem.

Duæ sunt opiniones. Soto affirmat talem contractũ nullã habere vsuræ rationẽ, S. Tho. tenet oppositum, quem Gab. & Medi-

& Medina sequuntur.

CONCLVSIO.

Med. vbi sup. 2. 2. q. 78. ar. 2 ad 7. Gab. q. 11 d. 15.

Vilius ratione anticipatæ solutionis emere, usura est. ratione enim mutui palliati aliquid ultra sortem recipitur, quia ista æquipollēt, accipe 10. ut reddas post duos menses 12. & accipe 10. ut post duos menses pondus lanæ ualēs 12. reddas.

CONCLVSIO.

Ratione damni emergentis, aut lucri cessantis potest emptor uilius anticipata pecunia emere, ut si consumpturus erat illam pecuniam in alijs mercibus, ex quibus *lucrum* sperabat & rogatus a uenditore emat. Ratio est, nā, ut uēditor ratione damni emergentis, aut lucri cessantis potest carius pecunia credita, quam numerata uendere, ita & emptor emere.

4. *Diffic. Licet emptori uilius emere obligationes, & debita post aliud tempus soluenda.*

Med. & Soto ubi supra.

Caieta. partem affirmantem tenet. Contrariam defendit Medina, cui subscripsit Soto.

CONCLVSIO.

Debitor non potest redimere debitum uilius post annum soluendum ratione anticipatę solutionis, bene tamen ratione lucri cessantis. v. g. debeo tibi 100. post annum soluenda, non licet mihi dicere, accipe 90. & 100. dimitte, quia est usura. est enim illa anticipata solutio, habens rationem *mutui*, ratione tamen lucri cessantis poterit, ut si erat illis 90. *lucraturus* 10. & quia rogatur a creditore, ut redimat uilius debitū, illa lucrari desinit.

CONCLVSIO.

Quando debitum est omnino certum, & apud fidelem debitorem uilius obligationem emere ratione anticipatæ solutionis haud licet. Ratio est, quia talis emptio æquiualet mutuo, in quo aliquid ultra sortem accipitur. & est usura pallia ta. Nam illa obligatio est pecunia æstimabilis.

CONCLVSIO.

Si debitum est incertum, uel debitor fugitiuus, uel est difficillima solutio, neque totum speratur recipiendum, licitum est uilius anticipata pecunia emere. Ratio est, quia tunc emptor suum lucrum in tuto non constituit. usu uenire namque potest, ut non totum debitum, sed partem dumtaxat recipiat, atque ita ratione huius dubij potérit uilius emere.

Hinc, licebit emere uilius debita bonorum confiscatorum quæ dicuntur (*Penas de camera*) Ratio est, quia hæc debita rarissime integra soluuntur, nisi emptor fuerit prætor, quoniam

piam tunc debitum est certissimum, cum sibi facile bona confiscanda applicare possit.

5. *Diffic. Licebitne alicui mutuare pecuniam palliatæ uenditione sub forma sequenti.*

V.G. petis a me 100. sub usuris, & polliceris 10. ultra 100. ego uero timens ne, ut fœnerator ab Ecclesia condemner, fingo usuram hoc modo, tu, qui petis mutuo, habes 50. oues, & uere non habes. fiat ita contractus, tu uendis mihi oues 20 ducatis, hac lege ut post 4. menses tenearis mihi reddere has oues integras, aut præcium datum, hactenus non est iniusti tia, sed mendacium. præterea adiungitur contractui falsæ uenditionis alius contractus fictæ locationis, in quo est usura. v. g. ego, qui emi a te oues, easdem tibi pro 12. ducatis statim dandis, aut pro tantis hædis per 4. menses loco. hic est sucus usurarum, & dolus manifestus sub prætextu fictæ uenditionis, si quidem tempore solutionis debitor reddit usurario ultra capitale locationis fictæ præcium, manifestior est hæc iniusti tia, atque usura, quam, ut probatione aliqua indigeat. quod si contractus esset uerus, solū esset iniustitia in hoc, quod oues essent seruandæ integræ, cum deberent potius Domino rei perire, sed de his alibi, quando uero est uenditio ficta, est contractus usurarius, quia æquiualet huic, s. mutuo tibi 20. ut mihi 22. post 4. menses reddas.

Alia est forma huius usuræ palliatæ, quando non est ficta, sed uera uenditio, uerum cum pacto retrouendendi. fitq; hac ratione tu habens 100 oues, quas ego emo a te 50. ducatis, quos statim soluo, hactenus nō est usura additur præterea, ue rū hac lege fiat emptio, ut stipendio aliquo constituto, scilicet, 10. ducatorum tenearis tu seruare per 4. menses has meas oues integras, & pascere, hactenus nulla est usura, nisi forte renueno de quo infra. Præterea apponitur alia conditio, scilicet, ut fructus ouium, ut lana, caseus hædi, sint fœneratoris, neque hic est usura. Quia cum fœnerator sit Dominus ouium, illarum fructum recipere potest. Ad hæc adiungitur contractui, ut post 4. menses tenearis tu redimere has oues eodē precio, quo a te illas emit, hæc est usura manifesta, mutuo æquialens quia post 4. menses redditur sub obligatione precium acceptum, & augetur fructus lanarum, & casei atque hædorū, qui fructus ualent 20. nummos aureos, aut plures.

6. *Diffic. An emens moatras sit uere usurarius.*

Moatra est uenditio uera, & uenditio rei eiusdem, uel est uenditio uera, & cum pacto de statim retrouendendo, ne,

scilicet,

scilicet, fiat contractus usuræ manifestæ.

Propositio prima.

Si præcessit pactum expressum retrouendendi, aut si non præcessit, sed mercator hoc insinuauit, signum est fieri in fraudem usurarum.

Propositio secunda.

Quando mercator nullo modo uenderet suas merces pecunia credita, nisi expectaret emptorem esse statim illas merces reuenditurum, tunc fit usura: perinde enim est, ac si mutuarem tibi 50. ut 60. redderes.

Propositio tertia.

Med. ibi. Si talis uenditio non fiat in fraudē usurarū, qa tu nō petisti mihi pecuniā mutuatā, & etiāsi petisses, nō habebā fœnerandi animum, scio tamen te emere has merces pecunia credita, ut statim illas uilius pecunia numerata uendas, nō erit usura, si tu es illas alteri uilius uenditurus, & mihi uendas.

7. Diffic. An qui emitrem uilius pecunia anticipata aliqua publica auctione, sit usurarius.

Hic casus contingit passim in partibus maritimis, maxime in regno Galleciæ, ubi mense Ianuarij uoce præconis uendūtur pisces, mense Nouembris capiendi, dummodo statim fiat solutio. Qua ratione pisces multo uilius uenduntur, quia solutio anticipatur. quidam fieri posse affirmant.

CONCLVSIO.

Quando res uilius pecunia anticipata, siue priuatim, siue in publica auctione uenditur, contractus est usurarius: si emptor spem suam in tuto ponat, dicens, dabis dragma argentea minus, quam in publica auctione, tunc ualebit. Ratio est, quia licet res sit uilior, quando uenditur in publica auctione, publica tamen auctio naturā contractus non mutat, & cum cōtractus ille ratione anticipatæ solutionis, ut supra diximus sit usurarius, ex natura sua per publicam auctionem eius usura non tolletur. Nam, ut uenditio carior in publica auctione pecunia credita habet rationem mutui, ita, & uilior emptio ratione anticipatæ solutionis.

Hinc, emens fructus uinearum, siue segetes sequentis, aut præsentis anni uilius, quam æstimantur hęc ualitura, quia anticipatur solutio, est usurarius ob rationem dictam, nisi taxetur precium, quod ualebat merces tempore solutionis, quia licet postea plus ualeant, non erit usura, quia emens non posuit spem in tuto ac lucrum, poterat enim uilius ualere, & nisi emens charitate, & precibus a uenditore compulsus emat,

qui

qui pecuniam in aliis mercibus erat expensurus. Nam tunc ratione lucri cessantis licebit.

CONCLVSIO.

Si neuter contrahentium spem suam in tuto constituat, integrū erit pecunia anticipata uilius emere piscatū, quā tempore traditionis ualiturum, propter euentus incertitudinem.

8. *Dif. Etiam usura accipere fructus rei emptæ ante præcij solutionem.*

Canonistæ in cap. Conquestus de usuris, & Sylvest. uerbo usura §. 10.

CONCLVSIO.

Quando uenditur res absolute, si ante solutionem precij emptori tradatur, emptor fructus, si fuerit in mora, restituere tenetur, si tamen hac lege fuerit res tradita, ut si intra terminum certum non soluerit, fructus suos non faciat. Aliter uero minime. Et ita intelligitur text. in l. curabit, C. de actionibus emption. & uendit. Et est glossa in cap. Conquæstus citato. Et per moram intellige, non solum quando termino præfixo, uerumetiam quando post monitionem debitum non soluitur. incidit enim tunc debitor in pœnam appositam, & iure optimo uenditor exigit ab emptore fructus perceptos ratione pœnæ conuentionalis.

CONCLVSIO.

Quando non fuit apposita pœna conuentionalis, fructus perceptos soluere non tenetur, licet ad damnum emergens, aut lucrum cessans resarciendum obligetur. nam tunc ex culpa emptoris uenditor damnificatur. quod intellige, si est in mora ex culpa sua, & non aliter.

2. *Dubium. Quid si uenditor recipit præcium, & non tradidit rem.*

CONCLVSIO.

Rem, & fructus perceptos restituere tenetur, quia recipit fructus rei subiectæ restitutioni, quæ quamuis sit sua ante traditionem, tamen, quoniam cum aliena iactura locupletatur, ad fructus restituendos tenetur.

3. *Dubium. Quid si non totum, sed partem precij recipit.*

Gabr. d. 15. q. 11 Sy. uerbo usura. 2. §. 12.

CONCLVSIO.

Si uenditio fuit conditionalis, ut non teneretur tradere rē donec integrū precium solueretur, iuste retinet fructus. Quia ex uoluntate emptoris tunc retinet.

CONCLVSIO.

Si autem uenditio fuit absoluta, tenetur pro rata præcij soluti fructus soluere. Quia res illa uendita, est restitutioni pro rata obnoxia.

9. Diffic. An emptio cum pacto de retrouendendo, fructibus in sortem non computatis sit usuraria.

V.G. uēdo tibi fundum singulis annis ferentē fructū decē ducatorum hac cōditione, ut tenearis mihi reddere, quando cūque tibi precium soluam, accidit post 10. annos, ut ego fundum redimam, recepisti tu interim deductis expensis 100. ducatos ex fructib. est dubiū, an tenearis illos in sortē cōputare.

R. Contractus est licitus, & emptor non tenetur, ad cōputandum fructum in præcium tempore reuenditionis.

4. Dubium Quibus conditionibus huiusmodi contractus fieri debet, ut usuræ speciem non habeat.

CONCLVSIO.

Contractus emptionis cum pacto de retrouendendo eādē rem tempore definito, aut indefinito licitus est, & emptor fructus suos facit. Definita est expresse in l. si fundū C. de pactis inter emptorem, & uenditorem compositis, tum etiam, quia ibi nulla interuenit iniustitia, cum tam uenditor, quam emptor, sine alterius partis detrimento lucrum consequatur.

CONCLVSIO.

Quando deducitur in pactum, ut res pereat periculo uenditoris & non emptoris, tunc est usura palliata: ut si dicat emptor, si res perierit ante tuam redemptionem, teneberis mihi precium tibi datum restituere. est enim mutuum *palliatum*. nā secundū ius naturę res empta perit emptori, cum sit iā sua.

CONCLVSIO.

Si emptor habeat animum utendi dumtaxat, & uocat illam emptionem, ut fructus ultra sortem recipiat, tunc usuram committit, est enim in fraudem usurarum.

CONCLVSIO.

Neque erit talis contractus licitus, quando res precio iniusto emitur: ut si fundum ualentem 1000. ducatos aliquis 500 cum pacto de retrouendendo emat, censetur enim cōtractus pignoris potius, quam emptionis, estq. hic casus expresse definitus in c. Ad nostram, de emptione, & uenditione.

CONCLVSIO.

Res empta cum pacto de retrouendendo minus ualet, quā si absolute uenderetur propter onus emptori impositum, scilicet, ut illam reuendere tempore præfinito teneatur, uel quando uendenti illam redimere placuerit, quia illa obligatio reuendendi est in fauorem uendentis, & ratione illius uilius, quam si absolute uenderetur, emi potest, non tamen hac de causa precium infra dimidium extenuare licebit, ut

in cap.

in cap. Ad nostram citato habetur, sed erit precium ad arbitrium boni uiri extenuandum.

CONCLVSIO.

Neque erit prædictus contractus emptionis licitus, si fiat cum pacto, ne possit redimi usque ad quinquennium, aut certum aliud tempus, quia constituit lucrum in tuto, & significat loco usurarum, saltem uelle fructus duorum annorum, nisi ita temporis determinatio fiat aliqua bona fide, uel nisi soluerit iustum precium. in hac n. non fit iniuria uenditori, qa iuste emit, & iusto precio, & res est sua, atq; ita poterit deducere in pactum ne illam rem, nisi post tot annos reuendere teneatur.

Art. 3. De usura commissa ratione pignoris. An possit habens fundum sub pignore, in aliquo casu fructus pignoris ultra sortem recipere. Soto li. 6. 1. art. 2. Medina. q. 38.

CONCLVSIO.

Qui tale pignus recipit ratione mutui, fructus in sortem computare tenetur. Definita est expresse in cap. conquestus. de usuris. Et ratio est, quia cum pignus sit alienum, ex aliena re fructum capere non licet.

Hinc, omnes habentes res mobiles in pignus: ut pallium &c. ratione mutui, illis utendo peccant, & illarum detrimentum restituere tenentur. Appen.

CONCLVSIO.

Quando in pignus res immobilis, & fructifera traditur, melius est: ut a mutuante cum pacto de retrouendendo ematur, quam, ut loco pignoris accipiatur. Quia si empta fuerit, dum non redimitur, fructus suos facit.

CONCLVSIO.

Quando pignus est feudum mutuantis, potest fructus retinere non computando illos in sortem. Ratio est, quia non recipit, tunc fructus ex alieno, sed ex suo: siquidem illius rei dominium directum habet.

Art. 4. De usura ratione locationis, & conductionis, an liceat locare alteri iumenta, aut boues sub sequenti forma. Soto, & Medina ubi sup. Soto ar. 4 & Mel. ub. sup. t Ric. ar. 5 q. 6 2. 2 q. 27. ar 3. & 5.

V.G. accipe bouem conductum ad colendum agrum quatuor ducatis hac lege, & conditione; vt alium bouem eiusdē ætatis, cuius est modo hic, reddas.

CONCLVSIO.

Contractus est proculdubio usurarius, & tales negociatores Hispanicè (renoueros) uocantur, quia ultra sortem exigunt, ut boues, & iumenta, quæ conduxerunt, renouentur, estque contractus hic æquiualens contractui mutui. perinde enim

enim est, ac si diceret, accipe bouem mutuatum ut alium melioris præcij, & ualoris reddas.

Art. 5. An usurarius pecuniæ fœnoris Dominium acquirat.

Caiet. in tractatu de usura, q. 1. tres citat opiniones, quarum prima est affirmans. Secunda, & contraria est S. Th. D. Bona. Tertia est media, quæ tenet transferri Dominiũ, quando usura in rebus, quæ usu consumuntur, soluitur, non autem si rebus, quæ non usu consumuntur, soluatur.

Scot. liberatur.

Hic liberandus est Scotus a calumnia illi imposita, quia in ter agendum, An usurarius teneatur ad restitutionem, ait, uidetur, quod usurarius non tenetur, quia dans usuras transfert Dominium, ergo alius, scilicet, usurarius non tenetur ad restitutionem. Quia non habet alienum. R. etsi transferat dominium, tamen recipiens tenetur ad restitutionem, sicut enim in mutui datione transfertur, & tamen debitor tenetur restituere creditori. ex hoc loco male colligunt aduersarij Sc. sententiam, quia ipse solum negat sequi transfertur Dominiũ, ergo usurarius non tenetur ad restitutionem. Et qui negat sequens, non est uisus concedere antecedens, sed solum permittere, ut transeat, non curando, sit ne uerum, an non, quid. quod Scotus potius tenet, usurarium pecuniæ fœnebris nõ acquirere Dominium. Nam ubi supra art. 4. ita ait, *fœnerator* non tenetur redere lucrum acquisitum ex pecunia fœnebri, alioquin ille, qui reciperet, posset iuste esse usurarius, quia reciperet fructum de sua pecunia prouenientem per industriã alterius, quod est facere usuras, uides, quam aperte insinuat Scotus pecuniam fœnebrem esse suam, ideſt, soluentis usuram, & non fœneratoris.

Ric. ibid. d. 15. q. 2. artic. 3. Adr. in q. de usura Medi. & Sot. loco cuato. S. Th. 2. 2. q. 78. artic. 3.

CONCLVSIO.

Vsurarius neque pecuniæ, neque cuiuscunque alterius rei per usuras acquisitæ cõparat Dominiũ. Ratio est, quia dãs nõ libere dat, sed inuitus, & ad translationẽ dominij requiritur libertas. Est quoque definita in c. debita res. de iureiurando.

1. Diffic. Habebitne usurarius dominium eorum, quæ pecunia usuraria erit.

Scotus ubi supra partem affirmantem tenet. Et ratio illius est, quia pecunia non facit fructum, sed industria negotiantis, scilicet, usurarij, atque ita fructus campi pecunia aliena comparati non erunt restituendi, satis enim est pecuniam restituere, & campum retinere.

2. Diffic. *Qui uendunt aliquid usurario, uel ab illo emunt, tenenturne usurarij creditoribus facere restitutionem.*

CONCLVSIO.

Qui emit ab usurario, eandem rem numero, quæ data est illi titulo usuræ, creditoribus usurarij, etiam cum fructibus, seclusis tamen propria industria acquisitis, restituere tenetur: nam, ut supra diximus, usurarius non habet dominium illius rei, & ideo qui illam ab usurario emit, tenebitur cum fructib. uero Domino restituere.

CONCLVSIO.

Emens ab usurario rem aliquam, cuius ratione usurarius omnino impotens efficitur ad restituendum usuras, tenetur tunc emens ad restitutionem. Et ratio est, quia cum ille contractus impediat restitutionẽ, efficitur crimini usurarij particeps.

Hinc, ducens in uxorem usurarij filiam, si impotens ad restituendum propter dotem efficiatur, ad restituendam dotẽ obligatur. proinde accipiens eleemosynam ab usurario, & ne cessaria uictui, aut uestitui: similiter uendens usurario uictui, & uestitui necessaria, ad præcij accepti restitutionem tenetur. eodem etiam modo, & famuli, & mercenarij ab usurario stipendium recipientes. Et ratio horum omnium est, quia cum ab usurario accipiant pecuniam, & nihil illi ratione pecuniæ acceptæ, quo possit creditoribus satisfacere, conferat, certissimum est usurarium effici minus potentem ad restitutionem. Cuius quidem impotentiæ, cum fuerint contrahentes causa erunt profecto restitutioni obnoxij. Appen.

3. Diffic. *An hæredes usurarij ad restitutionem teneantur.*

CONCLVSIO.

Tenentur quidem, quia testamenta usuraria sunt ipso iure nulla, ut constat de usuris in 6.

4. Diffic. *Tenenturne hæredes in solidum omnes usuras restituere, an quilibet pro rata.* Rica. ubi sup. Medin. et Soto ubi supra.

CONCLVSIO.

Quilibet tenetur ad tantam restitutionem faciendam, quãta fuerit hæreditas, quam sortitus est. & idem est iudicium de legatario. Et ratio est, quia, cũ omnia bona defuncti sint creditoribus obligata, quilibet, ad quem aliquod bonum peruenit, insolidum restituere, & uno restituente, cæteri pro rata illi satisfacere tenentur.

Med.a. q.23. usq; ad 18.

QVÆSTIO DE DONATIONIBVS.

Art. 1. Quid nam est Donatio & quotuplex.

Propositio prima.

Donatio proprie dicitur, cum quis ea mente dat, ut statim accipientis fieri, nec ullo casu ad se reuerti uelit. quæ solum fit ad liberalitatem, & magnificentiam exercendã, hæc non aliter, quam ex Etymologia nominis confirmatur.

Propositio secunda.

Donatio quadruplex est. Vna absoluta, quando absolute dicitur, hac rem tibi dono. Secunda conditionalis, quando cõditio, si, apponitur. Tertia Modalis, quando dictio (ut) ponitur. Vltima causalis, in qua dictio (quia) proponitur, ut si quis dicat. quia mihi egenti adiumento fuisti, tibi 100. dono, quæ potius remuneratio appellanda est.

1. Diffic. Donatio absoluta ultra quantitatem a lege. statutam est ne ualida.

CONCLVSIO.

Donatio omnium bonorum in foro conscientiæ ualebit, & qui possidet, ad restitutionẽ non tenebitur. Ratio est, quia nihil tã naturale est, quam, ut dominia in alios ex uoluntate proprij Domini transferantur. præsertim, quando huiusmodi translatio a lege in foro cõscientiæ non impeditur. & Lex Tauri solum prohibet formam contractus in foro exteriori, non autem in foro animæ, ut constat ex consuetudine, quę est optima legum interpres. nullus enim restitutionem fieri ab illo, qui bona omnia alterius per donationẽ accepit, iussit.

2. Diffic. An donatio facta per metum ualeat.

Duæ sunt opiniones. Prima Panor. in c. Abbas, affirmantis talem donationem ualere, sed postea per iudicem esse irritã dam. Secunda opinio est Almaym d. 15. qui negat ualere.

CONCLVSIO.

Donatio per quemcunque metum facta est in conscientia nulla. Ratio est, quia donatio debet esse libera. Ita enim plerunque extenuat libertatem metus mediocris, aut minimus, atque metus cadens in uirum constantem, si quidem cessante illo metu, qui donat, non donaret, oppositum tenent omnes Theologi, atque Canonistæ affirmantes solum esse nullam donationem, quando metu cadente in constantem uirũ fit.

CONCLVSIO.

Qui metu compulsus donauit, & iuramento firmauit, iuramentum adimplere tenetur, & ille, cui facta est donatio uel remittere, si nondum accepit, uel restituere, si accepit, tenetur.

tur. Definita est in c. primo, de iure iurando, ubi ratione iuramenti debitor ad soluendas usuras compellitur.

3. Diffic. *An donatio facta solo interiori uoluntatis actu sit in conscientia ualida.*

CONCLVSIO.

Quando consensus expressus utriusque partis non interuenit, donatio est nulla. Ratio est, quia donatio est contractus, & contractus est attractio uoluntatis utriusq. partis, hic autē non fit talis attractio. Quia non acceptatur.

Hinc, nulla erit donatio per scripturam, & coram testibus absenti facta, si antequam acceptetur, reuocetur, deficit enim mutua uoluntas utriusque partis, quę ad donationē desiderat. Appen.

4. Diffic. *An donatio facta meretrici ab amante sit ualida.*

CONCLVSIO.

Valida est, nisi nimio amore amans rationis usum amiserit. Ratio est, quia amor non aufert libertatem, quemadmodum metus, propterea quod, amor a uoluntate proficiscitur, metus autem siue timor ab extrinseco contra uoluntatem infligitur.

5. Diffic. *Valetne donatio sub conditione facta conditione non existente.*

Animaduertendum est primum, ualere donationem præsentem in testamento factam secundum ius ciuile, etiam una ex quatuor conditionibus sequentibus non adimpleta, scilicet, si fuerit conditio impossibilis: ut si testator dixerit, lego Petro 100. si cœlum digito tetigerit, uel secundo si fuerit turpis, ut si fecerit tale peccatum, aut tertio si fuerit matrimonium impediens, ut si non nupserit, aut quarto, si fuerit impeditiua alterius maioris boni; ut si dicat, lego centum, si religionem non ingrediatur. Ratio est, quia huiusmodi conditiones in iure pro non appositis habentur.

CONCLVSIO.

In foro exteriori donatio facta sub conditione aliqua ex ijs quatuor per testamentum, etiam non existente conditione ualet. Definita est in Cap. finali. & in c. uerum, de cōditionibus appositis.

CONCLVSIO.

In foro conscientiæ donatio sub conditione aliqua ex ijs quatuor facta, conditione non existente, non ualet, quando colligitur uoluntatem testatoris fuisse, ut conditio adimpleretur. Ratio est, quia deficiente conditione, deficit donantis uoluntas.

Est tamen limitanda conclusio, nisi ille, qui donauit, uoluerit, ut eius donatio secundum ius ciuile intelligeretur. cognoscetur autem non fuisse testatoris uoluntatem, si fuerit literatus. nouit enim ipse testamentum secundum prædictas leges esse interpretandum. *Limitatio*

CONCLVSIO.

Iudex in foro exteriori inique faceret proferendo sententiam contra donantem non impleta conditione una ex quatuor positis, si insinuauerit testator se noluisse ualere donationem, nisi conditione adimpleta. Ratio est, quia iam esset præsumptio legis.

CONCLVSIO.

Quando qui donat, est bene iuris ciuilis conscius, etiam cõditione una ex illis quatuor posita non existente, donatio ualebit. Quia uisus est secundum iuris formam donare.

6. Differ. An ualeat donatio causalis, causa non subsequuta, & modalis, modo non subsequuto.

CONCLVSIO.

Quando donatio causalis, est inter uiuos, causa non subsequuta, intentio donantis est omnino consulenda, & idem dicendum est de modali, modo non subsequuto ut si quis dicat, dono tibi rem hanc, quia recte mea negocia gessisti, si non ita factum fuerit, donantis intẽtio erit consulenda. Ratio est, quia tunc tolletur omnis scrupulus, alioqui enim nunquã retinens donum, bona fide possidebit. Nam eget contra conscientiam, cum sit dubius, a qua dubitatione liberari non poterit, nisi per consultationem.

CONCLVSIO.

Si causa, uel modus donantis non fuerit expressus, sed præsumptus, nihilominus, uel reddere acceptũ, del donantis intẽtionẽ cõsulere tenet. Et ratio est, qa aliter mala fide retinebit.

Hinc, puella, quæ accepit munuscula, ut alliceretur, si non consenserit turpitudini donantis, ad restitutionem tenetur, quia deficit uoluntas donantis.

CONCLVSIO.

Quando res, ob causam præsentem donatur, & causa nõ existente accipitur, accipiens tenetur ad restitutionem. Quia deficit uoluntas dantis, quæ est donationis radix.

Hinc, accipiens Eleemosynam ficta paupertate, est restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Si donatio fuerit in testamẽto, dispositioni iuris standũ est, nisi

nisi aliunde testatoris uoluntas constet, quia leges disponentes legata conditionalia, causa siue modo, siue conditione, nõ subsequuta, quando contrarium testator non expressit, fundãtur, in præsumptione, quia præsumunt, quod si aliud testator uoluisset, expressisset.

7. *Diffic. An ualeat donatio modalis alicui facta, ut faciat, quod ratione iustitiæ, uel charitatis, facere tenebatur.*

CONCLVSIO.

Quãdo opus est gratis debitum peccat mortaliter, qui munera, siue pecuniam accepit pro opere præstando, & ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia dans non gratis, & uolens, sed inuitus, & ad redimendam uexationem dat.

Hinc, consiliarij regis iustitiæ ministri stipendiarij, si quid ultra stipendium accipiant pro administratione iustitiæ, ad restitutionem tenentur, idem est de reliquis ministris inferioribus iudicium. Appen.

Hinc, Sacerdotes quando gratis tenentur sacramenta administrare, & pro administratione quicquam recipiunt, ad illius restitutionem tenentur. Constat ex Cano. non sana 14. q. 5. datur enim eleemosyna plus solita ad redimendam uexationem. ideo caueant Sacerdotes libentius confessiones offerentium pecunias, quam non offerentium audientes. Appen.

Hinc, recipiens donum, ut ab opere illicito. v. g. ab homicidio. & c. abstineat, ad restitutionem tenetur.

CONCLVSIO.

Pro opere debito ex pcepto recte pecunia exigitur, quæ otãti a lege statuitur. Dignus enim est operarius mercede sua.

Hinc, Sacerdos pro administratione sacramentorum decimas, & medicus pro curandis infirmis, quos ex præcepto (si non esset alius medicus) curare teneretur, aliquid exigere poterit, atq; etiam testis non pro testimonio dicendo, sed quia aliquid eius causa consumpsit, & lucrari poterat.

CONCLVSIO.

Pro opere, siue ex iustitia, aut charitate, uel ex præcepto debito, aut pro opere supererogationis licebit, pecuniã dare, & recipere non animo utendi, aut emendi illud opus, sed inducendi alium ad tale opus exercendum. Colligitur expresse ex c. Quam pio 2. q. 2. & ex Cap. & si questiones. de symonia.

Hinc, Episcopus, cui datur aliquid, ut libentius digniori faueat, & Iudex, cui munus tribuitur: non ad redimendam uexationem, quia uir bonus censetur, sed ut facilius, & libentius bene iudicet, & testis, cui eadem ratione aliquid datur, ad

restitution em minime tenetur, quia dans non inuitus dat, ne que symon ia aliqua committitur.

8. *Diffic. An qui accepit donum ob turpem causam, & qui promisit, causa turpi subsequuta, promissum adimplere teneatur.*

CONCLVSIO.

Si conditio nondum est completa, promittens contractū rescindere tenetur. Ait enim Isidorus, in malis rescinde fidē, in turpi uoto muta decretum. tenetur enim impedire flagitiū committendum, quod nisi rescindendo contractum impediri non potest.

CONCLVSIO.

Flagitio iam commisso, promittens pecuniam pro illo cō mittendo, promissum soluere tenetur. Constat ex Cap. debitores. de iureiurando. lege quæstiones. de uoto.

CONCLVSIO.

Qui accipit pecuniam pro flagitio commisso, illam restituere minime tenetur, Quia dās sponte dedit. De hac re supra

10. *Diffic. An qui promisit rem certam, quam ante traditionem aliquo modo alienauit, æquualens restituere teneatur.*

CONCLVSIO.

Qui promisit aliquid in specie, ut equum &c. tenetur, sub pœna peccati mortalis adimplere promissum, indiuiduum illius speciei, aut equualens reddendo. tenetur enim homo homini iure naturæ fidē seruare, etiam non interueniente iuramento, & peccat promittens rem grauem, & non potens illā præstare.

9. *Diffic. Licetne pecuniam accipere pro iniuriæ remissione.*

CONCLVSIO.

Nequaquam licet. Nam remittere iniuriam est animū reddendi malum pro malo remittere, & cum talis remissio sit opus spirituale, esset symonia pecuniam pro illa recipere. debemus enim gratis delicta proximis remittere, quemadmodum nobis Deus condonat.

CONCLVSIO.

Ab actione iniuriarum integrum est pro pecunia recedere, Constat ex Cano. si quis contractus, dist. 40. & ex glossa ibidem. Nam qui iniuria affectus est, non tenetur damna illata in persona fama, aut fortuna remittere. Propterea q̄, lege diuina solum obligatur ad deponendum animum sumendi uindictam, aut reddendi pro malo malum. Difficillimum tamen est discernere, deposueritne uindictæ animum, quē quidem

dem habet, si gaudet, ut aduersario similis iniuria inferatur.

QVÆSTIO DE PRÆSCRIPTIONIBVS. Medi. q. 16. 17. & 18.

Art. I. Quidnam est præscriptio.

CONCLVSIO.

Præscriptio est dominium acquisitum authoritate legis post temporis spacium a lege permissum. Hæc conclusio, quę continet præscriptionis definitionem, intelligitur facile posi tis his, quæ ad legitimam præscriptionem desiderantur, quæ quidem sequentibus propositionibus comprehenduntur. Medi. q. 16. Soto lib. 4. & 5. ar. 4.

Propositio prima.

Ad legitimam præscriptionem continua possessio rei præscribendæ per totum tempus a lege decretum, est necessaria, vt si lex decennium statuat, illam continuis decem annis possidere debet.

Hinc, qui finito quinquennio, rem alienaret & postea per aliud quinquennium possideret, non præscriberet. Appen.

Propositio secunda.

Est etiam necessaria bona fides in possidente, ideſt, ut toto tẽpore præscriptionis non sit rei alienæ conscius. Constat de reg. iur. in 6. quia possessor malæ fidei nũquam præscribit.

Propositio tertia.

Est quoque necessarius in præscribente titulus, ideſt, actus, quo dominium transferri solet.

Hinc, possidens rem inuentam, non præscribit. Quia detẽtio rei inuentæ nunquam transfert dominium. Appen.

Hinc, neque fur, aut latro præscribere potest. Propter eandem rationem. Vide gl. in c. Si diligenti, de præscript. Appen.

Propositio quarta.

Est quarto necessarium, ut res præscribenda sit talis naturæ, ut a iure præscribi non prohibeatur. Appen.

Hinc, subditus præscribere non potest contra Prælati obedientiam, ut in aliquo casu obedire non teneatur. Appen.

Neq; etiam, ut stipendium visitanti Episcopatum aliquis soluere non teneatur. ut constat ex c. Cũ ex officio, de censib. Appen.

Tum nec potest quis præscribere, ne Ecclesiasticum interdictum seruare teneatur; vt definitum est in cap. Alma mater. de sententia excom. in 6. Appen.

Neque laicus ius patronatus, aut ius exigendi decimas (ut habetur in c. Ante, de præscriptionibus) præscribere potest. Appen.

Neque limites unius diœcesis ab alia præscribi possunt: ut in cap Super eo. De parochijs est definitum. Appen.

Neque homo liber præscribi potest. Quia prohibetur. 16. Appen.

q.3.can.placuit.

Appen. Neque publicæ res,ut uiæ,plateæ, &c. quia prohibentur l. præscrip.C.de operepublico.

Appen. Neque pensiones,uel tributa,quæ principi reip. aut ciuitati soluuntur.Ita definitur dicto can.placuit.

Appen. Neque res dotalis,aut pupillorum durante pupillari ætate, quæ est usque ad 14.annum,aut bona minorum sine iuris solemnitate uendita, uel bona ecclesiæ absque consensu capituli alienata. Quia eorum alienatio a lege, & a iure præscribi prohibetur.

Appen. Neque res, quæ a testatore alienari prohibetur,quia hoc ius uetat per tex.& gloss.in l.2. C. de usucapionibus pro emptore.

Appen. Neque res possessa alieno nomine,ut commodata,quia qđ alieno nomine retinetur, non uere possidetur.

Appen. Neque res empta ab eo, cui est interdicta suorum bonorũ administratio.Nam,ut res minorum præscribi non possunt; ita neque aliorum,quibus dantur curatores propter suarũ rerum abusum.

Appen. Neq; currit præscriptio contra ignorantem. Quia non est in culpa,qui ignorat rem ab alio possessam esse suam,neque contra impeditum,ut contra excommunicatũ cui non datur actio in iudicio,nisi fuerit in mora petendi absolutionem.

Tandem neque qui precario possidet,i,ad preces ueri Domini;nec debitor præscribere possunt: neque emphyteuta.i. qui emit agrum ad tempus per suam,aut filiorum uitam: neque censuarius, qui per aliquod tempus pensionem non soluit,quia hi omnes non habent bonam fidem; cum sint rei alienæ conscij.

1. Dub. quot modis præscriptio interrumpitur.

So.e. art. Med. q.6 R.uarijs Primo per malam fidem superuenientem ante præscriptionem finitam, ut habetur in c.fi.de præscript.Secundo per litis contestationem.i.per petitionem actoris in iudicio, & per responsum illius,contra quem agitur, & alijs modis apud Sylueſtrum.

2. Dub. estne idem præscriptionum tempus.

So.ar. 4. citato. R.uaria sunt tempora,est.n.longum,ut annorũ, inter præsentes 10.& 20.inter absentes,atque hoc contra laicos,& priuatas personas,&c.longissimum 40.ann.contra ecclesiam,& contra Romanam ecclesiam 100.ann. in his autem iuris peritis sunt consulendi.

Art.

Art. 2. An finita præscriptione legitima, si dominus rei inueniatur, præscribens iure præscriptionis possit illam in foro conscientiæ retinere. So. e. loco

Gl. in c. vigilanti, de præscr. tres citat opi. quarum prima affirmat teneri ad restitutionem, quocunque tempore conscientia rei alienæ superuenerit.

Secunda opi. asserit possidentem teneri ad restitutionem, si titulo gratioso donationis possideat; non autem si titulo oneroso. s. emptionis.

Tertia tenet absolute; finita præscriptione cum bona fide esse tutum in cõscientia, & ad restitutionem minime teneri: quam sequitur So. Adr. optime distinguit. Nam, aut ille contra quem præscribitur, fuit negligens in recuperando sua bona; quia potuit, & illa recuperare destitit, aut fuit negligens, quia ignorabat rem suam esse apud aliũ, aut nesciebat apud quem esset, uel aliqua iusta de causa sciens rem apud alium esse, recuperare, aut repetere non potuit.

CONCLVSIO.

Quando creditor fuit negligens in repetendis suis bonis, & præscribens bona fide, & titulo habuit possessionem; tunc finito præscriptionis tempore, ad restitutionem non tenetur, hæc est Sco. & Adr. & Syl. ubi sup. qui dicit, esse omniũ Theologorum. Definita est expresse in c. sanctorum, de præscrip. & in c. placuit, 16. q. 3.

Hinc, emens rem furtiuam bona fide, si per 30. ann. illam possideat ad restitutionem non tenetur. Ita definitur in l. si aliena, de usucap. perinde qui emit a minori, quem maiorem esse arbitrabatur, ut colligitur ex tex. & gl. in c. i. de reb. eccle. non alie. Idem dicendum est de illo, cui est res furtiua legata, si per 30. ann. bona fide illam possideat. Ita habetur §. furtiuę, inst. de usucap. Idem quoque iudicandum de hærede sing. in rebus furtiuis defuncto succedente.

Hinc, qui per tempus immemoriale decimas nõ soluit, ad restitutionem non tenetur. Quia potest illas præscribere; est tamen diligenter notandum Theologis, ut semper in his cõsulant iurisperitos, qui si dixerint in casu: de quo interrogantur, habere locum præscriptionem; tunc præscribens ad restitutionem non tenebitur. Sin minus, erit restitutioni obnoxius.

CONCLVSIO.

Quando ille, contra quem præscribitur, toto præscriptionis tempore fuit impeditus, uel ignorantia, uel alio iusto impedi-

pedimento, quominus rem suam apud alium retentam peteret, etiam finita præscriptione, si fuerit rei alienæ conscius, ad restitutionem suo domino faciendam tenebitur. Patet: quia ratio, ob quam lex transfert dominium in præscribentẽ, est, ad puniendam negligentiam domini, qui rem suam per longum tempus negligit: ut expresse in cap. uigilanti, habetur, & cum in præsentia ratio legis cesset, cessare debet lex, præsertim pœnalis, hæc concl. est Adr. ubi sup. & Med. & Sylue. cõtra So. hac dist.

1. *Dis. possessor malæfidei, finita præscriptione, eritne in conscientia tutus.*

Gl. in c. fi. de præscrip. & Adri. in hac materia uarias citant opin. quarum Prima dicit, omnes leges ciuiles concedentes præscr. 30. aut 40. ann. cum mala fide, non esse per c. fi. de præscrip. reuocatas. Secũda opin. est Pan. in c. fi. citato, asserentis, leges omnes, concedentes malæfidei præscriptionem, esse omnino per ius canonicum abrogatas. Tertia opi. est Medi. quæ dicit, quo ad res, quæ sunt apud præscribentem, requiri bonã fidem in præscribente, & quantum ad hoc esse prædictas leges ciuiles reuocatas, non autem quantum ad ius petendi, uel exigendi aliquod debitum, aut seruitutem, ut si statuto cauea tur, ut debitum amittatur, si per trẽnium non petatur. Quarta opi. est Adr. distinguentis de mala fide, quam *potest quis* habere cum peccato, & sine peccato.

CONCLVSIO.

Ius canonicum reuocans præscriptiones malæfidei, leges ciuiles negantes in iudicio actionem domino rei præscriptæ non reuocat. Nam, cum leges illæ sint iustissime; quia puniũt negligentiam domini, propterquam rerum dominia confundũtur, quod quidem in detrimentum Reip. redundat, non erunt profecto per ius canonicum reuocatæ.

CONCLVSIO.

Ius canonicum malæfidei præscriptionem reuocans, leges ciuiles transferentes dominium in malæfidei possessorẽ abrogat. Nam quantum ad hoc leges illæ sunt iniustæ, & cõtra ius diuinum, & naturale. Iniquum. n. est, ut conscius rei alienæ (iure canonico hoc expresse prohibente, ut ex c. fi. citato cõstat) præscribat.

Hinc, debitor uectigalium tenetur in conscientia restituere, quando quæstor uectigalium per triennium ab illo uectigalia petere neglexerit, licet finito triennio in iudicio ratione præscrip. conuinci non possit: quia est possessor malæfidei.

Perinde

Perinde iudicandum est de dominoꝛa quo per negligentiam famulus stipendium non petijt.

2. diff. poteritne aliquis præscribere rem alienam habens, dubiam conscientiam. *So.ar. 4. ubi sup.*

Dubius dicitur, qui est incertus, & habet argum. in utrãq; partem, quorum ratione neutri parti assensum præstat. glo. in c. fi. de præscrip. & Pan. cum gl. & Med. partem affirmantẽ tenent. Adr. in hoc tract. partem negantem defendit. *Dub. quis sis.*

CONCLVSIO.

Stante conscientia dubia sitne meum, aut tuum, quod possideo, ad restitutionem non teneor. Nam, ut in pari causa turpitudinis melior est possidentis conditio ita in præsentia.

CONCLVSIO.

Tenetur tamen, qui ita dubius est, omni modo possibili inuestigare ueritatem. Alioqui. n. habebit iam ignorãtiam, quæ est culpabilis: quare, uel tenetur diuidere bona cum suo riuali, uel si fuerit incertus pauperibus dare.

CONCLVSIO.

Quui ita dubius est, possideatne alienum, &c. durante conscientia dubia, præscribere non potest. Nam qui talem conscientiam habet, tenetur habere animum paratum ad restituẽdum alienum, etiamsi post mille ann. fuerit ueritas comperta: & qui præscribit, finito præscriptionis tempore ad restitutionem non tenetur.

Dub. An quando defunctus habuit malam fidem. s. se rem furtiuam detinere, hæres illius præscribere possit.

Sot. ubi sup. partem affirmantem tenet, nihilominus cum gl. in §. furtiuæ. inst. de usucap. multos ibi tex. adducente, dicẽdum est; tale hæredem, siue uniuersalem, siue particulariẽ, nullo tempore præscribere posse, quantumcunque bonã habeat fidem: cæterum si hæres bonæfidei rem furtiuam alteri uendat, emptor spatio 30. aut 40. ann. præscribere potest.

Propositio prima.

Hæres autem bonæfidei defuncto bonam fidem, sine titulum habenti, succedens præscribere potest. Quia ipse habet titulum hæreditatis, v. g. Defunctus bona fide possidebat rem alienam domi inuentam: hic non habet titulum, sed bonam fidem, quæ quidem res præscribitur ab hærede, cum titulũ, & bonam fidem habeat. Hæc de præscrip.

QVAE-

Al. Alē. 3.p.q.86 m.3.Th. 2.2.qō. 32. Ric. ar.5.q.8 Mo.q. 21 So.li.4. q.5. Pa- ier Alco cer in sua sum.delos juegos.

QVAESTIO DE LVDI RESTITVTIONE.

Art. unicus. An qui lucratur pecuniam contra legis prohibitionem, an te iudicis sententiam ad restitutionem teneatur.

Tres sunt opi.prima Pal.affirmantis teneri in conscientia, uel pauperibus,uel amittenti illam,restituere,quocunq; ludo illam acquisierit:nisi sit ludus reip.utilis;ut est hastiludium. Secunda est S.Th.asserentis ad restitutionem obligari, quando ludus lege prohibetur.Tertia est Ale.& Sylu.qui docēt ad nullam restitutionem teneri lucrantem ludo prohibito,dem ptis casibus infra exponendis.

CONCLVSIO.

Lucrans pecuniam in ludo,neque iure naturali,neque diuino ad restitutionem tenetur:neutro.n.iure tenetur aliquis ad restitutionem, nisi propter iniustam acceptionem alieni, aut detentionem,quæ fit inuito domino, & cum lucrans pecuniam in ludo non retineat illam inuito domino, ad nullā restitutionem tenebitur.

CONCLVSIO.

Neque iure canonico,aut ciuili aliquis ad restitutionem talis lucri obligatur.Quia leges prohibētes ludum, dominij trā slationem non prohibent:quemadmodum leges uenditionē a minori factam impediunt.nam quando lex prohibet domi nij translationem,non imponit pœnam; quemadmodum l. can.imponit ludentib.ut constat ex can.episcopus,35.d.& in c.clerici,de ui.& ho.cler.

CONCLVSIO.

Amittens pecuniam in ludo,illam in iudicio repetere pōt, & lucrans damnatus a iudice, soluere tenebitur, constat per auth.alearum usus.C.de rescr. leges.n.prohibētes ludū,amittentibus actionem in iudicio tribuunt.

1.Dub.in quibus casibus aliquis ad restitutionem pecuniæ ludo acquisitæ tenetur.

R.in multis casib.qui seq.prop.continentur.

Propositio prima.

Tenetur quando ludens non est dominus pecuniæ amissæ.

Hinc,qui lucratur a filiofamilias,qui est in ptāte patris,tenetur restituere,quia nō est dominus pecuniæ amissæ,nisi sit parua quantitas pecuniæ deperditæ, uel habeat patrem diuitem,uel ex uoluntate patris luserit.Nam licet, non consense rit,consentire tamen tenetur,uel nisi sint bona castrēsia, uel quasi castrensia:nam eorum dominium habet.

Appen. Hinc, qui lucratur pecuniam a seruo,siue a religioso, est quo-

quoque restitutioni obnoxius, quia nullus istorum dominiũ bonorum habet.

Propositio secunda.

Si ludens hẽt dominium bonorum, est tamen eorũ administratio sibi interdicta, non potest in ludo pecuniam amittere, & qui lucratur, ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia, ut non ualet donatio, siue alienatio ab illo, per quẽcunq; aliũ contractum facta, ita neque ualebit alienatio facta per ludũ.

Hinc, qui a minore existente sub tutore, aut curatore lucratur, ad restitutionem tenebitur. Appen.

Perinde qui lucratur a coniugata, quia non habet administrationem bonorum, sibi, & marito communium, neque ẽt dotis. Ratio est, quia lex prohibet alienationem per istas personas factam, nisi mediante authoritate superioris curatoris, aut tutoris, aut mariti, fiat alienatio. Appen.

Intelligendum hoc est, nisi paruitas materiæ excuset, aut mulier, ultra dotem habeat aliquorum bonorum administrationem: illa. n. in ludo amittere poterit.

Hinc, religiosi studentes, ut non possunt alienare bona ratione alimenti data, ita neque inter ludendum amittere. Appen.

Propositio tertiæ.

Quãdo persona, cui prohibetur alienatio, ut filiusfamilias, aut minor pecuniam a colluſore hoc ignorãte lucratur, tenetur ad restitutionem, non autem si colluſor uolens, ac lubens ad ludendum cum prohibito accesserit. Et ratio est, quia uolẽti, & consentienti non fit iniuria, tum etiam, quia filiusfamilias non prohibetur dominium acquirere. hæc prop. est Gab. Sylu. Oppositum tenet pater a castro.

Propositio quarta.

Quando religiosus habet facultatem donandi certã pecuniæ, aut rerum quantitatem, illam per ludum in aliũ transfere poterit. Hæc est patris Alcocer: demptis tamẽ religiosis ordinis minorum, quorum prælati non possunt facultatẽ alienandi concedere, etiam si inquit, intentio prælati tacita fuerit, ut per ludum talis pecuniæ quantitas non alienaretur. Opposita opi. est ẽt probabilis, quia religiosus non hẽt facultatem in alium dominium transferendi, siue usum rei contra uoluntatem tacitam, siue expressam prælati, & nunquã talis fuit prælati uoluntas; ut ludo illa pecunia alienaretur.

Propositio quinta.

Quando alter ludentium in ludo fraudem commisit: quicquid fraudulenter lucratus est, restituere tenetur. Nam colluſor

usor intentionem transferendi dominiũ intercueniente fraude, nunquam habuit, & si fraudem nouisset, ad ludum non accessisset. Committitur autem fraus, quoties leges inter ludentes constitutæ, non seruantur.

2. Dub. Quid si alter ludentium sit peritissimus.

Propositio prima.

DD. ubi sup. Si ambo sunt ignoti, quod peritissimus tunc lucratur, quãdiu imperitiam aduersarii ignorat, restituere non tenetur.

Propositio secunda.

Intellecta autem aduersarii imperitia, & se longe peritiorem intelligens, tenetur, aut a ludo recedere, uel tantam palmam aduersario concedere, quanta, ut par sit utriusque cõditio desideratur. Alioqui. n. fraudulenter lucraretur. Nã æquipollent fraudem committere, & aduersarium scientia multo inferiorem, pecunia expoliare.

3. Dub. quid si ambo antea se nouerant.

Propositio prima.

Si imperitus perito dixerit, age, quicquid lucratus fueris, tibi condono, non tenebitur peritior ad restitutionem. uolenti. n. & consentienti, non fit iniustitia.

Propositio secunda.

Peritior restituere tenebitur, etiamsi imperitus uolens, & sciens ad ludum accedat, si non dixerit, tibi quicquid lucratus fueris, condonare, uolo, quia cupiditas lucri excęcat illum, ne excessum peritiæ aduersarii animaduertat: tumetiã quia non uult transferri dominium, nisi seruatis ludi legibus, præsertim ludentium æqualitate: hæc est opin. doctissimi Patris Francisci Alcocer. Opinio opposita est Medinæ, & ratio illius est, quia imperitus uolens, & sciens aduersarij peritiam, & ad ludum accedens iuri suo renunciare uidetur, & cum uolenti, & consentienti non fiat iniustitia, peritus non erit restitutioni obnoxius.

4. Dub. Qui inducit aliquem ad ludendum timore mortis, uel amissione

Syl. uer. ludus. q. 11. So. ubi sup. ar. 2. *alicuius boni temporalis, siue rubore aliquo, si lucretur, tenebitur collusori restituere.*

CONCLVSIO.

Qui dicit alteri, ego te interficiã si mecum non luseris, uel non soluam pecuniam, quam lucratus es, vel coram alijs dixerit, si non luseris mecum, miserrimus iudicaberis, ad restitutionem tenetur: quia deest libertas in inducto, quæ est potissima radix iustitiæ translationis. Hæc est S. Th. & Caie. ubi sup. D. Th. & Syl. & patris a Cast. de lege pœnali.

5. Dub.

5. Dub. quid si ita inductus aliquid fuerit lucratus.

R. Patet Alcocer defendit teneri ad restitutionem inducẽ ti. Et ratio est, quia, ut non potuit amittere, ita neque lucrari. Contraria opi. est peritissimi S. Theologiæ apud D. Frãciscum Salmanticæ prælectoris P. Gaspari Vzeda: propterea q̃d, inquit, inducens liber ad ludendum accessit: ac proinde transl atio per illum facta, in ludo ualebit.

6. Dub. qui luait pecuniã creditã tenebiturne ad pecuniæ in ludo amissæ restitutionem. *Soto, ubi sup.*

Duę sunt opin. prima est patris a Cast & So. affirmantium, amittentes pecuniam creditam, non teneri in conscientia ad illius solutionem. Quia lege cautum est in Castel. ne quis pecunia credita ludat: extra Castellam uero, ubi ius tantum cõmune seruatur ad restitutionem teneri. Hos sequitur P. Alcocer c. 30. & 31. in tract. De los iuegos, Opi. tamen Adr. probabilior uidetur.

CONCLVSIO.

Nulla etiam lege prohibente ludum pecunia credita, amittens pecuniam est ad illius solutionem obligatus. Et ratio est quia cum ludens pecunia credita, posset illam repetere corã iudice post solutionem factam: poterit quoque illam ratione mutuæ compensationis retinere: quamuis ratione promissi illam soluere teneatur.

Propositio prima.

Quando in regno Castellæ sunt bella, milites tabulis, aut alea ludentes ad restitutionem tenentur. Constat ex l. i. tit. 2. lib. 8. ord. reg. Verum lex hæc solum obligat milites, & in regno Castellæ existentes: quia leges curiæ Castellæ alia regna inuictissimo Regi nostro Philippo subiecta minime obligãt.

Propositio secunda.

In omnibus casibus, in quibus aliquis ad pecuniæ ludo acquisitæ restitutionem tenetur, obligantur etiam, qui talis ludi, & fraudis causa fuerunt.

Hinc, habens domum ad ludendum paratam, & alios ad ludendum inuitans, si fraudis faciendæ, aut iam factæ conscius fuerit, quicquid fraude acquisitũ fuerit, restituere tenebitur, si tamen fraudis faciendæ, aut iam factæ conscius fuerit. *Appen.*

Perinde etiam tenetur habens domum paratam ad ludendum, si est cã, ut filiusfamilias, aut alius, qui alienare non põt, pecuniam amittat. Et ratio concl. est, quia non solum malefactor, uerum etiam oẽs, qui sunt damni causa, ad damnũ resarciendũ tenentur, ut usurarius, & eius ministri, de quib. sup.

7. Dub.

7. Dub. quid si aliqui contendant inter se, sitne aliquod factum, uel faciendum, aut quod hoc, aut illud eueniat, sub certa pecuniæ quantitate.

Hoc genus ludi uulgo [apuestas] nominatur.

CONCLVSIO.

Quod hoc genere ludi quis lucratur, restituere nõ tenetur, etiamsi contentio de re illicita sit, v.g. si unus, dicat alteri, ne dicas patri uerbum contumelioſum, alioquin, uel tu mihi, uel ego tibi 100. duc. dabo. Et ratio est, quia quamuis res sit prohibita, pecuniæ tamen translatio uoluntaria est, & nullo iure impedita, siue prohibita. Opin. oppoſita est probabilis admodum, quo illam Pater Alcocer defendit, ubi subiungit prop. seq. notatu dignissimam.

Propoſitio.

Si contentio super rem, alioquin licitam, sub pœna excommunicationis prohibeatur, quod tali contentione acquiritur & retinetur, iure quidem acquiri, & retineri dicitur.

8. Dub. Quando lucrum ex ludo est restituendum, cui est facienda restitutio.

R. sup. in q. cui sit facienda rest. huic dubio satisfecimus.

9. Dub. poteritne quis propria authoritate accipere rem colluſoris titulo recompenſationis, & a petitione pecuniæ in iudicio abstrahere.

Adr. hoc licere opinatur. So. li. 4. de iust. & iu. q. 5. ubi citat Adr. est dubius circa hanc rem.

Propoſitio.

Si aliquis titulo recompensationis occupasset bona lucrantis, uel debitum retinuisset, non esset ei restitutio præcipiẽda. Quia potest eius factum iux. probabilem Adri. opin. defendi. Hæc de ludo.

QVAESTIO DE CAMBIIS.

Art 1. quid, & quotuplex est cambium.

Med C. de rest. de se quen. diſſ. diſſerit.

Cambire est unam rem cum alia, siue eiusdem, siue alterius speciei permutare: mercatorum tamen usus fuit, ut nomine cãbij, pmutatio pecuniæ unius generis permutatione pecuniæ alterius, siue eiusdem generis, sed alterius loci intelligatur.

CONCLVSIO.

Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia statim reddenda, uel si reddatur post tempus in alium locum, nõ est habenda ratio solutionis propter temporis spacium, sed propter loci distantiam, ut si Valentiæ cambiatur pecunia, Romæ soluenda. Hæc est cambij descriptio, qua per particulam statim red-

reddenda, distinguitur a mutuo, in quo datur pecunia post aliquod temporis spacium reddenda: in cambio uero statim, nisi loci distantia impediat, tunc que nulla, ut infra dicetur, pōt haberi temporis ratio: conueniunt autem mutuum, & cābiū, quod uterque contrahentium pecuniæ permutatæ in alium transfert dominium.

Variæ sunt cambii diuisiones, diuiditur. n. in realē, & siccū, rursus in purum, & mixtum, tertio in iustum, & iniustū, & dubium. A Caie. 4. a Nauar. proponuntur 7. cambiorum genera, ad quæ oēs cambiorum contractus siue iusti, siue iniusti reducuntur. quorum primum est per officium, secundū minutū, 3. per litteras, 4. per translationem realem, 5. rōne lucri cessantis, 6. depositarium, & 7. rōne permutationis, aut uenditionis pecuniarum. Vltima diuisio, qua omnia hæc cambiorū genera comprehenduntur, est, qua cambium diuiditur in cambiū per officium, & per literas: rursus cambium per literas secatur in cambium ratione translationis pecuniæ ex uno loco in alium, uel ratione permutationis, & translationis simul.

Art. 2. An cambium per officium sit licitum.

V. g. liceatne habere mensam paratam, ut omnibus indigētibus pecunia mutuari possit, hac lege, & conditione, ut tēpore solutionis aliquid ultra sortem mutuanti reddatur.

Duæ sunt opi prima Dur. quem sequitur Med. qui affirmat licere: huius sententiæ dicitur fuisse Sco. d. 15. qō. 2. quod nec somniauit. Nam Sco. loquitur de negotiatione licita, quæ fit emendo, & uendendo in reip. non autem de cambijs, quæ ipse de usuris uerba faciens, damnauit.

Nauar. arbitratur hoc licere authoritate Reip. tm̄. Opposita opi. est Cai. asserentis cābiū per officiū nullatenus esse licitū.

CONCLVSIO.

Cambium per officium, ut in tit. art. proponitur, nullo mō est licitum. est. n usurarium, ut constat ex definitione usuræ, quæ est, recipere aliquid ultra sortē ratione mutui, quod quidem ita est intrinsece malum, ut nulla ratione sit licitum.

Art. 3. An cambium per minutum sit licitum, in quo ratione permutatę pecuniæ aliquid ultra sortem exigitur.

V. g. si detur a cāpsore moneta argentea pro aurea hac lege, ut sibi pro sing. aureis tria, aut 4. dipondia reddantur. *Med. ubi sup.*

CONCLVSIO.

Tale cambium per minutum est licitum. Ratio est, quia permutatio pecuniæ est licita, & tale cambium est permutatio pecuniæ unius generis pro pecunia alterius generis.

CONCLVSIO.

Integrum est campsoribus ratione permutare pecuniæ aliquid ultra ualorem pecunię, quam reddunt, exigere. sunt. n. ministri publici, reip hac in re seruientes, nam ut aliis mercatoribus fas est ratione laboris, & expensarum merces carius uendere, quam emerunt, ita etiam integrum erit campsorib. ratione laboris, & expensarum, quas consumunt in congregādis, & conseruandis pecunijs, aliquid ultra ualorem pecuniarum quas reddunt, exigere: hoc idem quod licet campsori publico, est etiam licitum cuicunque permutanti pecuniam. Ratio est, quia in hoc casu non est mutuum, sed permutatio, atque ita ratione laboris, uel alterius incommodi aliquid exigere licebit. Ita enim decretum est in quadam pragmatica regia. Oppositum tenet Caiet. cauere tamen debent campsores, ne ratione permutationis, plus quam a lege statutum est, exigant.

Sot. lib. 6. q. 89. & 10. Med. ubi supra Cæ. i hoc tract.

Art. 4. De cambio per literas.

Hoc cambium sub hac forma celebratur, *accipe 100. nummos aureos Valentiæ, & da illos mihi Romæ.*

CONCLVSIO.

Tale cambium per literas est licitum, si minus in uno loco, quam fuit acceptum in alio, reddatur. Ratio est, quia campsor hic tantum exigere potest, quantum si translator pecunię conduceretur, ratione laboris, & expensarum peteret, suū .n. laborem, & expensas in hoc ministerio Reip. utilitates cāpsores consumunt.

CONCLVSIO.

Hęc cambia non solum extra Hispaniam, uerumetiam intra eandem sunt licita, ut si dentur literę Metinę ad Toletū, uel ad alium quantumcunque finitimum locum. eadem est .n. ratio cambiendi ad proximum, & ad distantem locum, & ut ad distantem licet, ita ad proximum, non tamen tanta pecunia est exigenda ad proximum locum, quanta ad distantē, quia non tantum periculi est, timendum, neque tot expensę fierent, si famulo pecuniæ darentur, ut ad proximum locum, sicut ad distantem transferret.

CONCLVSIO.

Cambia', quæ per literas ad loca distantia finguntur, sunt omnino illicita, & usuram palliatam continent. v. g. si quis diceret mercatori, da mihi Metinæ 100. & reddam tibi Vlysbonæ totidem. ubi accipiens fingit se habere cambium, quod nō habet. ubi etiam finguli argentei duobus dipondijs nostros superant.

perant. Est.n. contractus usurarius: quia dans pecuniam Metinæ tempore solutionis, accipit ultra sortem ratione mutui, quod hac cambij forma palliauit.

1. Diff. An in cambio per literas aliquid ratione expectatæ solutionis ex parte dantis pecuniæ campsori in alium locum transferendas, & ratione breuioris solutionis ex parte campsoris, exigi possit.

V.g. sit precium iustum transferendi 1000. a Metina ad Flãdriam 100. dicatq. dominus pecuniæ cãpsori, si remittis mihi 30. ex 100. quæ eram tibi in Flandria soluturus, expectabo te per 2. menses, ſy no sea a dia uista. i. que se page el dia siguẽte despues de uista la cedula, Quel sit casus ex parte campsoris, ut dicat campsor recipienti literas, Hispali sunt tibi soluẽdæ pecuniæ, & redditurus 100. per 1000. si aũt post mensem redi turus es 80. licebitne tunc rõne breuioris sol. plus exigere.

CONCLVSIO.

Ratione breuioris solu. in cambio per literas, plus exigere, quam esset propter tardiorem solutionem reddendum campsori haud licet. Quia talis exactio est usuraria omnino, & mutuo æquipollet. idem. n. est, ac si diceret debeo tibi 1000. duc. si tibi statim uis soluam, remissurus es 100. si post mensem 80. quod quidem est apertissima usura ratione expectatæ, uel anticipatæ solutionis.

CONCLVSIO.

Danti nummos Metinæ, ut sibi Vlysbonæ, aut in Flandria reddantur, ratione dilatatæ solut. non licet campsorem iusto precio defraudare. Est. n. manifesta usura, idem. n. est recipere aliquid pro expectatæ pecuniæ solutione, ac si diceretur; remitte mihi 10. quæ tibi debeo, & accipe pro mense mutuum. Nullo namq. modo in cambiis est habenda ratio ad tempus solutionis, ut plus, uel minus aliquod exigatur. Quia esset iam cambium usurarium, quod est diligenter confessoribus animaduertendum.

CONCLVSIO.

Cambium intra eundem locũ, in quo rõne dilatatæ solut. aliquid ultra sortem exigitur, omnino illicitum, & usurarium est. Cõstat concl. ex definitione usuræ supraposita. Vnde sequitur, omnes huiusmodi campsores in statu damnationis esse.

2. Diff. An in cambio per literas, quando pecunia a campsore datur, liceat plus ratione loci exigere.

Exẽpli gratia. interest maxime cãpsori trãsferre pecuniam Vlysbonã; atq. ẽt mercatori accipienti illam Metinæ a cãpso

re idem conuenit: est mõ difficultas posita, An in cãbio, &c.

Opi. So. est, sine discrimine approbare huiusmodi contractum. Nauar. 5. modis, hoc considerari posse docet, & ultimo, atque 5. modo asserit; ratione permutationis hoc fieri posse. Et ratio illius est; quia permutatur pecunia præsens pro absente, & cum omne præsens sit absente præciosius: ideo ultra pecuniam datam aliquid amplius ratione pecuniæ absentis exigere, & accipere poterit.

CONCLVSIO.

Hæc ratio, pace sapientissimi, & christianissimi uiri dixerim, nullam uim habere uidetur. Nam hinc liceret omnibus usurariis, hoc colore usuras uestire. dicerent n. nõ mutuo, sed permuto tibi pecuniam præsentem pro absente, post 2. mẽses mihi reddendam. Est autem limitanda conclu. dummodo sit utrobiq. idem pecuniæ ualor. Nam si in uno loco pecunia sit preciosior, quam in alio, liceret quidem, ut infra dicetur.

3. *Diff. Liceatne campsori aliquid ultra sortem exigere, quia numerat statim pecuniam, cuius solutionem differre poterat.*

Exempli cã, est solemnis nundinarum consuetudo, ut emptores, uenditoribus numerata pecunia nõ soluant, sed campsorem, ut ministrum, & fideiussorem tribuant, dicentes sub hac forma, solues nomine meo Ioanni in nundinis futuris 100. iam campsor non tenetur, ut constat, statim soluere, quod si creditor uelit, ut statim sibi fiat solutio, tenetur reddere campsori pro sing. miliaribus, quinque dipondia. Hæc est cõmunis consuetudo, de qua modo quæritur, an sit licita. So. affirmat hoc licere, quia campsor est fideiussor, & minister. Nauar. contrariam opin. tuetur.

CONCLVSIO.

Nullo modo talis consuetudo est licita. Et ratio est, quia nõ licet aliquid ratione anticipatæ solutionis exigere. Est. n. manifestissima usura, ut ex supradictis cõstat. Et in casu huius difficultatis campsores ratione anticipatæ solutionis, quinq. dipondia pro singulis miliaribus exigunt.

Art. 5. An liceat permutare pecuniam unius regni, ubi est penuria illius, pro pecunia alterius regni ubi est maxima abundantia, non seruata æquali pecuniarum quantitate.

Syl. uer. usura c. 4 Se. lib. 6. q. 12. ar. 1

V. g. in Flandria est rarior pecunia, quam apud nos; licebit Hispano existẽte in Flandria dicere Flandrensi: accipe hic x. & redde mihi in Hispania 14. quia in Flãdria est rarior pecunia.

CONCLVSIO.

Contractus cambii, in quo propter raritatem pecuniarum campsor

campsor plura recipit, ubi pecunia abundat, & pauciora reddit, ubi est pecuniarum penuria, licitus est. Nã est contractus permutationis, in quo seruatur æqualitas, & quemadmodum si Valentiæ mensura tritici, 18. dragmas argenteas ualeret, & Toleti 6. licitum tunc esset accipere Toleti 3. mensuras tritici, ut Valentiæ una tantum redderetur: quia tanti ualoris est una mensura Valentiæ quanti tres Toleti. Ita 90. in Flandria ualent 100. in Hispania. Licitum erit campsori accipienti in Hispania 100. non reddere in Flandria, plusquam 90.

1. *Dub. Licebitne mercatori existenti in Flandria dicere; accipe hic 90. & in Hispania 100. redde.*

CONCLVSIO.

Licet quidẽ pauciora danti, ubi est rarior pecunia, ut plura sibi, ubi est abundantia, reddantur. Ratio est, quia in permutatione, ut dictum est, seruatur æqualitas.

2. *Dub. Licebitne etiam campsori accipienti Metinæ, non solum propter rationem dictam reddere aliquid minus in Flandria, pro labore, & expensis in transmittenda pecunia.*

V.g. si ita fiant contractus: ego accipio a te nunc 100. Metinæ, hac lege, ut reddam 90. in Flandria, quæ ualent 100. in Hispania, & præter hæc, rõne trãslationis redde mihi quinque.

So. ubi sup. tenet non licere.

CONCLVSIO.

Talis forma contractus est licita. Nam si utrunq. cambium per se separatum, est licitum: cur ambo simul licita non erũt? Hæc omnia sunt uera, dummodo aliquid minus rõne tẽporis non reddatur. Nam esset, non permutatio, sed mutuũ, in quo aliquid ultra sortem ratione dilationis tẽporis, exigeretur, quia de ratione mutui est fluxus temporis, non autem de rõne permutationis. Nam redditio rerum, quæ permutantur, simul fieri debet, nisi loci diuersitas obstet. Tum etiam debet esse in Flandria rarior, aut saltem preciosior pecunia, & in his fides adhibenda est mercatoribus, quando sua peccata confitẽtur, qui si mentiantur, seipsos tantum fallunt, & Deum ultorem habebunt.

CONCLVSIO.

Quando utrobique est æqualis abundantia pecuniarũ, talis contractus est dubius ratione permutationis, & licitus rõne translationis, quia cum utrobiq. sit eadem abundantia pecuniarum, plures merces Romæ per ducatum Romanũ comparari possunt, quam in Hispania per Hispanũ: quare in permutatione non seruaretur æqualitas, bene tamen ratione

translationis;ut ex supradictis constat. So.utroque modo cõtractum licitum esse arbitratur.

3.*Dub.Estne licitum sub forma sequenti cambire.*

V.g.accipe 100.duc.auri Castellani hac lege,ut mihi Vlyssbonæ totidem ducatos auri cruciatorum reddas.

CONCLVSIO.

Cambium est iniustum,quia non seruatur æqualitas, cum aurum cruciatorum sit longe purius,perfectiusque ac preciosius auro ducatorum.

4.*Dub.An forma cambiendi sequens sit licita.*

V.g.accipe 100.duc.aureos, quorum sing.ualent 11.nummos argenteos;ut totidem ducatos reddas,quando preciũ ducatorum fuerit auctum.Et nota,in quibusdam regnis plerũq; ualorem ducatorum mutari, ut apud nos ualor frumenti passim mutatur.R. si certius est pecuniam rariorem esse futurã, cõtractus est usurarius:atque ẽt si fiat absolute, ut proponitur. Si autem sub hac formã fiat.s.accipe mutuo 100. duc. hac lege,ut totidem,& non plures,aut pauciores post 4. menses reddas,siue sit auctus,siue diminutus ducatorum ualor. Et rõ a simili est,nam,ut licet mutuare frumentum sub hac forma, accipe 100.mensuras frumenti tempore Aug.& Natalis Domini tẽpore,quocunq. precio frumentũ æstimetur,reddas, ita a simili.Hæc est Sylu.opi.contrariã opi.tenet Soto ubi sup.

CONCLVSIO.

Rõne permutationis,& mutui licitus est contractus,quãdo Vlysbonæ.v.g.aut alio in loco,ubi est caritas pecuniæ mutuat aliquis 90.Metinę,ubi est uilior pecunia,ratione abundantiæ reddenda,& exigit ultra sortem donec æqualitas seruetur;ita, ut si Metinæ ualeant 100.quantum Vlysbonæ 90.poterit mutuans Vlysbonæ soluenda Metinæ ultra sortem 10.exigere. Et ratio est,quia etiamsi nõ liceat ratione temporis ultra sortem aliquid petere; licebit tamen ratione lucri cessantis, aut damni emergentis,ut indemnitas mutuantis,& æqualitas rei seruetur.Oppositum tenet So. qui solum concedit titulo permutationis fieri posse.

Est autem limitanda concl.dummodo,qui mutuat,illas nõ sit delaturus in Hispaniam.Quia tunc si mutuaretur,ut in Hispaniam redderetur,fieret in fraudem usurarum.

1.*Diff. Estne determinatum precium istorum cambiorum, an uariari poterit.*

Caiet. & Nauarro de camb.

V.g.si dicat Hispanus Flandrensi mercatori.Hactenus,pro 400.hic tibi datis reddebas mihi in Flandria 350.nunc autẽ,

quia

quia tanta raritas pecuniæ est Metinæ, quanta in Flādria red
diturus es totidem 400.

CONCLVSIO.

Cambia propter ueram pecunię raritatem licite augentur.
Rō est; a simili quia, ut cæterarum rerum precium propter ra-
ritatem mercium augetur, ita, & cambiorum precium titulo
permutationis, quæ naturam uenditionis induit, augetur.

CONCLVSIO.

Licite quoque cambiorum precium propter abundantiā
mercatorum, qui a campsoribus pecuniam alio in loco extra
regnum reddendam recipere cupiunt, augetur. Et rō est; quia
precium rerum, non solum propter mercium raritatem auge-
tur; uerumetiam propter mercatorum abundantiam.

CONCLVSIO.

Quando cambiorum precium propter monopolium camp-
sorum augetur, campsores quicquid extra iustum preciū alia
rum nundinarum accipiunt, restituere tenētur. Quia inter se
cāpsores conuenerūt, ne ullus miliare nisi pro x. aut xx. daret,
uel quia ad se omnē pecuniam reduxerunt. Sed de his alibi.

2. Dif. *Estne licita sequens cambiendi forma.*

V. g. sume nunc 100. duc. Metinę in Flandria, precio quo
proximis nūdinis Metinę erunt cambia, soluendos. Cai. de cā
biis absolute respondet, additq; licitū esse taxare preciū, quan
do nescitur; an plus, uel minus, sit ualitura pecunia.

CONCLVSIO.

Si campsor erat usq. ad proximas nundinas seruaturus pe-
cuniam, & precib. compulsus illas mutuat, cambii preciū usq;
ad proximas nundinas remittere poterit. Patet a simili, in ca.
nauiganti, & in c. in ciuitate, de usur. ubi cōceditur seruaturis
merces posse illas carius uendere pecunia credita, quā nume-
rata, usque ad tempus solutionis precium remittendo. Licitū
.n. est unicuique seipsum indemnem seruare.

CONCLVSIO.

Si campsor non est seruaturus suam pecuniam usq. ad futu
ras nundinas, sed statim distracturus, & sperantur cambia ca-
riora in proximis nundinis futura, talis contractus est illici-
tus. Quia æquialet mutuo, in quo aliquid ultra sortē recipit.

CONCLVSIO.

Quando certo speratur minus ualitura, sunt etiam iniusta.
Est. n. manifesta iniustitia ex parte recipientis mutuum.

CONCLVSIO.

Si autem est incertum sintne cambia plus, aut minus uali-

tura, est licitus contractus. Et probatur a simili quemadmodũ licet mutuare frumentum tempore Iulii, tempore Natiuit. domini soluendum, ita tamẽ, ut incertum sit, an plus, aut minus sit ualiturum. Caie. quem sequitur So. est.

3. Diff. Licetne campsoribus recambire, quando ad terminum præfixum non respondetur.

Nauar. c. 13. d. cãb. So. q. 12. ar. i. ubi sup.

Duæ sunt opin. prima Caie. & So. affirmantium nullo modo hoc licere. Contraria opin. est Parisiensium, quos sequitur Nauarro.

CONCLVSIO.

Recambium est licitum, non ratione temporis, sed lucri cessantis. Et ratio est: quia ars campsoria, in qua pecunia ꝓ pecunia a loco, ubi est rarior, ad locum, ubi abundantior est, permutatur, est licita. Quare quãdo aliquis inuitus impeditur, totum lucrum cessans, sicut si impediretur ab alia arte mercatoria, exigere poterit.

Hinc, campsores a regibus, & ab aliis nobilibus propter dilatatam solutionem cambia, & recambia exigentes non sunt in statu damnationis, quia non ratione temporis, sed lucri cessantis illud exigunt.

4. Diff. Licetne campsori permutanti pecunias vnius regionis pro pecunijs alterius ratione distantioris loci, uel prolixioris temporis carius permutare.

CONCLVSIO.

Quando campsor numerat pecuniam proximis nundinis, uel intra spatium intra proximas nundinas soluendam, & cãbium est per literas, ratione permutationis, carius permutare rationis distantioris loci, aut temporis non potest. Quia si tẽporis ratio, ut sæpe diximus, habeatur, non est permutatio, sed mutuum, & usurarium, quia ratione tẽporis aliquid ultra sortem exigitur.

CONCLVSIO.

Quando pecunia numerata non est proximis nũdinis, sed secundis soluenda, campsor plusquam si proximis nundinis solueretur nõ ratione temporis, sed lucri cessantis exigere potest, ut ex proxime dictis constat.

CONCLVSIO.

Campsor poterit carius transmutare pecuniam ad distãtiorem locum, quando pecunia non transmutatur, sed transfertur. Patet a simili, de portitore, qui carius transfert pecuniã ad distantiorem, quam ad propiorem locum. Nam in casu posito campsor portitoris nomen sortitur.

5. Diffic. Liceatne campsori pecunias suas ad diuersas nundinas eiusdem regni cambire.

V.g. mutuare pecuniam Metinæ campi in fine nundinarū Maij 10. pro 100. in fer. Octob. soluenda, sic, ut ex una feria in aliam suas pecunias maximo cum lucro deferat.

So. nullatenus concedit cambia, nisi per literas ratione trā slationis loci, uel per literas ratione permutationis. D. Nauar. multis rationibus probat hoc esse omnino licitum.

CONCLVSIO.

Prædictus contractus est usurarius. Nam est mutuū, in quo ultra sortem aliquid speratur.

6. Diffic. Estne licitum pecuniam uendere.

Sylu. opinatur, & ratione naturæ, & ratione pecuniæ uendi posse, huic adhæsit Nauarro. Oppositam sententiam tenet Med. & Soto,

Syl. uer. usu. Nauar. de cā bijs no. 16 So. in sup. ar. 4. & Med. 3. in pri. citatus.

CONCLVSIO.

Pecunia aurea carius ratione materiæ, quā, ut pecunia est, uendi potest. Ratio est, quia seruatur æqualitas, nam emens v.g. ducatum 12 argenteis, poterit illum in panes aureos resoluere, ad uasa argentea deaurāda, uel in alios usus, in quib. plus multo lucrabitur.

CONCLVSIO.

Integrum est pecuniam auream carius, quam sit precium legale uendere, quatenus pecunia est, ratione aliquarum circūstantiarum, quæ sunt precio æstimabiles. Aestimatur. u. magis aurum, uel ratione deportationis, quia facilius 100. duc. aurei quam argentei deportantur, uel quia facilius conseruātur, propterea quod ubique terrarum in maiori pretio aurum, quam argenteum habetur.

CONCLVSIO.

Non est licitū campsoribus mutuātib. pecuniam a feria in feriam, titulo uenditionis aliquid ultra sortem recipere. Rō est, quia ipsi non uendunt pecuniam auream pro argētea, uel econuerso. Tanti. n. auream, qua æream pecuniam faciunt.

7. Diffic. An montes pietatis, qui extra Hispaniam sunt in usu licite fiant.

Caie. in trac. de monte pietatis, & So. illos reijciunt. Sylue. autem uer. usura. 5. illos approbat, & authoritate Conc. Late. sub Leone X ubi pœna excommunicationis feriuntur cōtradicentes, confirmat.

Med. cō. 38. So. li. 6. q. ar. 6.

CONCLVSIO.

Tales montes, in quibus propter ministrorum sustentationem

tionem aliquid exigitur liciti sunt, si tamen cumulus montis non crescat. Ratio est quia mutuans potest ultra sortem damnum emergens petere, & mutuarius tenetur soluere expensas, quæ causa mutui in solutionem instrumentorũ, &c. fiunt. Non enim æquum est, ut alijs benefaciens detrimentum patiatur. Notanter dicitur ne cumulus crescat. Alioqui enim perinde esset acsi pecunia fœnori exponeretur, quod est certissimum usuræ argumentum. Hæc de Cambijs.

S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. & ibi. Caiet. et Can. in c. pro usuris, de donationib. inter uirum & uxorem So. lib. 6. q. 6. ar. 2 eundē cō sule ad se quētes difficultates

QVÆSTIO DE CONTRACTV Societatis.

Art. 1. An quando unus ponit pecuniam, alter industriam, & laborem, possit ponens pecuniam deducere in pactum, ut principale nullum subeat periculum.

Tres sunt modi contrahendi societatem. Primus, quando omnes ponunt industriam, & laborem, & pecuniam. Et hic nullam habet usuræ speciem, uel iniustitiam, nisi unus alium decipiat. Secundus est inter tres cõtrahentes, quorum primus ponit pecuniam, secundus solam industriam, & tertius labores, & operã. ultimus modus est inter duos tantum, ita ut unus pecuniam alter uero expensas, labores, & industriã collocet.

CONCLVSIO

Licitus est contractus, quando unus dat alteri pecuniã in societatem, si tamen licita fuerit negotiatio, quia hic nulli iniustitia.

Hinc, contrahens societatem cum usurario, aut cum campsore illicite negotiante, nõ poterit ex pecunia ad talẽ negotiationem data, reportare lucrũ. Nã esset iniustitiæ particeps.

CONCLVSIO.

Qui dat pecuniam socio hac conditione, ut lucrũ ex negotiatione diuidatur, capitale indemne seruetur, usuram cõmittit. Quia non est contractus societatis, sed mutui. Nam, ut in mutuo pecunia mutuata est reddenda, & talis cõtractus æquipollet huic, s. accipe mutuo mille, ut eadẽ cũ lucro reddas.

CONCLVSIO.

Vt cõtractus societatis sit licitus, debet pecunia cũ lucro, & damno exponi, ita, ut damnum, & lucrum sit commune. Expresse definita est in c. pro uestris, de donationibus inter uirũ, & uxorem, & in §. 1. & 2. Instituta de societate. Alioqui enim non humana, sed leonina societas esset censenda.

1. *Diffic. Vtrum societas hac lege contracta, accipe mille ducatos, & ex illis quingenti non sint damno expositi, reliqui uero sint damno, & lucro subiecti.*

CONCLVSIO.

Contractus erit licitus si tamen ex parte, quæ nou est periculo exposita nullum assequatur lucrum. alioqui enim esset usura ex parte, quæ indemnis seruanda est, quia esset contractus mutui usurarij.

2. *Licetne cum triplici contractu inire societatem.*

V.G. sit primus sub hac forma, accipe mille ducatos ad negotiandum cum lucro, & dãno. Secundus, ego do tibi singulis annis uiginti pro assecuratione, ut nullũ in fine anni damnũ mihi eueniat. Tertius præterea, do tibi 10. ducatos pro assecuratione, ut ex mille ducatis lucrum 100. ducatorum obtineatur. Tres sunt opiniones. Prima est Io. Ma. asserentis esse licitum talem contractum, quem sequitur Sylue. Secunda opinio est Caieta. affirmantis, si tempore, quo fit contractus societatis, fiant alij duo, nequaquam licere: si autem successiue, licet ita contrahere. Tertia opinio est Sco. scilicet, siue successiuè, siue simul fiant, esse illicitum hunc contrahendi modum.

CONCLVSIO.

Huiusmodi contractus societatis sunt licsti, si cum eodem, cum quo societas contrahitur, fiant, etiam si tempore, quo societatis cõtractus efficitur, efficiantur, nam cum sint liciti, si tribus distinctis personis fiant, cur non erunt liciti, si cum una, & simul efficiantur nullo enim modo isti contractus ratione mutui ualent. Nam qui assecurat pecuniam alterius nõ illam mutuo recipit, quamuis sibi pereat. Nam ratione cõtractus assecurationis nullum transfertur dominium.

1. *Dubium licetne societatem cum illo contrahere, qui non est negociatorius.*

CONCLVSIO.

Talis cõtractus est illicitus. Quia per illum usura palliatur, cum mutuum cũ lucro, ultra principale sub specie societatis, acquiratur.

3. *Diffic. Contractus societatis utrum sub sequenti forma licitus.*

V.G. debet Franciscus Matthæo 1000. ducatos, & quidam amicus Francisci dicit Matthæo, accipe 5000. ducatos mutuo per 6. annos, & eorum lucrũ, dummodo debitum remittas.

CONCLVSIO.

Si contractus est mutui, est usurarius: si uero est societatis contractus inter amicum Francisci, & Franciscum, atque Mat-

Matthæum, siue inter amicum Francisci, & Mattheum, erit licitus. Non enim est mutuum, sed societas ad lucrum, & damnum, dummodo capitale in tuto non constituatur, & ita ex lucro soluetur Matthæo. Quod Franciscus soluere tenebatur. Et hæc est optima ratio, & uia ad soluendum debitoribus contrahendo, s. cum creditore societatem, ut ex lucro solutio fiat.

4. Diffic. *Quomodo licet contrahere societatem pecorum, & Armentorum.*

CONCLVSIO.

Licet dare alicui iumentum, aut bouem hac conditione, ut lucrum sit commune, & bos, aut iumentum si pereat sine culpa negotiātis, Domino, & nō negotianti pereat. Est enim uerus societatis contractus. Est tamen diligenter cauendum, ne socius bouem in eadem ætate qua illum recepit, reddere teneatur, nam esset usura, quæ (renueuo) uulgo dicitur.

Hinc, si pereat culpa negotiantis aut lucrari desinat, tenebitur ad lucri cessantis, & ualoris iumenti restitutionē. Quia fuit damni causa.

CONCLVSIO.

Licitum etiam est sub hac forma societatem cum alio contrahere, scilicet, accipe hunc gregem, & cura illum, sintque fructus communes hac lege, ut ego primos fructus recipiam. Si pactum uero fiat, ut oues nō Domino, sed pastori moriantur, erit tunc mutuum usurarium. Propterea quod cum oues perierint pastori, erit illarum Dominus per contractum mutui, & tenebitur quot recipit oues, reddere, quod erat capitale, atque etiam fructus.

5. Diffic. *Possitne maritus uxoris dotem negociationi societatis ad lucrum, & non ad damnum exponere.*

Tex. in c. Ad uestram, de donationibus inter uirum, & uxorem, hoc insinuare uidetur. Duę sunt opiniones. Soto negat; alij affirmant. Elegantius omnibus Nauarro in Manuali respondet, s. dandam esse pecuniam dotalem mercatori ad lucrum, & damnum, & ne pereat dos, esse faciendum contractū de eius assecuratione. Et hanc dicit fuisse intētionem Romani Pontificis, quæ est optima illius textus inter prætatio.

6. Diffic. *An possit fieri in testamento legatum subsequenti forma.*

V.g. lego curatis parochialibus 100. ducatos; ita ut illos exponant negotiationi perpetuæ, ut ex lucro stipendium missarum singulis annis soluatur.

CONCLVSIO.

Licitus erit contractus, & legatum. Ratio est, quia est con-

tractus

tractus societatis, qui licitus iudicatur, in c. per uestras. Verũ, melius erit emere censum illa pecunia, ut ex eo missarum sti pendium soluatur.

7. *Diffic. An contractus societatis sub forma sequenti sit licitus.*

V.g. accipe 100. ducatos, quos tuæ negotiationi expono, dummodo mihi singulis annis 12. tribuas, ita, ut si intra tres menses moriar, illa 100. tua sint, sin minus statim 400. reddere tenearis. quod si non reddideris, obligeris 10. aut 12. singulis annis soluere, quandiu non reddideris.

CONCLVSIO.

Prima pars huius contractus, scilicet, ut decem pro ratione societatis &c. non est licita. Ratio est, quia ponit lucrum suũ in tuto, potest enim contingere, ut nullum omnino lucrum alter consequatur.

CONCLVSIO.

Alia pars contractus, s. quod si post 6. menses fuerit superstes, & nõ reddiderit illa 100. teneatur pro 100. singulis annis 10. propter moram reddere, longo examine, & multis subdistinctionibus indiget, si contractus, vt fertur est suspectus ratione usurarum. Nisi istud fiat in pœnam dilatatæ solutionis.

8. *Diffic. Quando lucrum inter socios diuidi debet, ut institutæ seruetur.*

CONCLVSIO.

Si socij ita conueniant, ut singuli lucrum secundũ quantitatem sortis, aut, ut unus accipiat duas partes lucri, alius uero unam, hic contractus potius locationis operum negociorũ gestorum, quam societatis erit appellandus.

9. *Diffic. In casu sequenti quando erit faciendæ restitutio.*

V.g. si unus ponat solam pecuniam, alter solam operam emendi, & uẽdidi, tertius deportandi merces e nundinis, quartus solam industriam, scilicet, quibus mercibus sit pecunia exponenda, & quo tempore sint merces emendæ, & uendendæ & quibus.

CONCLVSIO.

Quando socij, ita inter se cõueniunt, ut singuli æquale lucrum accipiant, tunc singuli secundum quantitatẽ sortis accipere debẽt. V.g. ego apposui mille ducatos, tu uero apposuisti laborem, & industriam ualentem duo millia, tunc ex lucri partibus habebis tu duas, ego autem unam. Ratio est, quia opera, & industria sunt maioris ualoris plerunque quam sola pecunia, ut ex §. de illa, institutæ, de societate, habetur, & lucrũ secundum quantitatem, & ualorem sortis est diuidendum.

Quando

CONCLVSIO.

Quando opera,& industria unius est æqualis pecuniæ alterius,quia fortassis non est nauigaturus,æqualem lucri partẽ accipient.Ratio est,quia utriusque partis est æqualis sors,& lucrum secundum quantitatem sortis &c.

CONCLVSIO.

Quando exponens pecuniam paciscitur,ut apponens industriam,& operam unam tantum lucri partem habeat,contractus est licitus,non ratione societatis,sed quia est negotiorũ gestor,V.g. dedi Francisco mille ducatos ad negotiandum, hac conditione, ut ex tribus lucri partibus Franciscus unam tantum habeat, iste contractus non est societatis. quia tunc esset seruanda æqualitas,sed locationis.Quoniam ille negotiorum gestor illo precio sua opera locat.

2.*Dubium. Quid si unus pecuniam tantum,alter uero pecuniam & industriam simul apponat.*

R.iste habebit duas partes, V. g. ego apposui quingentos ducatos,tu mille. Præterea,apposui etiã industriam,& operã, quæ ualent mille,tunc mea sors potior erit: si autem mea industria,& opera ualent quingentos,tunc erit æqualis sors.Est autem hoc loco maxime animaduertendum Caiet. consiliũ qui dicit,in principio taxandos esse sortium ualores.

3.*Dubium. Quid si sint tres,& unus exponat pecuniam. alter laborem tantum,& tertius industriam.*

CONCLVSIO.

R.cõsulẽdi erunt mercatores,& ab illis æstimanda erit opera,& industria,& iuxta taxatũ ualorẽ lucri diuisio erit faciẽda

10.*Diffi. Quomodo damni diuisio erit facienda.*

CONCLVSIO.

Quando unus apponit pecuniam,alter vero solam operam qui ponit operã,damnũ pecuniæ pati non debet.Iã enim operã,& industriã perdit,quæ uel est precioſior pecunia,uel æqualis.Ita definitum est in §.de illa,in fine, instituta de societate.

4.*Dubium. Quid si uendidi tibi pecuniã credita merces ualentes 100. hac lege ut illas reuenderes,& lucrum esset commune.*

Medi.G. de rebus per usurã acquisitis

R.est manifesta usura.Quia accipit in mutuo ultra sortem. Nam illa uenditio pecunia credita mutuo æquiualet,Hæc de contractu societatis.

QVÆSTIO DE CENSIBVS.

*Art.*I.*Quidnam est census, & quotuplex.*

Propositio prima.

Census est ius, seu facultas exigendi ex re utili aliquã pen-

sio-

sionem. V. g. ex prædio, seu domo, uel ædibus tuis habet Petrus ius exigendi certam pensionem, siue pecuniam, siue fructum aliquem: ut frumentum, oleum, uinum, &c. ius illud compellendi te, quod habet Petrus, ut præfata sibi soluas, census nominatur.

Propositio secunda.

Cēsus quadruplex est. perpetuus unus; ut si census hac lege uēdatur: ut nunquā redimatur. Alter vitalitius, ut si pro tota uita emeris, aut per duas uitas uendatur. Tertius ad tempus, ut si census huius domus per decennium uendatur. Et quartus redimibilis, ut si census huius prædij hac conditione uendatur, ut quandocunque dominus prædij præcium restituat, census finiatur.

Sot. lib. 6 q. 5. Nauarro in comment. de usuris pro tota has q.

Art. 2. An emens censum sit usurarius?

De hoc art. disputant plerique Canonistarum super cap. In ciuitate, de usuris, & horum quidam negant esse licitum, alij uero licitum esse affirmant.

CONCLVSIO.

Contractus census non est usurarius. Definita est ab Ecclesia in duabus Extrauagantibus. Martini v. & Calixti 3.

CONCLVSIO.

Census est licitus, in quo non fructus, sed pecunia soluitur. Quia cum liceat uendere fructus, licebit quoque uendere pēsionem pecuniariam. Nam pecunia fructibus æquiualet, cum sint pecunia æstimabiles.

CONCLVSIO.

Census perpetuus licitus est, nec ullam usuræ speciem habet. Quia est pura uenditio fructuum uendibilium, retento tamen rei Dominio.

CONCLVSIO.

Census uitalitius non est illicitus. Quando est uenditio fructuum ad tempus indeterminatum, scilicet, per totum tempus uitæ ementis censum, qui cum sit pura uenditio, nullum habet usurę uestigium.

Art. 4. Sitne licitum iura Regia, sine aliorum magnatum emere.

CONCLVSIO.

Emptio iurium Regiorum, in quibus pensio pecuniaria, & non fructus uenditur, nullo modo est usuraria. Quia in his contractibus non uenditur, aut emitur pecunia, sed ius exigendi pecuniariam pensionem. Neque enim dicimus Petrum emisse 10000. nummorum a Rege, sed ius solum exigendi singulis annis illa 10000.

Art. 4.

Art. 4. Census redimibilis, uel cum pacto de retrouendendo est ne licitus.

CONCLVSIO.

Quando soluens censum ad illum redimendum compellitur, possidens censum usurarius est. V.g. si fiat cõtractus in hũc modum, emo a te annuum censum hac lege, ut quãdo uelim, precium census restituere, & contractum soluere teneatis. Et ratio conclusionis est, quia emptor in turo constituitur, atque ita est certissimus usuræ palliatæ contractus. Perinde enim est ac si diceretur, accipe mutuum, & singulis annis dum solutionis dies differtur, tot nummos dabis.

CONCLVSIO.

Quando contractus census ita fit, ut quandocunque uendi tori placuerit, illum redimere liceat, colligens censum nõ est usurarius. Quia per contractum emptionis cum pacto de retrouendendo dominium in emptorem transfertur, & ex consequenti fructus restituere non tenetur, si redimatur res, ut per multas leges. ff. de emptione. Constat. Contractus, de quo est sermo, huius generis est.

CONCLVSIO.

Contractus census cum conditione, ut si intra certum tempus non redimatur, deinceps irredimibilis, & perpetuus sit, licitus est. Quia quo census est minus redimibilis, eo est iustior, magis enim tunc emptionis, & uenditionis, qua dominium transfertur, naturam sapit, & quando tempus redimendi limitatur, est minus redimibilis, quam si non limitaretur.

CONCLVSIO.

In his contractib. precium a lege taxatum excedere haud licet. Esset enim tunc ex parte præcij iniustitia.

Hinc, contractus, in quibus ultra precium a lege taxatum apponitur conditio, ut tot paria Gallinarum, uel quid simile soluatur, erunt iniusti quia iustũ precium exceditur, & emens est restitutioni obnoxius.

1. Dubium. An census uitalicius intra decennium, uel aliud tempus limitatum, sit licitus.

Appen. Ricard. damnat hunc contractum, nisi ratione lucri cessantis, uel damni emergentis, iustificetur, cuius contractus malitia hinc colligitur, propterea quod per hunc contractũ cõpellitur debitor ad reddendum acceptum, & ultra sortem.

2. Dubium. Precium census uitalicium eritne ratione ætatis pro sua uita censum ementis minuendum.

V.g. si sit Senex minoris, quam si adolescens erit.

Si

CONCLVSIO.

Si emens censum pro sua uita sit senex, aut ægritudinarius iusse poterit maiori precio, quam sit a lege taxatum, emere. Ratio est, quia de eius salute desperatur.

CONCLVSIO.

Si fuerit adolescens, precium a lege taxatum excedere non potest. Nam etiamsi uitæ diuturnitas in senib. desperetur, nõ ideo uitæ longitudo in adolescentibus certo speratur. Frequẽtissime.n.accidit, ut infœcillis naturæ sint.

Art. 5. An census personalis sit licitus.

Census personalis dicitur, in quo persona obligatur nullo assignato prædio, uel re aliqua utili ad pensionem sing. annis reddendam.

Duæ sunt antiquorum opi. quidem licitum esse negarunt, quibus adhæsit Nauar. in comment. de usur. Alii uero, quos Soto sequitur, affirmarunt.

CONCLVSIO.

Quando homo nullum temporalem fructum propria arte, uel labore consequitur; quia, neque mercator, neque mercenarius, &c. est, neque etiam ex propria industria aliquem fructum habet; sed solum reditib. nulla propria industria comparatis uescitur (ut sunt multi nobiles) hic, neque uendere, neq; alius ab ipso personalem censum emere potest, sed solũ potest tantum censum uendere, quantum eius bona fructificãt. Constat ex definitione census. Nam, est facultas exigendi aliquã pensionem ex re utili, &c. siue emptio, & uenditio pensionis ex fructibus; & cum in casu posito uendens nullum suũ personæ fructum habeat; erit prorsus usura. Quia neque uenditio, neque emptio est, & in hoc sensu est uera prima opinio.

CONCLVSIO.

Homo habens fructum temporalem ex labore; ut Mercenarius, & Artifex, uel ex industria, ut Aduocatus, Medicus, Miles Procurator, etiamsi alia bona immobilia non habeat: licite censum personalem uendere, & alius ab ipso sine usura emere potest. Constat ẽt ex definitione census, emptio. s. & uenditio pensionis ex fructib. rei fructiferæ, & persona huius hominis, (ut constat) fructifera est. Deinde, quia ut multis in locis decimæ personales ecclesiæ soluuntur, ita solui poterit personalis pensio. In hoc sensu est uera Soti opin.

Census etiam super fructum bonorum immobilium, ut super pecus, iumentum, &c. dummodo minus uendatur,

quam supra rem immobilem, imponi potest. Et rō est, quia talia bona sunt fructifera. Not. dicitur; dummodo minus uēdatur, quia cum mobile citius pereat; census citius extinguetur, quam si supra rem immobilem impoueretur. Et hac de causa hic census, & personalis sunt uilius uendendi.

CONCLVSIO.

Poterit quis dare alicui pecuniam hac cōditione, ut ex fructib. per negotiationē pecuniæ acquisitis census personalis sibi sing. ann. soluatur; neq, erit contractus usurarius, etiāsi quādo datur pecunia, conditio, ut sit census redimibilis, apponatur. Et rō est; quia talis contractus non est mutuum, non n. apponitur pactum, ut aliquādo capitale omnino reddatur; atq. ita omnis usuræ suspicio cessat, quod est maxime not.

Art. 6. An conditiones, quæ in extrauaganti Martini V. ponūtur, sint necessario in emptione, & uenditione censuum seruandæ.

Sunt autem 8. cond. quas Nauar. in tract. de usur. refert, qui opinatur nullum esse census licitum in quo aliqua ex his cōditionib. deest. So. autem, tenet oppositum.

CONCLVSIO.

Prima conditio. Sit uendens censum, assignet aliquem agrum, siue rem immobilem, ex cuius fructibus pensio soluatur, non est necessaria. Nam, ut supra diximus, cēsus super personam, & rem quamlibet fructiferam, mobilem, siue immobilem, poni potest.

CONCLVSIO.

Secunda conditio, quæ est, ut res illa sola ad censum obligata maneat, & non cætera bona, neque persona uendentis, sed tantum ex fructibus rei, sit census soluēdus, nec essaria nō est. Quia, cum census sit pensio fructuum; poterit aliquis uendere pensionem annuam soluendam in genere ex fructibus suorum bonorum, nullo prædio assignato. Nā, ut potest quis uendere annuos fructus cuiusdam præditi & omnium bonorum, siue personæ fructus.

CONCLVSIO.

Tertia conditio, nempe, ut sit iustum precium necessaria est. Aliter. n. æqualitas inter rem uenditam, & precium non seruaretur.

Quarta conditio, uidelicet, ut precium census non mēbratim, sed simul sit soluendum, nequaquam est necessaria. Nam contractus census est emptionis, & uenditionis, & ut cæterarū rerum uēditiones, pecunia credita, uel numerata fieri potest.

Atta-

Attamen poterit carius uendi pecunia credita, quam numerata, ut æqualitas utrinq. seruetur.

CONCLVSIO.

Quinta conditio, quæ est, ut uenditor census possit, quãdo uoluerit, totum censum, siue partem redimere, restituendo totum precium, uel partem, non est necessaria. Hęc supra demõstrata est.

CONCLVSIO.

Neque est necessaria sexta conditio, nimirum, ut uẽditor non teneatur intra certum tempus redimere cẽsum, si noluerit Quia radix census redimibilis, est pactum de retrouendẽdo, & cum habens censum sit uerus dominus, poterit nulla interueniente iniustitia pacisci, ne rem illam pro parte, sed totam simul redimere teneatur.

CONCLVSIO.

Necessaria est omnino septima conditio. s. ut quãdo apponitur census super aliquam rem determinatam, destructa re illa, census consumatur. Quia cõtractus census est uẽditio pẽsionis soluendæ ex fructib. certæ cuiusdam rei, quapropter si non sunt fructus, non erit pensio soluenda, cum non pensio quorumcunq; fructuum, sed determinatorum uendita sit.

Hinc, contractus census cum conditione, ut destructo prædio, uel domo signata, ad soluendum censum uendita, alia bona assignare, uel aliunde censum soluere teneatur, est illicitus. Quia non seruatur rei uenditæ, & precii æqualitas; quemadmodum non seruaretur, si quis sub hac forma domũ emeret; nempe, ut uenditor teneatur illam reædificare quandocũque destrueretur.

Hinc, quando census ponitur super omnia bona præsentia & futura, & super personam, quæ est industriosa, non peribit census, nisi omnibus bonis, atq; etiam industria personæ peremptis, patet ratione præced. concl.

CONCLVSIO.

Conditio octaua. s. ut res super quam census assignatur tãtum fructum, quantum fuerit census, reddat omnino, necessaria est. Quia cum census sit uenditio, & emptio pẽsionis soluendæ ex fructibus, si fructus rei non sit tantus, quãta est pẽsio, non erit emptio, aut uenditio, quia res empta non extat, & ita contractus sapiet usuram.

Hinc, censu super rẽ fructiferam semel imposito, quæ non reddit plures fructus, quam sit primus census, supra illã alius census imponi non põt. Quia nullus fructus reddẽdus restat. Appen.

1. *Diff. Eritne census redimibilis licitus cum hac conditione, ut quandocunque redimatur eodem precio, quo fuit uenditus, redimendus sit.*

Med. in fi. operis de restit. multas adducit conditiones.

CONCLVSIO.

Si contractus fuerit sub hac forma factus, ut tanti redimatur, quantum ualuerit tempore redemptionis, non erit iniustus. Quia utriusque conditio incerta relinquitur.

2. *Diffic. An pactum in quibusdam censibus appositum, sit licitum.*

V. g. si res uendatur, ut x. precii pars soluatur. Nota primũ emphyteusim esse quando uenditur res translato dominio utili, & retento dominio directo, ut si quis uendat rem suã alteri sub hac forma: Accipe domum hac lege, ut sing. ann. pensionem fructuum soluas.

CONCLVSIO.

Quando contractus est emphyteusis, iuste talis cõditio apponi potest. Quia cum dominium directum retineat, potest iuste decimas precii exigere. Quia res sua uenditur.

CONCLVSIO.

In contractu census prædicta conditio erit iusta, si maiori precio ematur census, talem conditionem habens, quã alius illa carens. Nam ita æqualitas inter rem uenditam, & preciũ seruabitur.

1. *Dub. Estne licitus contractus census cum sequenti conditione.*

Vt si per biennium, uel amplius census non soluatur, in commissum cadat. i. ut dominus possessionis illum amittat.

CONCLVSIO.

In contractu emphyteusis iusta, & licita est hæc conditio. Definita est in c. querelam, de iureiur.

CONCLVSIO.

In contractu census iniqua est talis conditio. Quia pœna excedit culpam iniquum. n. dst, ut si quis per biennium censum exiguum non soluat, possessionem ualentem 1000. ducatos amittat.

CONCLVSIO.

Cõditio hæc esset licita, si ratione huius pœnæ appositę ad seruandam æqualitatem inter precium, & censum, preciũ censes augeretur. Nam perspicuum est censum, cum prædicta cõditione esse pretiosiorem, quam sine illa.

CONCLVSIO.

Esset quoq. licita cõditio, si ex malitia, aut negligentia pẽsionem soluere desineret: non autem si ex impotentia. Quia ubi nulla est culpa, nulla debet infligi pœna.

QVAE-

QVAESTIO DE CONTRACTV EMptionis, & uenditionis.

Art. unicus. An liceat rem carius iusto precio uendere.

Tho. 2. 2. q. 77. Medi. q. 30. usque ad 38. Sc. q. 2. So. li. 9. qõ. 2. Syl. uer. emp. ad 10 tã hãc q.

De hac q. supra partim disseruimus.

CONCLVSIO.

Vendens rem ultra iustum precium ad restitutionem tenetur. Quia alienum inuito domino accipit. Non. n. seruatur æqualitas, cum res non tantum ualeat, quantum pecunia, quæ pro illa datur.

CONCLVSIO.

Si uenditor res suas uendere compellatur, & ex uenditione damnum contrahat, tanto carius illas uendere poterit, quantum ex tali uenditione damnum sibi redundat. Integrum. n. est uenditori, qui non sponte, sed compulsus precibus rẽ suã distrahit, seipsum seruare indemnem. Quia ut morem gerat amico detrimentum pati, non tenetur. Not. dicitur si compelatur. Nam si se offerat licet præfatum detrimentum patiatur carius uendere non poterit. Quia uolenti, & consentienti nõ fit iniuria.

1. Dub. Quid si res illa ualet 10. & ementi 15. ualeat, quia re illa maxime indigeat, & si illam haberet, quinque lucraretur.

CONCLVSIO.

Non licet tunc uendenti rem suam carius uendere. Rõ est, quia necessitas emptoris non facit rem precioſiorem. Huius q. intelligentia ex seq. difficultate pendet.

1. dif. Qua ratione iustum precium cognoscetur.

CONCLVSIO.

Quando princeps, aut Repub. statuit mercibus certum precium, nullo modo licebit carius uendere. Alioquin omnis excessus erit restituendus. Nam, ut princeps habet potestatẽ trãsferendi dominium rei inuito domino, ut constat ex legib. de præscript. ita etiam potest uenditore inuito propter publicũ commodum, certum rebus precium statuere: ita, ut illud excedentes ad restitutionem teneantur.

Hinc, omnes uendentes frumentũ ultra precium pragmaticæ, & alias merces, quarum precium est a lege statutum, ad restitutionem tenentur.

2. Dub. Cum leges humanæ secundum uarietatem temporum uarientur, obligabitne semper in conscientia lex, precium alicuius mercis discernens.

Nota precium a lege determinatum, aut esse inuariabile,

aut uariabile, ut quot taxatur iuxta raritatem merciũ, ut precium frumenti in Hispania.

CONCLVSIO.

Cessant ratione legis taxantis precium alicui merci, cessat lex. v. g. raritas, seu abundantia mercium, & emptorum est rõ uariandi precium, ut experientia cõstat. Iam patet cõcl. quia, ut superueniente abundantia frumenti minuitur eius preciũ, ita superueniente penuria maiori, quam fuerit tempore, quo lex condita est, debet precium frumẽti augeri. Alioqui. n. lex illa esset iniqua, si magis emptori, quam uenditori faueret. Nam, ut lex olim facta ante taxationem frumẽti, si modo fieret, esset illicita, ita esset quoque, si nunc seruaretur.

CONCLVSIO.

Quando lex non imposuit precium, illud censetur iustum, quod arbitrio peritorum in illa negotiatione imponitur, ut pannis, quibus non est impositum precium, illud æstimatur iustum, quod a peritis, & expertis mercatoribus taxatur. Definita est in l. precia rerum. ff. ad leg. falcid. ubi dicitur precia rerum non esse taxanda ex effectu, aut utilitate singulorũ, sed secundum communem sententiam prudentium. i. peritorum in illa arte. Quare debet mercator peritus uendere, ut recta ratio dictat, & ut uellet sibi si empturus esset, secundum rectam rationem uendi. Et ita in confessionibus sunt mercatores examinandi, & iudices suarum uenditionum constituendi.

CONCLVSIO.

Tunc precium est iustum, quando negociator tantum lucratur ex mercibus, quantum respub. ministró illius negotiationis constituere deberet. Illustrat Scot. concl. exemplo; ut si Respublica N. non haberet mercatores, teneretur aliquem ministrum conducere, qui pecunia ex ærario publico accepta ex nundinis pannos deferret, tenereturque eius familiæ alimenta præstare, atque etiam laborem, industriam, & itineris pericula soluere. Tantum igitur lucrum potest mercator ex mercibus sperare, quantum mercatoribus stipendium a Republica esset statuendum.

3. Dub. *Quid si mensura panni in hac Republica iusto precio uendatur duodecim dragmis, & mercator computatis expensis carius emit, poterit ne tanti uendere, quanti emit.*

CONCLVSIO.

Non potest carius uendere merces, quam sit precium communi

muni æstimatione determinatum, ut seipsum indemnem seruet. Definita est in l. precia rerum, citata. Non.n. potest aliqs cum aliena iactura se indemnem seruare.

4. Dub. contingit, ut per spatium unius diei in nundinis precia uarientur licite ne hoc fiat.

CONCLVSIO.

In nundinis nunquam idem rerum precium per totũ nundinarum tempus seruatur, sed instar maris breuissimo tempore crescit, & decrescit. Patet ex illa uerissima, & receptissima regula. Craritas mercium, & abundantia ementium, est ratio sufficientissima augendi precium, & econuerso. Quare cũ in nundinis contigerit augmentum, uel decrementum merciũ, siue ementium, erit sufficiens ratio uariandi precium.

5. Dub. licebitne sub hac conditione pacisci. S. accipe merces eo precio, quo ualebunt mediis nundinis, quamuis speratur precium carius futurum.

CONCLVSIO.

Si uenditor usque ad illud tempus erat merces seruaturus, licebit, siu minus, nequaquam. Definita est in c. fi. de usur.

6. Dub. licebitne uoce preconis uilius emere, quam ex mercatoris officina.

CONCLVSIO.

Licitum quidem erit in auctione, siue uoce preconis uilius emere. Quia raritas emptorum facit rem uiliorem, & quando uoce preconis res uenditur, desunt emptores, cũ uoce preconis ad emendum inuitentur. At uero in officina emptor quærit uenditorem. Tum etiam quia consuetudine introductum est, ut aliquando in publica auctione res uilius uendantur, & ideo illud erit iustum precium. Quia communi consuetudine, & æstimatione approbatur.

7. Dub. Si res ualens 100. uendatur 50. uel 40. uoce preconis, eritne iustum precium.

CONCLVSIO.

Non possunt res uendi minus, ita ut sit citra dimidium iusti precii, v.g. ualet res 100. in officina, dimidium iusti pretij sunt 50. citra dimidium sunt 49. ultra dimidiũ sunt 51. si res hoc precio in publica auctione ematur, aut uendatur, erit iustum, si autem 70. aut 80. erit iustum. Constat ex l Regia Hispaniarum. Vbi quando in auctione fit deceptio ultra dimidium, datur actio restitutioni, ita ut uenditio rescindatur, uel precium restituatur.

2. Diff. *Quid de monopolijs dicendum.*

Monopolium Hiſpane [Monipodio] dicitur. fit autem vno trium modorum. Primo cum ueniunt duo, uel tres mercatores, emuntque merces certas cuiuſdam generis, exeuntes obuiam illos deferentibus, v.g. oleum, mel, &c. & hoc animo, ut carius uendant. Secundo quando mercatores alicuius generis, utpote ſutores inter ſe conueniunt, nequis niſi tanto precio emat, aut uendat. Tertio in locatione redituum, & vectigalium. nã paciſcuntur quæſtores inter ſe, nequis augeat quæſtum redituum, uſque ad tale precium, etiamſi plus ualeat.

CONCLVSIO.

Contrahentes primo modo monopolia in ſtatu damnationis ſunt, & merces illo precio, quo eſſent uendendæ, ſi non eſſent coaceruatę, uendere tenentur. Alioquin ſunt obligati ad reſtituendum exceſſum. Definita eſt per l. unicam, de monopoliis: ſunt. n. ipſi cauſa, ut res ultra iuſtum precium uẽdãtur. de monipolijs uero 2. & 3. modo eſt diſtinguendum. Nam ſi mercatores conueniunt inter ſe de iuſto precio, neminẽ iniuria afficiũt: ſi de iniuſto, ſunt latrones: idem dicendum eſt de librariis, quibus propter priuilegia conceſſa, nequis præter ipſos tale librum excudat, aut uendat, non licebit illud preciũ ſine legitima cauſa excedere. Idem iudicium eſt de emptoribus, quod de uenditoribus propter eandem rationem.

8. *Dub. Quid ſi res empta ſine induſtria, aut expenſis emptoris, & ſine mutatione loci, ſed ſola temporis mutatione facta eſt precioſior.*

V. g. ſi quis emat hoc loco frumentum hodie 7. arteis, & cras 9. uendat.

CONCLVSIO.

Licitus eſt contractus hic, dummodo nullum monopoliũ interueniat. Nam accidit eſſe hodie rariores merces, & maiorem ementium abundantiam, quam heri fuerit. Atq. ita rem eſſe precioſiorem, & econuerſo.

CONCLVSIO.

Quando merces non ſunt neceſſariæ ad publicum uſum; ſiue ad uitam tranſigendam, ut ſunt merces uictui, & ueſtitui neceſſariæ: tunc tantum ualent, quantum uendi poſſunt. v.g. ſi accipitres, gemnæ, &c. nobili uendantur, quantum ipſe dederit, uendi poſſunt. Ratio eſt, quia certitudo precii inuenta eſt propter publicam utilitatem, & cum res, quæ non eſt uſui publico neceſſaria, certo precio careat, ualebit, quantum uendi poterit.

3. Diffic. *An emens, & decipiens uenditorem citra dimidium iusti præcij faciat fructus res emptæ suos.*

V.g. si quis 49. emat domum ualentem 100. & conducat illam, an faciat fructus locationis suos. De hac re gloss. in ca. cum dilecti, de emptione, & uenditione.

CONCLVSIO.

Quando dolus, siue deceptio dat causam contractui, id est, si ego tibi persuadeam, ut uendas mihi rem, quam non eras uenditurus, tunc talis cõtractus non ualet, & fructus rei emptæ restituendi sunt. Ratio est, quia cum talis contractus nõ fuerit ualidus, quoniam defuit libertas, quæ sublata est p deceptionẽ, & ignorantiam, non fuit facta Dominij rei uẽditæ translatio. Vnde cum sit aliena, fructus erunt restituendi.

CONCLVSIO.

Quando dolus incidit in contractum, ut si decipiens non inducat deceptum ad uendendum res suas, ualet contractus. Cæterum decipiens, uel contractum rescindere, uel residuũ precium restituere tenetur. Definita est in c. dilecti, & in cap. cum causa, de emptione & uenditione. Idem est iudiciũ, quãdo dolus neque incidit neque dedit causam contractui. v.g. quando in uenditione cõtingit deceptio, uel citra dimidium ex parte uenditoris, uel ultra ex parte emptoris, & utrobique ualoris rei ignorantia fuit.

CONCLVSIO.

In casu posito emptor decipiens uenditorem præter precij suplementum, fructus perceptos, non omnes, sed precio restituendo, in quo fuit facta deceptio, correspondentes, tenetur restituere. Expresse definita est in L. curauit, C. de actio. empt. & uend. & in gloss. ca. conquæstus. de usuris.

Idem censendum est de uenditore. Quia tenetur restituere pecuniam, quam iniuste accepit, & damna, si emptor illa pecunia erat aliquid lucraturus.

4. *Diffi. An quando deceptio est intra dimidium iusti præcij, in conscientia, sit residuum iusti præcij restituendum.*

Duæ sunt opiniones. Prima Gerson. in tract. de contractibus, affirmantis, non teneri ad restitutionem. Secũda, & oppo sita est B. Thom. & Caiet.

CONCLVSIO.

Decipiens alium ultra precium rigidum, seu rigorosum tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia ita decipiens peccatum iniustitiæ accipiendo alienum inuito Domino committit: non enim seruat æqualitatem inter precium, & rem uen-

uenditam. Nam si tu das rem ualentem 10,& recipis 11.uel 12.seu 14.excessum inuito dante recipis; atq; ita residuum iusti precii restituere teneris.

5. dif. potest ne princeps uendere priuilegia, & immunitates atque officia publica.

Quando sunt multi ad Rempublicam merces deferentes, non potest Princeps alicui præstare,ut solus ille tales merces uendat.Nam hoc esset monopolijs fauere, quæ sunt Reipublicę detrimentum:teneturque huiusmodi priuilegia reuocare,restituendo reipublicæ damnum ex illo monopolio illatum:fieretq; talis restitutio in æquiualenti,si aliquam partem uectigalium,siue tributorũ remitteret; uel domum aliquam religiosam construeret.

Idem dicendum est de ministris,& consiliariis.Quia digni sunt morte,non solum qui ea faciunt,&c.

CONCLVSIO.

Poterit tamẽ tale priuilegium Princeps,siue gratis, siue ex pecunia alicui priuato cõcedere,si merces reip.utiles fuerint, & rari qui eas deferant.Huius generis sunt priuilegia,quę Librariis dantur,ut nullus præter talem personam excudat, aut uendat.Quia hæc priuilegia in utilitatem Reip.redundãt: uix .n.esset, qui præ magnitudine expensarum libros excudere, uel aliunde excussos deferre uellet.

CONCLVSIO.

Potest Princeps tributorum immunitatem concedere, Hispane[Hidalguias]ita ut non sit Reip.detrimẽtum.Ratio est; quia expedit Reipub.ut sint nobiles immunitate gaudentes, neque fit alijs iniuria;propterea quod, quantum auget exactionem tributorum,minuit in exactione uectigalium.Cum .n.posset decimas rerum uenalium exigere,uix modo centesimam exigit partem.

CONCLVSIO.

Venditio officiorum exercentium iustitiam.s.iudicãdi,ut audientiam,aut certam gubernationem, esset abominabilis. Quia Princeps propter uectigalia, & tributa sibi soluta,ministros iustitiæ instituere tenetur.

CONCLVSIO.

Esset etiam execrabile cætera ministeria uendere, quæ aliquam administrationem, quamuis non iudiciariam annexã habent, ut præfecturas, arcium pontium, &c. potius enim Princeps huiusmodi ministris stipendium præstare tenetur. perinde enim hoc esset, ac si Dominus a famulo pro famu-

latu

latu precium peteret. Idem est iudicium, si uenderet aliquod palacij officium.

CONCLVSIO.

Princeps publica regimina uendere potest Hispane (*Regimiẽtos.*) atque etiam munera tabellionum, &c. Ratio est, quia nõ tenetur gratis concedere, neque alicui nocet, suntque præcio æstimabilia.

Hinc, regimina annua poterit accepto precio perpetua efficere, ut in aliquibus Hispaniæ locis factum esse legitur.

6. *Diffic. An uenditor uicinum rei uenditæ emptori manifestare teneatur.*

CONCLVSIO.

Quando uitium est in substantia, contractus est rescindendus. Quia de ratione contractus est libera utriusque contrahentis uoluntas, & emptor non habet uoluntatem emendi rẽ in substantia uitiosam.

CONCLVSIO.

Quando uitium est in quantitate, ut in mensura, est restitutio omnium, quæ ad iustam mensuram desunt, faciẽda, aliter enim non seruaretur æqualitas.

CONCLVSIO.

Quando uitium est occultum, ob quod res uendita, emẽti periculosa redditur, erit omnino tempore uenditionis manifestandum, neque satis esset tunc extenuare precium. Patet primum ex parte charitatis ad euitandum mendacium. rogãt enim frequentissime emptores, an res uendita sit uitiosa, & si tunc uitium cœlaretur, esset mendacium. Secunda ex parte iniustitiæ, quia contractus est nullus, cum deficiat uoluntas. Nam si emptor uitium intellexisset, nullo precio rem illam emisset, & fortassis est emptori periculosa, ut si sit equus rixosus, &c. & licet cœlando uitium, præcium extenuaret, prębaret tamen occasionem emptori decipiendi alium in præcio, priusquam uitium intelligeret, si rem illam uenderet. hoc ultimum est Caiet. contra S. Tho. loco citato.

7. *Diffic. Quando aliquis scit merces eiusdem generis quæ plurimum ualent, cum suis cito uenturas, teneturne illud dicere.*

V.g est modo Valentiæ maxima frumenti penuria, ob quã Petrus suum frumentum magno precio uẽdit, quod si ciues intelligerent, cito magnam frumenti abundantiam superuẽturam, non tanti emerent, istud sciens teneturne detegere.

CONCLVSIO.

Nequaquam tenetur, Quia Petrus potest uendere suas mer-

merces precio præsenti, & illas precio futuro, quod erit superueniente mercium abundantia, uendere non tenetur.

QVÆSTIO DE OECONOMIS, ET Deposito.

Art. Vnicus. Possuntne depositarij rem restitutioni obnoxiam admittere.

Sylu. uerbo, depositū, et uer. œconomus. Soto lib. 4. q. 7 ar. 3. ad 3 et li. 6. q. 3. art. 1.

Alias quæstiones reperies apud Sylueſtrum uerbo, depoſitum, & notandum plerumque, res restitutioni obnoxias reponi in cœnobijs, ne restituantur.

CONCLLVSIO

Tale depositum admitti non debet. Et ratio est, quia illud admittentes sunt criminis particeps.

1. Diffic. Depositarius poteritne uti deposito.

Si depositum fuerit pecuniarium, non erit peccatum, pecunia depoſita negociari, & lucrū quærere, si tamen negocians in periculo amittendi pecuniam non constituatur. Quia nō fit iniuria Domino pecuniæ, neque pecunia deterior redditur & lucrum, non ex natura pecuniæ, sed ex industria negotiantis oritur.

CONCLVSIO.

Si depositum non fuerit pecuniarium, uti illo inuito Domino furtum est, nisi sit frumentum, aut oleum, & parum aliquid, si intentione reddendi tantundem in quantitate, & qualitate sumatur. Hæc supra fuit demonstrata.

2. Diffic. Si contigat apud œconomum Reipublicæ, uel alterius priuati frumentum humiditate granarij pinguescere, & multiplicari, tenebiturne quod multiplicatur, restituere.

CONCLVSIO.

Tenebitur quidem. Nō enim licet lucrum ex aliena re acquisitum ex natura rei, & sine industria personę retinere.

3. Diffic. Quando œconomus Reipublicæ, uel alicuius Domini particularis uendit inuito Domino frumentum, poteritne tunc Dominus frumenti præcium, siue frumentum petere.

CONCLVSIO.

In potestate Domini erit, uel precium, uel frumentum petere, etiam si tēpore, quo ualet duplo, petatur. Ratio est, quia œconomus alienum inuito Domino uendere non potuit. Et quia est depositarius. Vnde Dominus depositi poterit frumētum, quocunque tempore uoluerit petere, si œconomus usque ad illud tempus frumentum seruare tenebatur.

QVÆ-

QVÆSTIO DE CONTRACTV LOCATI & conducti.

Syl. uer. locatio.

Art. Vnicus. An qui conduxit agrum alienum tempore sterilitatis, annuam pensionem soluere teneatur.

CONCLVSIO.

Sterilitas colonum liberat, ne pēsionem soluere teneatur. Definita est expresse in c. propter sterilitatem, de locato, & conducto.

1. *Dubium. Quanta debet esse sterilitas, a solutione pensionis liberans.*

Sylvest. uerbo locatio §. 13. sex affert opiniones. Cæterum respondetur.

Propositio.

Sufficiens sterilitas dicetur, quando sine culpa, & negligentia coloni, sed sola temporum iniuria tantum collegit, quod ad expensas faciendas sufficit. Vt si ex agro colonus 100. tantum mensuras tritici susceperit, quæ omnes ad expensas deducēdas sunt necessarię, tunc pēsionem soluere non tenebitur.

CONCLVSIO.

Si anno præcedenti, uel sequenti sterilitas præsentis anni compēsetur, pensio anni sterilis soluenda erit. Definita est expresse in c. citato propter sterilitatem. Vbi dicitur, nisi cum ubertate præcedentis anni, aut subsequentis haleat compensari. Tuncque compensari dicitur, quando uno anno reddit ager fructus duorum annorum.

CONCLVSIO.

Quando colonus nihil ex agro percipit, non ratione sterilitatis terræ, sed propter tempestatem, quia grandine segetes fuerunt consumptæ, siue combustione, uel alicuius exercitus deuastatione, tunc pensionem soluere tenetur. Sylu. est ubi supra, & apertissime ex c. propter sterilitatem, citato colligitur. nam dicitur ibi, propter sterilitatem terræ, quæ uitio rei sine culpa colonis euenit. Vbi excludit sterilitatē aliunde ortam.

CONCLVSIO.

Quando annus omnino sterilis non fuerit, non omnino, sed ex parte erit soluenda pensio. Nam sicut propter omnimodam sterilitatem, omnino pensio remittitur, ita quādo ex parte fuerit sterilitas, ex parte erit remittenda.

2. *Dubium. Quodnam erit locationis, & conductionis iustum precium.*

De hoc dubio idem omnino dicendum est, quod de iusto precio in materia emptionis, & uenditionis diximus.

QVÆ-

QVESTIO DE CONTRACTV PER mutationis.

Contractus permutationis est duplex, scilicet, rerum corporalium, & spiritualium. De permutatione rerum corporalium legendi sunt summistæ, & DD. in 4. cuius iustitia in æqualitate rerum permutandarum consistit.

De permutatione uero spiritualium, legendus est textus in c. ad quæstionem, de rerum permutatione. Vbi dicitur, beneficia permutari posse, dummodo æqualitas fructuum seruetur, & permutatio superioris authoritate fiat.

S. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 2. & Cai. ibi ar. 3. Medi. q. 19. sc. li. 4. arti. 5. q 6. et li. 5. q. 9.

QVÆSTIO DE RESTITVTIONE HONoris, & Bonorum temporalium.

Art. Vnicus. An lædens aliquem per contumeliam aut conuicium solum ad petendam ueniam, uel ad aliquam aliam restitutionem teneatur.

Duæ sunt opiniones Caiet. opinatur teneri contumeliosũ ad restituendum honorem, qui potest alio modo, quam petitione ueniæ restituere.

Abulen. Matth. 5. explicans locum, si offers munus tuum &c. docet, irrogãtem alteri contumeliam, aut conuicium ad petendam ueniam teneri.

CONCLVSIO.

Irrogans alteri conuicium, uel contumeliam *ad satisfactionem*, & restitutionem ablati honoris tenetur. *Quia* non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, & contumeliosus abstulit proximo honorem longe pecunia præstantiorẽ.

CONCLVSIO.

Quando honor per contumeliam sublatus alio modo quã petitione ueniæ restitui potest, contumeliosus ad ueniæ petitionem non tenetur Ratio est, quia irrogans alteri contumeliam, solum tenetur restituere sublatum honorem.

CONCLVSIO.

Quando iniuria fuerit leuis, & satisfactio integra, atque sufficiens fieri potest per ueniæ petitionem, tunc contumeliosus renebitur ad ueniam petendam, dummodo iniuria affectus fuerit superior, aut æqualis, non autem inferior. Et ratio est, quia quando iniuria est leuis, integre honor petendo ueniam restituitur, ut si quis alteri uitium ignominiosum objicit, uocando illum ingratum, superbum, &c. quæ non sunt improperia. Notanter dicitur, nisi fuerit superior, quia non decet, ut superior personam Dei gerens inferiori subijciatur. Satis enim est, ut alio modo illi reconcilietur.

Quando

CONCLVSIO.

Quando conuitium irrogatum fuerit ignominiosum uerbo, aut facto, ut si colapho, aut fuste quis fuerit percussus, & passus iniuriam noluerit sibi petitione ueniæ satisfieri, tunc ad arbitriũ boni uiri erit facienda satisfactio. Et ratio est, quia contumelio sus tenetur honorem sublatum resarcire, qui petitione ueniæ tunc non sufficienter resarcitur.

1. *Dubium. Quale erit boni uiri arbitrium.*

CONCLVSIO.

Rectum boni uiri arbitrium est, ut satisfactio certa uerborum forma fiat. V.g. si colapho, aut fuste percussisti aliquem, etit congrua satisfactio, si dixerit, te illud feciſſe potius circũstantium fauore, quam tuis armis, seu uirib. fretum, uel quia uidisti illum inermem, aut alia huiusmodi, ita tamen, ut non mentiaris. Potest quoq; exhibitione pecuniæ fieri. quia illam pecuniam potest quis extra iudicium exigere, quam actione iniuriarum in iudicio petere potest, & cum possit quis 1000. ducatos honorem ablatum estimare, poterit illos extra iudicium petere. Est & alius satisfaciendi modus, si contumeliosus discedat a loco ubi iniuriam passus habitat.

CONCLVSIO.

Ad honoris restitutionem tenentur etiam qui causa uel cõcausa contumeliæ fuerunt. Ratio est, quia qui causam damni dat &c. Vno tamen restituente, cæteri sunt liberi. Cæterũ qui irrogauit iniuriam, actu, semper tenetur.

CONCLVSIO.

Hæredes eius, qui iniuriam passus fuit, contumeliæ illatæ defuncto satisfactionẽ petere nõ possunt, nisi in illos in iuria redundet. Quia iniuria personalis non transit ad hæredes.

Hinc, si redundaret, facienda esset illius satisfactio, si defuncto non fuit satisfacta. Sæpissime enim contingit, ut propter iniuriam uni de familia irrogatam, tota familia lędatur.

CONCLVSIO.

Læsus iniuria uerborum, aut colaphis, siue fuste rancorem, & animum sumendi uindictam remittere tenetur, non autẽ honoris satisfactionem, quia est bonum temporale. Constat per text. & gloss. in Can. si quis contristatur. 90. dist.

S. Th. 2. 2. q. 64. ar. 7. R. ar. 5. q. 2. & 3. S. q. 3.

1. *Diffic. Lædens alium in bonis corporis teneturne ad restitutionem.*

Propositio.

Tenetur expensas, & omnia alia damna illata, lucrum cessans, & damnum emergens soluere, atque etiam hæredibus

dibus defuncti, quos defunctus alere tenebatur, ut filijs, uxori &c satisfacere.

Hinc, abscindens manum artifici ex artificio uiuenti, illum per totã uitam, filiosq; & uxorẽ, quos ex mercenario artificio alebat, sustentare tenetur. Intelligo, si modo damnificans fuerit inuasor. Nam si pro defensione sui, quia aliter se defendere nõ potuit illũ interfecerit, ad nullã tenebitur restitutionẽ. Secus aũt si potuit, & nihilominus inuasorem occidit. Iam enim illud non se defendere, sed aduersarium offendere esset.

2. *Dubium Quid si propter læsionem a Petro factam falso Ioanni impositam, incommoda multa Ioannes patiatur.*

Supra responsum est.

3. *Dubium Quid si læsit alium præter intentionem.*

Ri si sufficientem adhibuit diligentiã, ne alium offenderet, ad nullam tenetur satisfactionem: sin minus, tenetur. Constat ex cap. Presbyter, & cap. lator, & cap. dilectus, cum 3. sequentibus, de homicidio, quorum exempla nota diligenter.

4. *Dubium. Tenebiturne aliquis etiam damnum ratione cicatricis illatum soluere.*

Propositio.

Si læsus patiatur aliquod detrimentum temporale, tunc præter expensas, & damna peculiaris satisfactio ratione cicatricis est facienda, ut mulier habens cicatricem in facie difficilius nubet, & seruus habens cicatricem uilior erit.

Appen.

Hinc si ex cicatrice nullum temporale damnum sequatur, non erit facienda restitutio.

5. *Dubium. Occidens hominem tenebiturne seipsum iudici offerre, ut pro occiso suspendatur.*

Propositio.

Hic liberatur Sc.

Nequaquam tenetur, ut ex supra dictis constat. Hic liberãdus est Sco. a temeritate, quam multi illi imposuerunt. Nam propterea quod dist. 15. dixit, uix posse aliquem recompensare per actiones illud, quod abstulit homicidio, colligunt fuisse huius sententiæ, ut homicida teneatur se iudici sponte offerre, ut occidatur. Quod quidem ex uerbis prædictis nulla ratione colligi potest, præsertim cum quæstione sequenti eiusdẽ dist. dicat malefactorem occultum, & non conuictum, etiam rogatum a iudice non teneri ad confitendum crimen.

6. *Dubium. Hæredes malefactoris tenenturne ad restitutionem.*

Propositio.

Absolutè omnia debita defuncti siue ratione contractus, siue

siue ratione delicti soluere tenentur. Quia bona defuncti eius creditorib. sunt obligata.

7. Dub. Teneturne dominus satisfacere iniuriam a proprio mancipio irrogatam.

Propositio.

Quando dominus fuit damni causa tenetur, & dicitur esse causa, quando non prohibuit cum posset, uel quando impunitum reliquit. Ita definitur l. 2. ff. de noxa. actio. & in ca. si bos, de iniur. Quia qui causam damni dat, &c. Quare si non fuerit causa, non erit restitutioni obnoxius.

2. dif. an qui uitiauit uirginem, in quocunque euentu illam dotare teneatur.

CONCLVSIO.

Inferens uirgini uiolentiam, & illam nolentem corrũpens, aut illam uxorem ducere, si pater uoluerit, aut dotare si pater noluerit, tenetur. Definita est expresse c. i. de adul. etiam ante condemnationem. sicer Nauar. oppositum teneat.

CONCLVSIO.

Seducens uirginem promissionibus, affirmans se illã ductu rum uxorem, uel dotem præstaturum, si uitiauerit, promissum adimplere tenetur. Definita quoque est c. i. de adulte. Et nota dotem esse tribuendam, qua uirum secundum suum statũ inuenire possit.

CONCLVSIO.

Corrumpens uirginem falsissimis precib. exoratam, nõ promissionibus seductam, neq. uiolentia oppressam, in foro conscientiæ ad nullam tenetur satisfactionem. Quia uolenti, & consentienti non fit iniuria: secus autem est in iudiciali foro.

CONCLVSIO.

Corrumpẽs uirginem importunis precibus exoratam dotare tenetur. Propterea quod, importunæ preces molestiæ æqui pollent. Dicuntur autem importunæ, quando sunt multæ, & efficaces.

Animaduerte corruptorem uirginis teneri quoq. ad satisfaciendum parentibus illius. Nam maximum est dedecus parentibus uirginem habere uiolatam.

CONCLVSIO.

Stuprator nõ solum in foro exteriori, uerumetiam in foro consciẽtiæ uirgini dotem præstare tenetur. Quia aliter uirgini integra satisfactio fieri non potest. Ang. est contra Syl. ubi sup. hactenus de restit.

Tho. 2. 2. q. 156. artic. 7. Al. Alẽ. 2. p. qõ. 167. & 168. Syl. uerb. lux. §. 5. Nauar. c. 16. n. 17.

FLORES QVAESTIONIS de Resurrectione.

DD.d.43 & Castr. uer.resurrec. cõtra hæreses, & B. Ambro.in libel.de fi. resurrec. Ric.in 4.ar.i.& S. Th.q.unica. &c. Sco.q.i.

Art.i.an sit mortuorum resurrectio futura.

De fide tenendum est futuram esse mortuorum resurrectionem.Iob 19.Scio,inquit,quod redemptor meus uiuit, &c.vsque in finu meo.Et Mat.22. increpauit dominus Iesus Saduceos resurrectionem negantes.alia sunt innumera Sacræ scripturæ loca,quibus hæc conclusio confirmatur,apud patrem a Castro.

CONCLVSIO.

In die generalis resurrectionis,omnes tam electi,quam reprobi resurgent.Venit enim hora,in qua omnes qui in monumentis sunt,audient uocem filij Dei; & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uero mala egerũt in resurrectionem iudicij.

Ex hæreticis,quidam non esse futuram resurrectionem affirmarunt,alij iam factam esse asseruerunt, qui omnes hic cõuincuntur.

1.dif. An possit generalis resurrectio naturali ratione demonstrari.

Th.ar.3. & Sco.q. 2. ubi supra.

CONCLVSIO.

Resurrectionis articulus rationibus naturalibus probari nõ potest. Quia cum a priuatione ad habitũ per naturam nõ possit esse regressus, neque naturæ uiribus poterit cognosci. Est .n.resurrectio supnaturalis,& ut res se hẽt ad esse,ita ad cognitionem.

CONCLVSIO.

Potest nihilominus similitudinib.& rationib. topicis mortuorum resurrectio declarari. Nã B.Pau.si in hac uita, inquit, tantum speramus in Christo,miserabiliores sumus omnibus hominibus,& grani similitudinem adducens ait, quod seminas, non uiuificatur, nisi prius moriatur,&c.Sic & resurrectio mortuorum.Iltæ autem rationes,nisi habenti fidem,fidẽ non faciunt,etiamsi supposita infinita Dei potentia contra infideles probare possimus,non futuram, sed possibilem esse resurrectionem.i.non implicare contradictionem.

3.Diffic.Concurrente naturalis causa,ut Sol,terra,&c.ad hominum resurrectionem,sicut ad procreationem.

Ri.ar. 3. qõ.i. & Sco.q.3

Sco.duas adducit opin.una est Platonis asserentis ;post spacium 30000.ann.omnia , quæ corrupta sunt eodem numero reditura . Verum hæc sententia confutatur multis Sacræ scripturæ testimonijs.Nam D.Pau.ait,quia nos qui uiuimus,&c. Et sic semper cum Domino erimus.

Altera

Altera opi. est opposita, quæ quidem tenet, nihil idem numero corruptum, per causam naturalem redire posse.

Tertia opi. est Ri. & Sco. affirmantium posse aliquando, licet, non semper, idem numero semel corruptum reproduci.

CONCLVSIO.

Virtute agentis naturalis, idem numero semel corruptum reproduci nullo modo potest. Nã a priuatione ad habitũ impossibilis est regressus. Cũ. n. individuum accipiat esse per motum, & per actionẽ agentis naturalis, & fieri non possit, ut redeat idem motus, eademq; actio; fieri quoq; haud poterit, ut uirtute agentis naturalis idẽ numero corruptũ reproducatur.

CONCLVSIO.

Deus tamen Opt. Max. idem numero reproducere potest. Quia Deus in sua operatione a motu causæ secundæ tempore & loco, quæ sunt individuales differentiæ, non dependet. Potestq; sua omnipotentia eundem motum, eandemve generationem, per quam individuum incepit esse, reproducere.

CONCLVSIO.

Nulla causa naturalis cum Deo ad mortuorum resurrectionem concurret. Quia mors est priuatio uitæ; unde ad uiuificãdum non poterit causa secunda concurrere. Totũ. n. fit a Deo miraculose: organizatio siquidem a solo Deo fit, iam. n. non efficitur tunc per semen effusum intra uterum fœminæ, nec animæ introductio nisi a solo Deo efficitur. Nam introducere animam in corpus est hominem efficere, & anima cũ sit forma hominis, eiusdem causa efficiens esse non potest. Nam efficiens causa, & forma, respectu eiusdem non coincidunt.

3. *Diffic. Estne resurrectio naturalis.*

CONCLVSIO.

Resurrectio tã ex parte principii actiui, quam ex parte termini erit simpliciter supernaturalis. Nam Deus Opt. Maxi. est principium actiuum, ut ex superiorib. constat. Et terminis resurrectionis. s. glorificatio in electis, & incorruptibilitas in reprobis, quia illorũ corpus erit incorruptibile, supernaturalis ẽ.

CONCLVSIO.

Si naturale, ut opponitur uiolento sumatur, resurrectio passiua naturalis erit. Nam secundum inclinationem naturalem futura est. Anima. n. naturaliter ad suum corpus informãdum inclinatur, erit autem supernaturalis, ut ex prox. concl. cõstat; si naturale, ut opponitur supernaturali, accipiatur.

Art. 2. Quænam sunt resurrectionis causæ.

Instrumentalis causa futuræ resurrectionis erit uox tubæ,

quæ & uox Christi nominatur. Nam apud D. Io. legitur, uenit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocē filii Dei, & qui audierint, uiuent. Et ad Thes. ueniet Dominus in iussu, & uoce Archangeli, & tuba nouissima. Huius loci expositionem apud Ric. & alios reperies,

CONCLVSIO.

Christus Dominus, ut Deus est, nostræ resurrectionis cū Patre, & spiritusancto causa efficiens principalis erit. Quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, per eandem. n. uoluntatem operantur.

CONCLVSIO.

Christus, ut homo. i. Christi humanitas, erit nostræ resurrectionis causa instrumentalis. Nam, ut per causam instrumentalem agens principale, ut scriba per calamum, suum operatur effectum: Ita Christus per suam humanitatem præcipiet Angelis pulueres congregare, & alia, quæ in iudicio futura sunt præstare. Quemadmodum in resurrectione Lazari fuit diuinitatis instrumentum.

CONCLVSIO.

Christi resurrectio nostræ resurrectionis exemplaris causa erit. Dicit. n. B. Pau. Saluatorem expectamus dominum nostrū Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, cōfiguratum corpori claritatis suæ.

Art. 3. quando futura erit uniuersalis resurrectio.

CONCLVSIO.

Generalis hominū resurrectio in fine mūdi, & non antea erit. Dixit. n. Iob. in nouissimo die de terra surrecturus sum, & Mat. 13. simile est regnū cœlorum sagenæ missæ in mare, & paulo post sequitur, sic erit in cōsumatione sæculi, exibūt Angeli, & separabūt malos de medio iustorum, & mittēt illos in caminum ignis ardentis, ibi erit fletus, & stridor dentium.

CONCLVSIO.

Præter corpus Christi Iesu, & immaculatæ semperq. V. Mariæ, nullum aliud est in cœlo eorum, qui hactenus surrexerūt. Hæc concl. est B. Hier. & B. Aug. quos citat D. Th. hac difficultate. Nam si aliquis sanctorum cum corpore ad cœlū ascēdisset, fuisset præsertim Dauid, de quo tamen B. Pet. ait, sepulcrū eius apud uos est usq. in hodiernum diem. quos credibile est fuisse cum corpore in deliciis paradisi, usq. ad ascensionē, quādo exutis corporib. cum illo in cœlum ascenderunt.

Hinc, cōfutatur error quorundam hæreticorum dicentiū, duas futuras esse resurrectiones, primam omnium martyrum

mille

mille ann. ante finale iudicium. Et secundam in fi. mundi. Pater autem a Cast. uer. beatitudo hæresi 2. explicat locum Apocalypsis, quo decepti fuerunt.

1. dif. potest finē dies ille ab Angelis, aut hominibus cognosci. Ri. art. 6. q. 3.

CONCLVSIO.

Dies iudicii nulli creaturæ, sed soli Deo notus est. Constat Mat. 24 de die autem illa nemo scit, neq. Angeli cœlorū, &c. & Mar. 13. neque filius hominis. i ut aliis reueler, atq. hoc ut semper parati uiuamus nuxta illud Luc. 12. estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis uenict.

CONCLVSIO.

Neq. Angeli, neque beatorum animæ: quando dies illæ futurus sit, in uer. uident. Colligitur Mat. 24. ne. Angeli sciūt. Vbi negatio utram q. scientiam in proprio genere, & in verb. includit. Hæc est Rica. contra quosdam asserentes in proprio genere, i. per species acquisitas, uel reuelatas, siue infusas, ignorare; non tamen in uerbo.

2. dif. Esse resurrectio in instanti, uel in tempore futura.

CONCLVSIO.

Collectio partium materialium in tempore fiet. Ratio est, quia Angeli, quorum ministerio fiet, nō possunt mouere corpora in instanti; simul. n. essent in plurib. locis uirtute creata corpora ipsa, fieretq. motus in instanti, quod est impossibile. In instanti. n. mouere uirtutis infinitę est proprium.

CONCLVSIO.

Resurrectio in instanti fiet. Ratio est, quia Deus sua infinita uirtute est resurrectionem facturus. Colligitur ex B. Pau. dicente, oēs quidem resurgemus, &c. In momento, in ictu oculi. Nō quod in apertione palpebrarū futura sit. Nā cū hæc sit motus, fit tēpore, sed ad declarandū in instanti faciendā esse.

3. dif. Fiene in instanti noctis, an die resurrectio. Ri. art. 6. q. 2. ubi sup.

CONCLVSIO.

Erit fortasse primo mane, quā primum aurora clarescere incepit, Sole in oriente existente, & luna in occidēte, eritq. eadē hora, qua Christus Iesus a mortuis resurrexit. Quia resurrectio Christi Iesu, quæ est exemplaris cā nostræ resurrectionis, primo mane fuit. Tum ēt, quia futurum est iudiciū, quādo homines minus de illo cogitabunt; ut diluuiū tēpore Noe, & homines primo mane magis sōno grauātur, & sui obliuiscūtur.

Art. 4. qui in die iudicij, reperti fuerint uiui morientur ne. Ri. art. 4. q. 1. Sco. ubi sup.

CONCLVSIO.

Electi tempore iudicii uiuentes sunt morituri, & statim re-

surrecturi. Hæc fuit sententia D. Hier. & D. Aug. statutum. n. est omnibus hominibus semel mori. Not. dicitur, in cõ. electi, de his. n. fuit controuersia inter doct. & nõ de reprobis, quos morituros esse nullus dubitat. & intelligitur conclu. exceptis Elia, & Enoch, quemadmodum scriptura testatur.

1. dub. Suntne iusti simul cum reliquis resurrecturi, an post cæterorum resurrectionem morientur, & statim resurgent.

Sco. & Dur. tenent iustos rapiendos esse uiuos in aera, & ibi morituros; & illico resurrecturos post cæterorum resurrectionem. Huic opi. suffragari uidetur B. Pau. 2. ad Thess. 4. *in iussu & in uoce Archangeli*, & deinde nos, qui uiuimus, *qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus, obuiam Christo in aere.* Opi. Ric. est iustos esse in terra morituros ante aliorũ resurrectionem, & postea simul cum illis resurrecturos. Quod confirmare uisus est B. Pau. dicens *in momento, in ictu oculi*; & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur: ubi uniuersaliter loquitur; q. d simul resurgemus. Iam. n. docuit d. August. cap. 6. de ecclesiasticis dogmatibus. Erit, inquit resurrectio mortuorum, sed una. i. simul & semel, non prima iustorũ, & secunda peccatorum, ut fabula est somniatorum, sed una omnium.

2. dub. corpora eorum, qui reperti fuerint uiui in die iudicij, suntne in cineres conuertenda.

Bon. Ric. & aliorũ

Sequendo opi. Sco. pars negatiua est tenenda.

CONCLVSIO.

Corpora eorũ, qui reperti fuerint uiui in die iudicij, incinerabuntur. i. corrumpentur. dictum est. n. Gen. 3. puluis es, & in puluerem reuerteris, quæ pœna imposita fuit propter culpam originalem, quam omnes præter Christum, & eius purissimã matrem, contraxerunt; fietq. corruptio per ignem: qui ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

1. Diffic. erit ne resurrectio omnium in ualle Iosaphat, ubi futurum est iudicium.

Ri. d. 43. ar. 5. q 3 & d. 48. ar. i. q. 7. Sco. d. 43 q. 5. Tho. d. 43. q. i. ar. 3. q. 4 Hæc est Ric.

Variæ sunt opi. quas refert So. hac d. q. 2. ar. ult.

CONCLVSIO.

Omnes resurgent in locis, in quibus fuerint sepulti. Et constat. Ioã. 5. omnes, qui in monumentis sunt, audient uocẽ filij Dei, & etiam Ezech. 37. Ego aperiam tumulos uestros, & educam uos de sepulchris uestris.

Dices; quomodo istud fiet, ministerio Angelorum, qui partes materiæ dispersas, & sub diuersis formis existentes, ad locum, ubi quilibet fuit sepultus, congregabunt. Quæres; qua ratione

tione in eodē sepulchro erunt innumera corpora ibidē sepul ta? R. quia pōt Deus efficere, ut sit corpus, & nō occupet locū; quemadmodū erunt in ualle Iosaphat. Sed de hac re in prima parte egimus, in q. de existētia corporis Christi in eucharistia, ubi multa corpora ī eodē loco existere posse demōstrauimus.

Art. V. An singulorum omnium cogitationes, & opera, quæ in uita egè runt, sine bona, sine mala, sint illic propalanda.

CONCLVSIO.

Ri. ar. 7. q. 1. 2. & 3. Dur. d. 47. q. 2

In die iudicii libri cōscientiarum aperientur, ita ut omniū tam electorum, quam reproborum opera, & cogitationes bonæ, ac malæ, non solum ab illis, qui ea fecerunt; uerumetiā ab omnibus conspiciantur. Prima. n. ad Cor. 4. expresse habetur, nolite, inquit, ante tempus iudicare, quoad usque ueniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; a Deo. Cum .n. illud iudicium futurum sit, ne detur alicui occasio suspitionis, omnium reorum crimina omnibus patere debent.

Magist. sent. asseruit peccata electorū nō esse manifestāda.

CONCLVSIO.

Electi in uerbo omnia bona, & mala propria sing. uidebūt: damnati uero per species a Deo creatas mira celeritate, singulorum bona, atque mala cernent. D. Aug. est, quem citat, & sequitur Ric. ubi sup. dicentis; omnia mentis intuitu cernentur, & quasi in libro recitabuntur: non in genere tantum, ut quidā opinantur, sed in particulari, ut ex 1. conclu. constat. Aliter. n. non iustificaret Deus iudicium suum, si singulis singulorum gesta non paterent.

Art. 6. An resurget idem corpus numero, quod homo, dum uixit, habuit.

Hoc art. d. 44. Magistri declaratur, in qua de qualitate corporum resurgentium, & de modo, quo ignis torquet Angelos malos, & animas separatas uerba facit. *Ri. d. 44. art. 1 q. 1.*

Communis est sententia affirmans. Solus Dur. negat idem corpus numero rediturum. *Sco. q. 1. e. d Dur. q. 3. d. 43*

CONCLVSIO.

Vnusquisq. in eodem corpore reformato ex eadem materia numero, ex qua tempore, quo uixit, erat compositū, resurget. Expresse habetur Iob 19. in nouissima die de terra resurrecturus sum, & in carne mea uidebo Deum saluatorem meum. Alioqui. n. non fieret carnis resurrectio, neque unusquisq; propria corporis, pro ut gessit, reciperet. Quod est contra D. Paul. & contra fidem.

Hinc, caute legendus erit Dur. loco citato.

1. *Diffic. An in homine, totum, quod in eo de ueritate naturæ humanæ præfuit, resurget.*

Ri.d.43. cr.i.q.4. Sco.d.44 q.1.Dur. d.44. & m2.d.20

CONCLVSIO.

Non resurgens omnes homines, cum omnibus partib. carnis, & materiæ, quas per totam uitam habuerunt. Ratio est; quia si homo 100.ann. uixisset, cuius corpus, uel esset immoderatę quantitatis, si partes non cõdensarentur, uel si condensarẽtur, esset immoderatæ qualitatis, quorum utrũq; est superfluũ, & deforme, & corpora gloriosa nullam habebunt deformitatẽ.

CONCLVSIO.

Homo cum tanta quãtitate resurget, quantam vsq. ad 33. ann. habuit, uel habuisset, si ad illam usq; ætatem uixisset. Nã occurremus, inquit B. Pau. omnes in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

1. *dub. dices cum homo continuo nutriatur, & quædam partes euanescant, quænam illarum resurgent.*

R. cum Sco. Resurgent omnes partes materiæ quas homo parentib. tempore generationis recepit; ex partibus uero per nutritionem acquisitis resurgent priores, ut quidam sentiunt, uel illæ quas natura genauit, quousque homo debitam quãtitatem habuit: aut, ut alii opinantur, resurget homo cum partibus, quas usq; ad 33. ann. habuit.

Appen.

Hinc colligitur non resurrecturum præcise *illud corpus*, quod homo habuit in certo uitæ tempore, *sed corpus* ex diuersis partibus quas in diuersis uitæ temporibus habuit.

CONCLVSIO.

Resurget præterea homo cũ capillis, & unguibus, quatenus sunt naturæ ornamentum. Hæc est D. Aug. Capilli. n. licet *sint* naturæ superfluitates, *sunt* nihilominus ornamenta.

Hinc non omnes capilli, & ungues erunt reparandi, Quoniam esset corpus deforme.

CONCLVSIO.

Partes homogenæ ad eundem situm non redibunt. Nã licet ossa habitura sint easdem partes materiæ, quas in uita parum tamen refert partem materiæ, quæ erat in medio ossis in extremo illius resurgere.

CONCLVSIO.

Partes eterogeneæ, quæ erant in capite ad caput redibũt, & nõ ad pedes, &c. Alioqui. n. non esset idẽ caput numero ante, & post resurrectionẽ, ex consequẽti neq. idẽ numero corpus. Quia idẽtitas corporis ex identitate numerica partiũ constat.

Electũ

CONCLVSIO.

Electi cum omnibus membris, quæ sunt de integritate humani corporis, etiamsi in uita illis caruerint, resurgent. Nam mortui inquit D.Pau. resurgẽt incorrupti ubi gl.i. sine aliqua læsione membrorum.

Vnde monoculi cum duobus oculis resurgent, & martyres habebunt membra, quibus in cõtumeliam Christi priuati fuere, in quibus cicatrices, ut Sol, & gemmæ splendidissimę in eorum gloriam accidentalem fulgebunt.

2.dub. Restituenturne reprobis omnia membra, quibus in uita fuerunt orbati.

Duæ sunt opi. prima D.Bon. & Dur. qui tenent, ut ex hac uita migrarunt, ita resurrecturos esse.

Secunda opi. est contraria, & est Ri. & S.Th. D. autem Aug. in hac re fuit dubius. Nam ita ait, nequ. fatigare nos debet incerta damnatorum habitudo, & pulchritudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio. *Ri.d.44. ar.i q.6.*

CONCLVSIO.

Sco. ubi sup Th.q. i.art.2.

Resurgent integri, quemadmodum & electi. Dicit.n. B.Pau. mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Vbi gl. inquit, penes integritatem corporum, non posuisse B.Pau. inter reprobos, & electos discrimen, sed solum penes impassibilitatem, quam uerbo illo & nos immutabimur, indicauit.

2.diffi. An omnes in iuuenili ætate resurrecturi sint. *Ri.ar.3. q.8. Scot. ubi sup.*

Resurgẽt omnes in eadem ætate. i. in uirtute, & robore corporis, quod homines 33.an. habere solent. Hanc concl. colligunt doct. ex B.Pau. donec occurramus in mensuram plenitudinis ætatis Christi. Et est D.Aug. asserentis: omnes esse reparandos ad illam ætatem, quia est perfectissima hominis ætas.

3.Diffic. Resurgentne omnes in eadem corporis statura. *Ric.ar.3. q.9. Tho. q.1.ar.2.*

CONCLVSIO.

Non in eadem quantitate omnes, sed in illa, quam hõ habuit, natura non errante, aut impedita, uel habiturus esset si perfectam attigisset ætatem, resurgent. Ad quam quidem idẽtitatem pertinent dimensiones staturæ, uultus, coloris, & cęterorum identitas, exceptis deformitatibus, quæ, ut paulo antea diximus, in electis auferentur.

4.dif. An omnes in ætate uirili resurgent. *Ric.ar.3. q.10.*

Quidã partẽ affirmantẽ asseruerũt tm quos D.Aug. disputat.

CONCLVSIO.

Fœminæ in sexu fœm. resurgent, quia fœmina est a uiro alia numero, & unusquisq. unus numero resurrecturus est.

Pudenda

Pudenda fœminarum tunc ad libidinem minimæ allicierẽt, Nam si in statu innocentiæ Adã, & Eua nudi cum essent, nõ
Gen.c.2. erubescebant. Quia nullum carnis motum patiebantur, nedũ in patria, ubi sunt futuri impeccabiles.

5. *Diffic. Eritne potentia nutriendi, & generandi in beatis.*

CONCLVSIO.

Erit quidem non ad usum, ut falsissime sibi Saraceni persuadent, sed ad naturæ perfectionem, D. Au. est dicentis corporibus non esse auferenda comedendi facultatẽ, sed ægestatem.

CONCLVSIO.

Matth.c. 22. Non tamen actu generare poterunt, Nam erunt sicut Anli Dei patria, qui neque nubent, neque nubentur.

3. *Dubium. Nunquid resurgent cum quatuor humoribus corpora.*

CONCLVSIO.

Resurgent. Propterea quod, isti humores sunt de ueritate corporis humani uiuentis.

FLORES QVÆSTIONIS DE RECEPTAculis animarum post hanc uitam, & de suffragijs, deq. sanctorum orationibus.

DD. ibid. Ric. ar. 1 q. 1. & 2 S. Th. q. 1 art. 1. & sequent. Hæc q.d. 45. a Magistro sententiarum tractatur.

Art. 1. Suntne quatuor tantum receptacula, in quibus morientium animæ recipiuntur.

V.g. cælum, infernus, purgatorium, & limbus paruulorũ, qui cum solo originali discedunt.

CONCLVSIO.

Post mortem Christi Iesu, quatuor tantum sunt animarum receptacula. De beatorum quidem receptaculo constat, apud D. Mat. uenite benedicti patris mei, accipite regnum, quod uobis paratum est &c. Et de inferno ibidem, ite maledicti in ignẽ æternũ, &c. Et de purgatorio, ex 1. ad Cor. 3. si aliquis autẽ superedificat ligna, fœnũ, & stipula. id est uenialia peccata &c. saluus erit, sic tamen quasi per ignem, s. purgatorij. Limbus uero, facile colligitur. Nam paruuli cum peccato originali morientes, non sunt in cælum migraturi, Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, neque in infernum, aut purgatorium, cum nullum habeant actuale peccatũ. Quapropter quartus locus, utpote limbus est constituendus. Notãter dicitur post mortem Christi. Nam antea erat limbus patũ.

1. *Dub. ubi nam sunt hæc receptacula.*

CONCLVSIO.

De fide tenendum est, beatorum receptaculum cœlum esse.

Nam

Nam Matth. 5. dicitur merces uestra copiosa est in cœlis.

Hinc, quamuis beatitudo in uisione, & fruitione diuinæ essentiæ consistat. Et nbiq. locorum homo beatificari possit: nam Angeli ad nos descendentes semper uident faciē patris & animæ sanctorum patrum in limbo, descendente sanctissima Christi Iesu anima, fuerint beati: nihilominus tamen pro pria sedes, ubi beati Deum uidēt, cœlum est empyrium, scilicet splendidissimum, ut locus locato proportionetur. *Mat. cap 18.*

CONCLVSIO.

Infernus damnatorum in uisceribus terræ situs est. Et uidetur esse de fide tenenda. licet Soto uetam tantum & oppositā temerariam dicat. multis enim locis Sacræ Scripturæ confirmatur. Nam limbus patrum est in uisceribus terræ, dicente Christo Iesu de anima sua, sicut fuit Ionas &c. ita erit filius hominis in corde terrę & infernus limbo inferior est, ut constat Lucæ 16. de diuite epulone, qui eleuans oculos uidit Lazarum in sinu Abrahæ, id est, in limbo. *Matth. 12.*

CONCLVSIO.

Purgatorium, & limbus puerorum in inferioribus partib. terræ existunt. Id enim canit Ecclesia, libera Domine animas &c. de pœnis inferni, & de pro fundo lacu, ubi purgatorium, quia est in inferioribus partibus terræ infernus nominatur, pe finde etiam & limbus, quia est locus punitionis, infernus appellatur. Ibi enim pueri cum solo peccato originali morientes pœna damni puniuntur.

2. *Dubium. Quomodo se habent hæc receptacula respectu inferni damnatorum.*

Tres sunt op. Prima Ric. quæ seq. concl. continetur.

CONCLVSIO.

Infernus damnatorum in centro terræ est, mox super infernum puerorum limbus, & super limbum purgatorium, & super purgatorij olim limb. patrū existebat. Et ratio est, quia quo magis animæ a Deo per gratiā distant, eo magis per recē ptaculum a Deo distare quoque uidentur. Et cum ordine præ dicto animæ a Deo per gratiā distent, distabūt etiā per loca.

Altera opinio est D. Thom. cuius est conclusio sequens.

CONCLVSIO.

Iuxta infernum damnatorum non limbus parulorum, sed purgatorium existit. Cuius ratio est, quia animæ purgatorij igne, quemadmodum, & animæ damnatorum plectuntur.

Tertia opinio est quorundam doct. scilicet, purgatorium, & limbus, uel sunt ex una parte inferni supra centrum, ut in qua-

quadã linea uersus nos, uel antipodas, aut circundant infernũ atq; ita respectu cuiuscũq; superficiei terræ supra infernũ erũt.

3. *Dubium. Estne modo locus, qui sinus Abrahæ dicatur. ubi electi ab omni culpa, & pœna purgati, ut olim recipiantur.*

CONCLVSIO.

Sinus Abrahæ fuit locus quidam, ubi animæ ab omni culpa, & pœna purgatæ requiescebãt, qui & limb. patrũ dictus est. Patet apud D. Lucã ubi Lazarum mendicum per Angelos ante aduentum Christi Iesu deportatũ fuisse expresse habetur.

CONCLVSIO.

Post aduentum Christi Ecclesia sinum Abrahæ cœlũ beatorum nominat. Dicit enim in quadam oratione *pro defunctis*, Deus cui omnia uiuunt, &c. animam N. famuli tui per manus sanctorum Angelorum deducendã in sinu amici tui Abrahæ, id est, in cœlum.

S.Th.q.7 art. 2. 1. *Diffic. An electorum animæ statim, ut sunt purgata post mortem in cœlum deducantur.*

CONCLVSIO.

Quam primum anima a corpore separatur, sine mora in uno ex prædictis receptaculis collocatur. Nam de damnatis Lucæ 16. habetur, mortuus est diues, & sepultus est in inferno. & apud Iob. ducunt in bonis dies suos & in puncto, id est, sine mora, ad infernum descendunt. Et de animabus *purgatorij* constat 2. Macha. cap. 12. sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, quorum animæ, si statim in purgatorium non deportarentur, non illico orationibus nostris indigerent. De paruulis cum solo originali morientibus, & de prædictis concors fuit semper Doctorum sententia. de animabus autem electorum, an in cœlum ante diem iudicij deducãtur, fuit dubium. Et ideo notanda est conclusio sequens.

CONCLVSIO.

Electorum animæ, quę ex hac uita ab omni reatu pœnæ, & culpæ libere discedunt, & quæ in purgatorio usque ad ultimum quadrantem soluerunt, statim ad perennem beatitudinem transportantur. Hæc est de fide. Et constat apud D. Lucã, ubi legitur dixisse Iesũ latroni, hodie mecũ eris in Paradyso. ibi enim per Paradysũ clara Dei uisio intelligitur. Vide apud patrem a Castro, ubi supra, multa sacra scripturæ testimonia.

Luc. ca. 23. CONCLVSIO.

Quamuis anima possit per se naturali uirtute moueri, & in receptaculum sibi definitum proficisci, nihilominus tamẽ ab Angelis in cœlum, & in purgatorium, & a dæmonibus in infernum

fernum deducitur. Expresse constat de electis, & roprobis Lucæ 16 exemplo Lazari mendici, & diuitis epulonis. Et de animabus purgatorij, patet etiam. Quia amicorum est proprium, amicos reos post remissam noxam ad carcerem ducere, ut quod reliquum est pœnæ, luant, & omnino liberentur, Similiter Theologandum est de paruulis nondum baptizatis migrantibus ad limbum.

Hac difficultate, confutatur error Armenorum, qui nullã animam ante diem iudicij esse beatam asseruerũt, quem amplexi sunt B. Irenæus martyr in calce lib. 5. aduersus hæreses, & Theophylactus exponens locum Bea. Paul. ad Hebr. 11. & hi omnes testimonio fidei probati, &c. & B. Berna. sermone 3. & 4. in festo omnium Sanctorum, qui omnes Sanctissimi patres cum se iudicio sacro sanctæ matris Ecclesię Romanæ subiecerint, non hæretici iudicantur. Tumetiã quia Ecclesia illo tempore nihil de hac re unquam definierat. Cæterum peior fuit Græcorum error, qui sicut negant beatitudinem dari iustis, ita etiam negant pœnam dari peccatoribus ante illum diem. Vide patrem a Castro uerbo, beatitudo, hęresi 6. Error. *Caute legendi.*

2. Dif. Possuntne animæ ad hanc uitam redire.

CONCLVSIO.

Animæ beatorum de lege, quando uoluerint ad nos uenire possunt. Beati enim habent quicquid uolunt, & nihil mali uolunt, ut B. Aug. docet. *Ric. ar. 1 q. 3. S. Th. q. 1. art. 3.*

CONCLVSIO.

Ceteræ animæ de lege, nisi ex peculiari Dei dispensatione a suis receptaculis non exeunt. D. Aug. est in lib. de cura pro mortuis agẽda. Nã si animæ, inquit, defunctorum interessent &c. pia mater nulla nocte me ipsum desereret, ut mecũ uiueret; unde colligit, de lege animas in purgatorio existentes, ad nos minime redire, nisi ex speciali Dei prouidentia. Et cõstat de Samuele, qui post mortem Sauli apparuit.

Art. 2. Prosuntne defunctis uiuorum suffragia.

CONCLVSIO.

Prosunt quidem, non ad augmẽtũ gratię, & gloriæ, sed ad pœnæ remissionem, Qui nemo præter Christum de condigno gratiam, & gloriã alteri mereri potest, ut ex superioribus constat, bene tamẽ pro altero satisfacere. Vnde dictũ est sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis, id est, a pęna pro peccatis iam dimissis luenda, soluantur.

2. Diffic.

2. Diffic. *An uiuorum suffragia non solum animabus purgatorij, uerum etiam beatis, & damnatis, & in limbo existentibus prosint*

S.Th.q.2 ar.5 et 7 Ric.d 46 arti.2.q. 4 Dur.d. 45.q.2. Soto. hac dist.q.2. art.2.

Olim fuerint quinque opiniones affirmantes suffragia dānatis quodammodo prodesse, quas Soto confutat.

CONCLVSIO.

Hæreticum est affirmare, uiuorum suffragia de lege damnatis ad remissionem pœnæ aliquo modo, prodesse. Nam cum eorum pœna sit æterna, neque quoad extensionem, siue intentionē redimi poterit, aliter enim nō esset pœna æterna.

CONCLVSIO.

Qui magna fide a Deo peteret, ut præter legem aliquem ab inferno liberaret, non peccaret mortaliter, ut enim non peccat, qui a Deo miraculum petit, ut salutem per naturam incurabilem assequatur, ita non peccaret, qui a Deo peteret, ut damnatum aliquem suscitaret, & ita conuerteretur, aut ibi pœniteret, & conuerteretur. Soto oppositum tenet.

CONCLVSIO.

Pro paruulis in limbo existentibus, non licet de lege orare. Sunt enim damnati, & extra charitatem.

CONCLVSIO.

Iniuriam facit beatis, qui pro illis preces effundit. Definita est in c. maiores, extra de Baptismo, ubi dicit Innocētius iniuriam facere martyri, qui pro illo orat.

3. Diffic. *Quotnam sunt suffragiorum genera.*

CONCLVSIO.

Quatuor sunt suffragiorum genera. Definita est in Cano. Animæ, 17. q. 2. ubi dicit B Greg. animæ defunctorū quatuor modis soluuntur, uel oblationib. Sacerd. id est, per missæ, sacrificium, uel orationibus sanctorum, uel amicorum eleemosynis, uel ieiunijs cognatorū. Sunt enim satisfactoria opera.

Hinc, cum receptio sacramenti sit meritoria, & satisfactoria uirtute passionis Christi, poterit communicans ex opere operantis fructum animabus applicare.

4. Dif. *Defunctus, qui restitutionem hæredibus faciendam reliquit, si hæredes non restituant, detinebitur ob hanc causam in purgatorio.*

CONCLVSIO.

Nequaquam detinebitur. Non enim est culpa sua, sed hæredum, & nemo in purgatorio pro culpa aliena detinetur.

CONCLVSIO.

Si defunctus restituere non potuit, & de peccato pœnituit, propter restitutionem in purgatorio nō detinebitur. Quia ad impos-

impossibile obligatur nemo.

V. Diffi. An Missa olim dicta, & nemini applicata, defunctis applicari possit. v.g. cælebrauit Rector decies missam, & valorem illius nemini applicuit, poterunt postea illum alijs applicare.

CONCLVSIO.

Sacerdos missam præteritam futuris intentionibus haud applicare potest. Quod enim non est, non potest esse alterius causa, aut signum, cum causa, & effectus debeant esse simul, & missa, siue sacrificium præteritum iam non est. Sacerdos enim finito sacrificio, iam non est minister; atque ita non poterit eius sacrificij valorem alijs applicare.

Dubium. Potestne aliquis Sacerdos missam, quam tenetur Rector, aut Prior, siue Guardiani offerre &c. illo inconsulto celebrare.

CONCLVSIO.

Poterit quidem. Quia iam applicat illas missas pro certa intentione, quam Rector, siue Prior, aut Guardianus &c. in suo libro habet; melius tamen est prius illos consulere.

Art. 3. Suffragia pro uno defuncto oblata possunt ne omnibus prodesse. *Ric. d. 4 art. 2. 2. S. Th. q. 2. ar. 1 & seq.*

CONCLVSIO.

Prosunt omnibus quoad diminutionem pœnæ, non quantum ad extensionem, sed quantum ad intentionem. Ratio est, quia cum sit finitæ satisfactionis, si pro uno offeratur, tota satisfactio non proderit alteri quantum ad extensionem, bene tamen quoad intentionē. Quia cū sint in charitate, gaudent quādo pœna alicuius animæ per suffragia minuitur. quo gaudio tormentorum quātitas quoad intentionem extenuatur.

1. Diffic. An suffragia generalia prosint cuilibet anima, ac si pro una sola offerrentur.

Vide supra de valore Missæ in prima parte.

2. Difficultas. An suffragia existentium in mortali defunctis prosint. *Ric. ar. 2 q. 4. S. Tho. q. 2 art. 3.*

Vide supra in q. de ministro Eucharistiæ in prima parte.

CONCLVSIO.

Si nomine proprio offerat, nihil proderunt. Quia cum sit opus mortuum, & non prosit facienti; multo minus alijs proderit. Si autem nomine Ecclesiæ ubi supra, explicatum est.

CONCLVSIO.

Si offert eleemosynas nomine alicuius personæ, in gratia existentis, & mandantis illas dari, proderunt. Quia malitia ministri non potest nocere: & intentio præcipientis tēpore, quo præcepit, fuit Deo accepta. Vnde ēt si tempore exequutionis

mandans

mandans sit in peccato proderunt.

2. Dubium Quando testamentarij sunt negligentes in executione eleemosinarum, & missarum, quæ in testamento leguntur prosuntne defunctis ante executionem.

CONCLVSIO.

Eleemosynæ non prosunt ante exhibitionem, neq; preces quæ a pauperibus eleemosynas recipientib. offeruntur. Quia solum habent fructum ex opere operantis.

CONCLVSIO.

Neq; etiam missarum fructū recipiunt. Quia talis fructus ex opere operato, & ratione deuotionis. Sacerd celebrātis cōfertur, fructum autem deuotionis, siue intentionis defuncti hęc mandantis statim anima recipit. non enim fructus hic testamentariorum negligentia impeditur. Hæc animaduertāt confessores contra negligentes in exequutione testamētorū.

Art. 4. Sinne Sancti a nobis orandi.

CONCLVSIO.

DD. d. 45. Ric. art. 1. q. 5. S. Th. q. 1 ar. 2. Du q. 4. Cast. uer. San.

Sancti sunt a nobis orandi. Hæc con. est de fide, & oppositum est hæreticum. Definita est in multis Concilijs Gaugrensi, Aurelianō, & alijs, & multis sacræ scripturæ authoritatibus constat. Quas pater a Castro egregie explicat.

CONCLVSIO.

Quando sanctis uolūtas beneplaciti Dei, & eorū, quæ erga nos Deus uult euenire reuelatur, ut quod nobis gratia, & gloria, & bona temporalia in ordine ad gratiam dēt, sancti pro nobis orant, & exaudiuntur. Nam cum uoluntas beneplaciti Dei sit infallibilis, erit quoque infallibilis sanctorum oratio, qua media instituit Deus suam diuinā uoluntatē adimplere.

CONCLVSIO.

Quando sancti orant pro nobis sub conditione, non semper exaudiuntur. Propterea quod, non semper, quæ Deus uoluntate beneplaciti uult, orant. Hoc modo orauit Christus Iesus in horto dicens, pater mi, si fieri potest, transeat a me, &c. & non impetrauit. Non exaudiuntur sancti. Quia diuina uoluntas non erat eis reuelata.

Hinc destruitur error cuiusdam Eustachij dicentis, non esse sanctos a nobis honorandos, & orādos. Qui fuit in Cōcilio Gangrensi damnatus, cui uarij hæretici adhæserūt, quos apud Patrem a Castro expressos repēries. Nā si ab æterno Patre sancti honorantur, ut constat Ioan 12. si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis est. Nos in terris honorare dedignabimus præsertim honor exhibitus sanctis,

Deo

Deo qui glorificatur in honore sanctorum, exhibeatur.

1. Dubium. *Animæ in purgatorio existentes agnoscunt, quæ apud nos in hac uita geruntur.*

R. intelligunt orationes, quæ pro ipsis offeruntur per effectus. Quia sibi tormenta minui sentiunt: cognoscunt euentus suorum per reuelationem animarum, quæ a nobis ad purgatorium migrant, & per diuinam, atq; angelicam reuelationem. Hæc D. Aug. de cura mortuorum, ut Ric. refert.

2. Dubium. *Possuntne animæ separatæ intelligere rerum quidditates, uel, ut dicit Scotus, species intelligibiles acquirere.*

Lege hoc loco Scotum, & quæ in floribus 2. lib. de cognitione Angelorum traduntur.

FLORES QVÆSTIONIS DE VNIVERSALI Iudicio.

De hac q. disserit Magister sententiarum 46. 47. 48. distin.

Art. 1. Sunine alij sancti cum Christo in die iudicij iudices futuri, tanquam assessores. *Casi. uer. iudicium. Ric. d. 47. ar. 1. q. 7. S. Th. q. 1. ar. 2. q. 1. & a sequent. ibi.*

CONCLVSIO.

Apostoli simul cum Christo Iesu uniuersas gentes iudicabunt. De fide est, & habetur apud Mat. in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

CONCLVSIO.

Cum Apostolis uiri Apostolici, vt pote, religiosi, qui uitam apostolicam, rerum omnium renuntiatione facta seruauerũt, nõ autem reliqui sancti nationes omnes iudicabunt. Hęc colligitur expresse Matth. 19. ex percontatione D. Petri, & Christi Iesu responsione. Dixit enim B. Petrus, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? cui Christus Iesus respõdit, nos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis &c. & uiri religiosi relictis omnib. ad imitationẽ Apostolorũ sequuti sunt Xp̃m.

Hinc, quamuis multi martyres futuri sint religiosis sanctioribus, Christo tamen iudicanti non assidebunt.

CONCLVSIO.

Iudicium Apostolis, & eorum imitatoribus permissum erit ministeriale. Quia uocetenus, uel reuelatione electis, & damnatis sentẽtiã supremi, s. iudicis manifestabunt. Quæ quidem apud D. Mat. posita est ubi dicitur, esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Alioqui enim nulla esset Apostolis cõcessa prærogatiua, cum cæteri modi iudicandi, scilicet, per communicationem, & per assensum, futuri sint omnibus communes.

Art. 2. An Christus Iesus in forma glorioſa, & immortali ſit homines iudicaturus.

Ric. d. 48 ar. 1. q. 2. S. Th. eadem d. ar. 2. & Sco. & Dur. q. 1. Ad Rom. 14. ad Co. 4. Ad Rom. 14.

CONCLLVSIO

Chriſtus Dominus uenturus eſt in forma humana ad iudicandum. Quia dominorum proprium eſt ſeruos iudicare, dicente B. Paul. tu quis es qui iudicas alienum ſeruum, & alibi, qui iudicat me, Dominus eſt. Et Chriſtus Ieſus in quantum homo poſt paſſionem ſuam, cœli, & terræ dominium cõſequutus eſt. Vt idem B. Paul. docuit, dicens, Chriſtus in hoc mortuus eſt, & reſurrexit ut uiuorum & mortuorum dominaretur.

CONCLVSIO.

Apparebitque cum corpore glorioſo, ut in monte Thabor apparuit. Nam, ut in primo aduentu, non ut iudicaret mundum, ſed, ut ſaluaretur mundus per ipſum, in forma humana patibili, & mortali, apparuit, ita in ſecundo aduentu iudicaturus uiuos, & mortuos non in forma humana mortali, ſed immortali, & glorioſa aduenier.

CONCLVSIO.

Venietque ſimul cum poteſtate magna, & maieſtate, & in Dei virtute. Dicitur enim apud D. Matth. Cum uenerit filius hominis in maieſtate ſua, &c. Et iterum amodo uidebitis filiũ hominis ſedentem a dextris uirtutis Dei, &c. ibi per uirtutem Dei intelligitur oſtẽſurũ ſe Deũ eſſe oĩb. creaturis imperãdo.

CONCLVSIO.

Venturus quoque eſt in nubibus cœli. Apud D. Lucam, & apud B. Matth. expreſsè habetur, non, ut illis ſuſtentarentur, ſed, ut ſplendorem, ſui ſplendidiſſimi corporis temperet, ut a malis uideri poſſit. Quemadmodum nubes calorem, & ſplendorem Solis nobis temperant.

1. Diffic. Videbuntne damnati Chriſti Ieſu diuinitatem.

CONCLVSIO.

Nequaquam uidere poterunt. Hæc eſt D. Aug. dicentis, dãnati illam Dei formam, in qua Chriſtus æqualis eſt patri, procul dubio non uidebunt. Haberent namque gaudium beatificum, ſaltẽ ad tẽpus, quod fieri non poteſt. Quia eſt premium.

2. Dif. An iudicium ſit vocaliter, an mentaliter tantum futurum.

Magiſter ſententiarum utranq; partem defendit. Ric. ibidem ex parte uocaliter, & ex parte mentaliter futurum eſſe aſſerit. Ric. ſubſcripſit. Abulen. Matth. 25. q. 233.

CONCLVSIO.

Accuſatio, & defenſio tam electorum, quam reproborum, men-

mentaliter tantum peragentur. Patet ex B. Paul. gentes, quę legem non habent, naturaliter, ea quæ legis sunt, faciunt, &c. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorũ, & inter se inuicẽ cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die cũ iudicabit Dominus occulta hominum, secundum Euangeliũ meum, per Iesum Christum, Vbi apertissime insinuat, cogitatione accusationem; & defensionem esse faciendam. Nam si uoce hæc fierent immensum tempus ferre esset necessarium.

CONCLVSIO.

Mortuorum citatio ad iudicium, & iudicis sententia, quæ apud D. Matth. ponitur, non mentaliter tantum, uerum, & uocaliter fiet. Ratio est, quia quando scriptura sacra sine metaphoris potest declarari, nõ est metaphorice intelligẽda, & de citatione Mat. 24. dicitur, mortuos esse ab Angelis uoce tubæ citãdos. Et c. 25. legitur iudicẽ malis dicturũ. Ite maledicti &c. Et electis, uenite, benedicti, &c. quæ omnia uocaliter fieri possũt. Nã ad hæc peragenda breuissimũ tẽpus erit satis.

3. *Diffic. Separatio electorum a reprobis, estne localiter, an metaphorica intelligenda.*

Soto dicit intelligẽdam esse localiter. Origenes uero super Matth. cap. 25. ut refert Abulensis ibidem, opinatus est per dexteram electorum intelligendam esse notitiã, quam electi suæ salutis habebunt, & per sinistram notitiam reproborum, qua se iuste damnatos esse intelligent. *d. 47. q. 2. ar. 5. Riu. eadẽ d. ar. 1. q. 2. S. Th. q. 1. arti. 2. & Dur. q. 1. 1. ad Thes. sal. c. 4.*

CONCLVSIO.

Non localiter, sed methaphorice separatio illa intelligẽda est. Constat ex B. Pau. ubi de electis ait. Nos qui uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur in aera, & sic semper cum Domino erimus. Quibus uerbis clarissime indicauit, electos in aere reprobos uero in terra futuros esse. Quamobrem differentia a dextris, & a sinistris non est localiter intelligenda. Cum electi sursum & reprobi deorsum in terra futuri sint. *Lucæ c. 11*

4. *Diffi. Finieturne iudicium per iudicis sententiam. Ite maledicti &c.* *Ric. d. 47. ar. 2. q. 1*

CONCLVSIO.

Finietur quidem per illa uerba. Ratio est, quia ibi exprimitur iustorum pœnitentia, & reproborum impœnitentia per omissionem pœnitentiæ exterioris, ut pote, eleemosynæ, quæ est causa remissionis peccatorum, Christo Iesu dicente, date eleemosynam, & omnia munda sunt uobis. *S. Th. q. 2. ar. 2. dur.*

5. *Diffic. Mundus erunne per ignem purgandus.*

Tempore iudicij elementa per ignem purgabuntur. Hæc

colligitur ex sacra scriptura. Dicit enim Petrus adueniet dies Domini, sicut fur, in quo elmenta calore soluentur. Nam cũ elementa sint permista, erunt ad puritatem per ignem reuocanda. Purgatio siquidem per ignem fieri solet.

CONCLVSIO.

Ignis, cum sit elementum simpliciter purum, purgatione non indigebit, hic autem ignis inferior, quia missus est, destruentur. Dicit namque D. Aug. 20. de ciuitate Dei cap. 18. solus ignis ascendat tunc super cacumina montium, quousque aquæ diluuij ascenderunt.

CONCLVSIO.

Aug. 20. de ciuit. Dei ca. 2. Sco. q. 2.

Ignis, quo mundus purgabitur, eiusdem erit speciei cum igne elementari Ratio est, quia diuersitas causę efficientis nõ mutat specificam rei naturam. Nam homo ex propagatione genitus, est eiusdem speciei cum Adam, qui fuit creatus.

CONCLVSIO.

Erit autem talis ignis supernaturaliter genitus. Quemadmodum enim fecit Deus in die diluuij, ut omnes generationes aquarum præter naturalem ordinem ad producendas aquas cõueniret, ita fiet de igne illo. Nam producetur ab igne elementari, & a radijs Solis, habebitque mirabilem, & supernaturalẽ uirtutem, propterea quod non solum ascẽdet, quod est ignis proprium, uerum & descendet, & circũquaq; feretur.

CONCLVSIO.

Ignis ille præcedet iudicium, & subsequetur. Nam dicitur in Psal. 96. ignis ante ipsum præcedet, &c.

CONCLVSIO.

Purgabitque electos, quibus aliquid purgandum restabat, reprobosque torquebit, & cum omnibus mundi sordib. illos in infernum detrudet. Hæc aperte uidetur colligi, ex B. Paul. ita dicente, in reuelatione Domini &c. in flamma ignis dantis uindictam his, qui non nouerunt Deum, &c.

Art. Vltimus An mundus sit innouandus.

Post diem iudicij omnia corpora cœlestia, & elementa innouabuntur. Constat Apoc. 21. uideo cœlum nouum, & terrã nouam. Et 2. Petri 3. nouos cœlos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus; Quæ quidem renouatio non erit alicuius substantiæ creatio, sed alterius nouæ qualitatis productio supernaturalis, & non uiolenta.

CONCLVSIO.

Post diem iudicij cessabit cœlorum motus. Nam Apo. 10. habetur. Iurauit Angelus per uiuentem in sæcula &c. quod

post

postquam Angelus septimus cecinerit, ut mortui resurgant, tempus mon erit ultra, quare neque cœlorum motus. Nam tempus motus primi mobilis est. Tum etiam, quia cessabit rerum generatio, ob quam cœli mouentur.

CONCLVSIO.

Remanebit Sol in oriente, & Luna in Occidente. Quia in his locis fuerũ cõdita. Suntque præcipuæ cœlorũ partes. Vel ut Ric. docet, in illo loco, in quo magis elementis expediet.

CONCLVSIO.

Tunc corporum cœlestium lux augebitur. Nam Isaiæ 30. legitur. Erit tunc lux Lunæ, sicut lux Solis, &c. Vt sancti magis Deum collaudent.

CONCLVSIO.

Habebunt quoque elementa maiorem splendorem, quã nunc habent. Ratio est, nam, ut cœli erunt splendidiores, ita & elementa, quę illis subijciuntur. Verum unumquodque iuxta proportionem suæ naturæ. Nam ignis, ut Luna fulgebit, aer, ut ignis, aqua uero erit crystallina, terra autem, ut uitrum. Vt ex Isaia. cap. 65. Et Apoca. ca. 21. Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam &c.

CONCLVSIO.

Omnia tunc præter elementa destruentur, ut aues, pisces, &c. Ratio est, quia homines illis non indigebunt. Et solum ad humanos usus creata fuere. Elementa uero permanebunt, ut dictum est, propterea quod sint de quidditate orbis.

Duæ fuerunt hæreses circa hanc q. quidam enim dicebant nullum futurum esse iudicium. Alij autem dicebant, iudiciũ uniuersale iam esse factum. Quas confutat Pater a Castro uerbo, iudicium contra hæreses.

FLORES QVÆSTIONIS DE BEATITVDINE.

Hac quæstionẽ distinctio. 49. Magistri explicatur.

Art. 1. An Beatitudo consistat in clara Dei Visione.

VAriæ sunt opiniones, quas Aristoteles, & B. Tho. erudi tissime tradiderunt. *D. Th. 1. 2. q. & sequentib. & DD. d. 49. S. Th. q. 3. Ric. ar. 1. q. 1 et 6. Sho. q. 1. Dur. q. 4.*

Prima opinio dicit, beatitudinem consistere in affluentia, & possessione diuitiarum, quam tenent filij huius sæculi. Beatum (inquit Dauid) dixerunt populum, cui hæc sunt.

Secunda op. constituebat beatitudinem in honore, & reuerẽtia, quæ ab alijs exhibetur, quã amplectebãtur Parisæi. qui amabãt primas cathedras ĩ Synagogis, & salutationes in foro.

Tertia opinio colocabat illam in fama, & gloria humana

Quarta opinio ponebat beatitutinem in potestate imperã

di alijs. Hæ omnes opiniones sunt falsæ, quia beatitudo est bonum per se sufficiens, ut author est Arist. 1. Ethic. quale bonū habet, cui nihil deest. Et cū habētib. diuitias, honorem, famam, & imperiū, multa deficiant, immerito beati appellātur.

Quinta opinio asserit, beatitudinem positam esse in bonis corporis, ut in fortitudine, pulchritudine, & salute, &c. Quod est falsissimū, quia homo fortitudine a Leone superatur, diuturnitate uitæ ab Elephāte, uelocitate a Cerno. uera autē beatitudine homo cætera animalia ineffabiliter uallo excellit.

Sexta opinio asserit, beatitudinem positam esse in affluētia delitiarū. Hic est Saracenorū error, ex quo sequitur, pecudes esse beatas, quod est ridiculum. Anima enim rationalis est capax boni infiniti, & delitiæ corporeæ sunt passiones limitatę, ac diminutæ. Qua ppter in illis nō potest beatitudo cōsistere.

Opinio Catholica sequentibus conclusionibus explicatur.

CONCLVSIO.

Beatitudo obiectiua in aliquo bono creato, non consistit.

Dicit enim Christus, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum, Vbi de bonis creatis, quæ nō explēt animā, cum sint finita loquebatur. Nā beatitudo est status omniū bonorū aggregatione perfectus. Et qui non habet Deum, nō habet omne bonū.

CONCLVSIO.

Pal. 102. Beatitudo obiectiua in solo bono increato sita est. Cōstat apud Ioan. c. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te Deum uerum &c. Et alibi, qui replet in bonis desiderium tuū. Quia habenti Deum per claram uisionem nihil desiderandū restat

CONCLVSIO.

Beatitudo formalis, quæ est uisio, & fruitio Dei, in aliquo bono creato posita est, quia consistit in uisione animæ uidentis Deum, & in eius fruitione, quæ est accidens finitū, creatū.

1. *Dubium. Poteritne anima uidere Deum uisione increata, qua Deus seipsum uidet.*

In 2. d. 7. q. art. 1. Opi. quædā est affirmans, quam citant Greg. & Capreolus.

CONCLVSIO.

In 3. d. 14 q. 1. Impossibile est, uisionē, qua beatus uidet Deum, esse uisionem Diuinam increatam. Nam tunc quicunque beatus comprehenderet Deum, sicut per eandem uisionem comprehendit Deus seipsum. Quid? quod uisio beatifica est causa formalis animæ, cuius causæ defectum Deus supplere haud potest.

1. *Diffi. An formalis beatitudo sit intellectus operatio.*

Tres sunt opiniones. Prima Henrici dicentis, esse illapsum Dei ad animam, quam uocat circumsessionem, id est, intra

mam

nam Dei præsentialitatem ad animæ beati essentiam. Hanc confutat Scotus, ita, ut dicat Soto bene arguere.

Secunda opinio est Aureoli hac distinctione asserẽtis, beatitudinem in gaudio, & delectatione, quæ ex diuina visione emanant, consistere. Contra hanc agit S. Tho. in 1. difficultate sextam opinionem refutans.

Tertia opinio est Durandi, qui est; beatitudinem non solã esse operationem, uerumetiam statum omnium bonorũ &c. *Quæst. 4.*

CONCLVSIO.

Beatitudo propriè est operatio potentiarum, scilicet clara Dei visio, & eius fruitio. Ratio est, quia beatitudo est ultima hominis perfectio, qua maior excogitari non potest, & operatio circa Deum est ultima potentiæ perfectio. Dicitur enim 1. Ioannis. 3. cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam uidebimus eum sicuti est. Definita quoque est in Clementina. Ad nostrum, de hæreticis. *1. Ioan. 3.*

CONCLVSIO.

Operatio potentiæ sensitiuæ non est beatitudo essentialiter. quia Deus non potest cognosci potentia sensitiua, cum sit spiritus, & sensus sola materialia cognoscat.

CONCLVSIO.

Bene tñ operatio potentiæ sensitiuæ, ut uisio corporalis antecedenter, & consequẽter ad beatitudinem pertinet. Rõ est, quia ad beatitudinẽ exigitur fides, q̃ ut docet D. Paulus, est ex auditu. Desideratur ẽt Dei cognitio, quæ ex cognitione sensitiua creaturarum comparatur. Nã inuisibilia Dei creatura mũdi &c. Atq; ẽt consequenter; uã post resurrectionem gloria animæ redundabit in corpus, & sensus corporei perficientur. *Ro. 10. c.* *Ro. 1. &c.*

2. Dif. *Respectu huius operationis, quæ est formaliter beatitudo habent se potentiæ passiuè tantum, an etiam activè.*

Duæ sunt opiniones: Prima Guilel. Ocham. quem sequitur Marsil. qui tenent, intellectum creatum nullam habere activitatem respectu beatitudinis. *in 1. d. 1. q. 2. in 3. q. 10. art. 3. hac dis.*

Contraria opinio est S. Thomæ, & Scot. qui defendunt habere se activè.

CONCLVSIO.

Intellectus creatus, lumine gloriæ informatus, respectu beatificæ uisionis activè se habet: cum uisio ab intellectu tanquã a potentia, & ab essentia diuina tanquam ab obiecto producatur. Nam lumen gloriæ ponitur, ut intellectus obiecto proportionetur, & uires ad producendam beatificam uisionem habeat; non autem ad recipiendam, quia intellectus passiuè *Ric. ar. 4. q. 1. & 4.* *Sco. in 3. dist. 14.*

ex puris naturalibus est infinitæ capacitatis.

3. *Diffi. An beatitudo sit potius intellectus, quam uoluntatis operatio.*

Tres sunt opiniones. Prima D. Bona. dicentis beatitudinẽ non esse actum unius dumtaxat potentiæ, sed utriusq; intellectus, nimirum, & uoluntatis.

Secunda opinio S. Tho. asserentis, beatitudinem supponere pro intellectus operatione.

Tertia opinio est Sco. & Ric. affirmantium perfectam beatitudinem esse uoluntatis operationem, scilicet, amorem erga Deum clare uisum.

CONCLVSIO.

Beatitudo formalis supponit pro operatione uoluntatis, id est, pro amore erga Deum clare uisum, connotando claram Dei uisionem. Hæc conclusio Scoti, est uarijs rationibus demonstranda. Et primum, actus amicitiæ est actus uoluntatis, amor autem amicitiæ est actus uisioni perfectior, tam in uia, quia charitas fide, & spe minor est: quàm in patria, quia actus charitatis est Deo gratior, & acceptior. Est enim actus amicitiæ, quo Deus propter seipsum diligitur, atq; etiã si daremus, per Dei omnipotentiam Petrum uidere Deum, & non diligere illum, uisio Petri tunc non esset a Deo accepta, neq; a Deo diligeretur dicente scriptura, ego diligentes me diligo. Et tandem cẽsetur actus dilectionis perfectior actu uisionis, quia uisio ad dilectionem tanquam ad finem ordinatur, & finis ijs, quæ ad ipsum referuntur perfectior est. Nam ut dicit D. Anselmus lib. cur Deus homo c. 1. Peruersus ordo est, uelle amare propter intelligere, imo intelligendum est, ut amemus. Quare cum actus charitatis sit perfectior actu intellectus, ut constat, quia uoluntas potentia libera est, & beatitudo cum sit ultima hominis perfectio, in operatione perfectissima, scilicet in amore erga Deum clare uisum connotãdo clarã uisionẽ consistet.

Secũdo, Beatitudo est perfectissima unio creaturæ ad Deũ. & perfectior est unio per amorem, quam per uisionem, & apprehensionem, propterea quod per unionẽ charitatis creatura sit unus spiritus cũ creatore. Qui enim adhæret Deo unus spiritus fit cum eo, ut B. Pau. docet, & D. Aug. qui apud S. Th. ita ait, charitas est uirtus, quæ cum nostra affectio rectissima est, coniungit nos Deo &c. & Arist. quoq; dicit, amicitiã esse unam animam in duobus corporibus, & charitas hominis ad Deum perfectissima amicitia est. Dicẽte Christo Iesu, iã nõ dicam uos seruos, sed amicos meos. Quæ quidem unio non fit per solam apprehensionem. Nam si aliquis per potentiã Dei

absolu-

absoluta uideret Deum, & non diligeret illum, non esset beatus. Et tandem, quia ut author est Arist. c. 82. Topic. illud est melius, cuius priuatio est deterior, ut uisus auditu melior est, quia cęcitas est surditate deterior. Priuatio autem dilectionis Dei in beatis esset deterior priuatione uisionis, quia primum esset malum culpæ, cũ ex præcepto beati semper actualiter diligere teneantur. Secundum uero, ut pote priuatio uisionis, esset malum pœnæ. Soto & Caie. respondent, ueram esse Arist. maximã, quando fit comparatio inter actus morales, non autẽ inter actus in genere bonitatis entitatiuæ, & hic (inquiũt) de bonitate entitatiua est sermo. Imo de bonitate morali, qa beatitudo est bonum morale, cum nõ sit homini naturalis, & sic operatio, ut supra diximus, & bonitas moralis in operationib. cõsistat. Qua propter nunc sermo est, non de bonitate entitatiua istorum actuum, sed de morali. Quid? quod actus uolũtatis, cum uersetur circa bonum, intellectus uero circa uerum, erit perfectior actu intellectus, & sanctitas, beatitudoque in actu uoluntatis cõsistet. Propterea cũ premium in patria respõdeat meritis in uia. Tunc enim redder unicuique secundum opera eius, & meritum præcipue consistat in uoluntatis operatione, in eadem profecto positum erit, & præmiũ, nẽpe beatitudo. Respondẽt oppositam opinionem defendentes, præmiũ uoluntatis esse uidere Deũ, & iuxta quantitatem meritorũ dari uisionem. Hęc responsio ita refellitur. Volũtas magis diligit suum actum, id est amicitiam erga Deum, quam uisionem: si enim beatis daretur optio, potius eligerent uisionis carentiam, quam unum ueniale peccatum committere, quamobrem magis beati amorem, quam uisionem faciũt & ex consequenti amor præmiũ, & ultimis finis erit, cum finis ultimus sit id quod magis & amatur, & desideratur. Ad hęc, obiectũ beatificũ est Deus sub ratione summi boni, quia sub hac ratione est ultimus finis, ultra quem nihil desiderare possumus, & summum bonum est uoluntatis obiectũ, ergo uolũtatis operatio erit proprius actus circa hoc beatificũ obiectũ. Eiusdem enim potentię sunt actus, & obiectum. Nam falsissimum esset affirmare coloratum esse uisus obiectum, & operationem circa coloratum esse alterius sensus. Respondent aduersarij, esse quidem ultimũ finem uoluntatis, ceterum uoluntatem non consequi per suum actum hoc summum bonum, cum non sit potentia apprehensiua, sed per actum intellectus, id est, per claram uisionem. Sed in hanc responsionem ita insurgo, facta obiecti beatifici apprehensione intellectus circa illud,

non

non tanquam circa ultimum finem proprium, sed tanquã in ultimum finem uoluntatis operatur, uoluntas aũt circa illud, tanquam circa proprium obiectum, uersatur, ergo erit beatitudo actus magis proprius uoluntatis, & ab ipsa potius, quam ab intellectu elicitus; cum tũc circa proprium obiectũ operetur. Percuntaberis, quomodo intellectus accipit Deum. Resp. sub ratione boni ueri, formando hanc propoſit. hoc est bonũ verum, & non apparens, amabile super omnia.

Et uoluntas, dices, qũo in Deum fertur. Resp. Desiderãdo illi omne bonum. Item ordo Seraphin, qui excellit dilectione, est præstãtior ordine Cherubin, qui excellit sciẽtia, ergo in patria dilectio cognitione ẽ præstãtior, & in illa beatitudo, quæ est ultima hominis perfectio, cõsistet. Postremo beatitudo formalis est actus, in quo quiescit anima qui ad aliũ actũ non ordinatur, & cum uisio ad amorẽ ordinetur, in amore, & non in uisione erit animæ quies. i. formalis beatitudo constituenda.

Iam respondeamus, oportet, argum. quibus contraria opin. roboratur. Primo obiiciunt locum B. Io. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te Deum uerum, &c. Secundo authoritatem B. Aug. dicentis, uisio est tota merces. Tertia adducunt Arist. dicentem, fœlicitatem consistere in contemplatione rerũ separatarum. Quarto eundem Arist. citant affirmantem; beatitudinem esse bonum sufficiens: sola autem clara uisio est bonum sufficiens. Ostende nobis patrem, dixit B. Phi. & sufficit nobis: quare colligitur hinc apertissime beatitudinem esse solã Dei cognitionem, quæ est intell. operatio. His quatuor authoritatib. una solutione, uel altera satisfacere possumus. Quæ est patris a Cast. uerb beatitudo, hæresi 4. Estq. primum animaduertendum, uitam æternam in sacris literis aliquando uocari fidem, qua ad uitam æternam peruenitur. Vt Io. 3. qui credit in filium Dei, habet uitam æternam. Non dicit, habebit, sed hẽt, quæ est fides, & ita intelligendus est locus Io. 17. de fide uiatoris, quæ a Christo Iesu uita æterna nominatur. Quia certissima, & necessaria uia est perueniendi ad uitam æternam. Hæc declaratio est B. Cyrilli, quem pater a Cast. ibidem citat, illũ omnino lege. Vel resp. cum D. Bon. & Ric. claram Dei uisionẽ in Sacra scriptura, & a sanctis uitam æternam, & beatitudinẽ nominari, non quod sit sola uisio præcipua beatitudini pars, sed quia per solam uisionem animæ huius status a beatis distinguuntur. Non. n. comprehensores a uiatorib. iustis per dilectionem distinguuntur, cum Deus charitate eiusdem rationis utrobiq. diligatur (dicente D. Pau. charitas nunquam excidit)

dit)sed differunt:quia nos ambulamus,per fidem, illi autem per spem.i per claram Dei uisionem.Ita respondet D.Bon.ad 2.ubi uisio tota merces.i.totum præmium beatificum esse dicitur.Propterea quod in patria a uisione incipit status:quēadmodum hic status a fide inchoatur. Inde tamē non sequitur, dilectionem non esse præcipuam beatitudinem:hac solutione cæteris authoritatib.facillime satisfacies.

Præterea argum. Beatitudo est habere Deum præsentē,qui non habetur præsens per actū uoluntatis,sed intellectus,quia uoluntas duas tantum habet operationes, nempe desiderium rei absentis,& delectatione rei præsentis. Prima non est beatitudo:quia Deus,quamdiu desideratur, non habetur.neque secunda:quia delectatio uoluntatis non facit Deum præsentē, sed præsupponit eius præsentiam per uisionem intellectus.Respondeo minorem esse falsam.Nam præter desideriū,& delectationem,habet uoluntas amorem,& gaudium prēsens.Nam S.Th. affirmat,beatos in patria habere perfectum dilectionis actum.i.amorem rei præsentis,quem perfectam,& formalem beatitudinē esse diximus. Insurges. Beatitudo est assequutio ultimi finis,quæ fit tantum per actum intellectus,qui est potētia apprehensiua,& assequutiua, & nō per actum uoluntatis, quæ non apprehendit,sed appetit tantum,ergo &c. Respon. Beatitudine obiectiua per solum intellectus actū, assequimur Deum.i.habemus Deum præsentem per notitiam intuitiuā: at uero de beatitudine formali, de qua est modo sermo, minore est perneganda.Nam etiamsi uoluntas sit potentia tantū appetitiua,& non apprehendat obiectum beatificum:nihilominus tamen beatitudinem formalem,quæ est amor amicitię acquirit:quia, ut uoluntas habet habitus acquisitas morales: ita quoque acquirit per proprium actum beatitudinem formalem,quæ est permanens per modum habitus.i. difficulter, uel nunquam a subiecto separabilis. Tum, disputant in solutionē;uisio beatifica est beatitudo formalis, ergo intellectus non solum assequitur beatitudinem obiectiuam,uerū,& formalem.Antecedens est falsum. Nam impossibile est formam aliquam inhærere subiecto, & non denominari subiectum a forma inhærente,ut parietem albedine esse affectum, & non denominari album,& cū anima rationalis possit uidere Deū, & non esse beata,si Deus cum uoluntate ad eliciendū amorē non concurreret,non erit profecto uisio beatitudo formalis, quæ est nostra opinio.

Præter hæc,ita in cōtrarium agunt. Reprobi pœna damni,

ideſt

ideſt, priuatione beatitudinis puniuntur. conſiſtit igitur beatitudo in operatione ſolius intell. ſequela patet. Nam, uel torquentur, quia uiſione, uel eius amore priuantur; temerarium autem eſſet dicere, quia non poſſunt diligere, eſſet. n. actus perfectionis quare torquentur, quia priuantur uiſione diuina quæ eſt beatitudo. Conſequentia eſt neganda. Et ad confirmationē reſpondetur, damnatos puniri pœna damni. i. torqueri priuatione illius ſtatus beatifici, non cogitantes cōſiſtatne beatitudo in amore, aut in uiſione. Veruntamen ſit ita ut aliquis damnatus Theologus habeat Sco opin. Si ille torqueretur priuatione amoris Dei clare uiſi, ſequeretur illum amare Deū, quia illa affectio actus amoris eſt. Reſpō. Amaret Deum amore concupiſcentiæ, ut ebrius amat uinum qui amor eſt uitioſus, quando in eo ultimus finis collocatur. Tum, finis ſenſibilis non habetur per actum potentiæ appetentis, ſed apprehendentis; ut non apprehendimus pecuniam per amorē uoluntatis, neque fiunt homines diuites per ſolum diuitiarum amorem, ſed per potentiam apprehenſuam. ſ. per manum, qua apprehendit diuitias, ergo a ſimili in diuitiis ſpiritualib. Deus. n. non habetur per actum uoluntatis, ſed per actum potentiæ appræhenſiue, nempe, per intellectus uiſionem. Reſp. Verū quidem eſt intellectum apprehendere obiectum. ſ. Deum, non tamen inde ſequitur, animam per difectionem uoluntatis non uniri ultimo fini, quæ quidem unio per amorē eſt perfectior obiecti aſſequutione.

Rurſus obiiciūt. Beati per beatitudinē efficiūtur Deo ſimiles, cum apparuerit ſimiles ei erimus; efficimur aūt Deo ſimiles per ſolam uiſionem, quæ eſt obiecti ſimilitudo, ergo ſola clara Dei uiſio erit beatitudo. Reſp. Efficimur quidē Deo ſimiles per beatitudinē minus principalem, quæ in uiſione conſiſtit; at uero per magis principalem Deo; ut ſup diximus, unimur. Iterum ſic impugnare conantur Sco. concl. Operatio uoluntatis præſupponit beatitudinem, ergo non eſt beatitudo. Nam præſupponit præſentiam obiecti. i. illius præcognitionem: quare præcognitio illa erit beatitudo, quæ nihil aliud ē, quam habere Deum præſentem. Et confirmatur. Beatitudo uoluntatis eſt eius ultimus finis, in quo eius deſideriū quieſcit, & talis eſt clara Dei uiſio. Nihil. n. amplius, quam Deum uidere, deſiderant. Neganda eſt conſequentia. Et ad probationem reſpondetur, aſſequutionem obiecti non eſſe principalē beatitudinem, ſed eſſe ſolum apprehenſionem obiecti beatifici, cuius præcognitio eſt neceſſaria, ut uoluntas in Deū per amorem,

rē,qui est formalis beatitudo,feratur.Sic sublato quidē amore per Dei potentiam,& sola uisione manente non esset beatus,ut sup.diximus.Tum etiam, si ultimus finis uoluntatis sumatur,non pro re,quæ est finis,qualis est Deus,sed pro operatione circa ipsum finem,uisio intell. non erit uoluntatis erga Deum clare uisum.Nam, ut in uia finis præcepti est charitas; ita & in patria finis uisionis est charitas.

Vltimo cum D.Bon.argum.Et probo beatitudinem in operatione utriusq. potentiæ existere per extrauagā. Benedictus Deus,quam refert Pater a Cast.uer. beatitudo,hæresi 6,ubi definitur,beatitudinem esse Dei uisionem,& eius fruitionem,& non unam tantum operationem.Totum concedo: hic tamē non disputamus,nisi quę istarum operationū sit principalior, & in qua potius beatitudo consistat.

2.*dub.clara Dei uisio estne intellectus practici, vel speculatiui operatio.*

Ric.hac dist.respondet intell. beati magis esse practicum, siue effectiuum,quam speculatiuum. Et ratio illius est, quia contemplatur Deum non solum propter scientiam, sed ut ipsum diligat,quæ dilectio est operatio circa Deum.Ricard.sequitur Sco.S.Th.dicit simpliciter esse speculatiuū: quia principalior intellectus beati operatio, est speculatio, sed contra hanc rationem est proxima difficultas.

4.*Diffic.Estne fruitio uoluntatis amor.*

Duæ sunt opi.D.Bon.Ric.& Sco.affirmant fruitionem esse actum elicitum a uoluntate.Samorem amicitiæ S.Th. & alii afferunt esse potius delectationem,uel actum intellectus. Sodicit usq. ad Sco.neminem dixisse amorem esse fruitionē:cū tamen id affirmauerint,Ric & D.Bon.& Sco.fuerit dubius. Nam dicit fruitionem esse amorem,uel delectationem.

CONCLVSIO.

Fruitio in rigore sermonis sumpta non est actus a uoluntate elicitus,sed a potentia apprehensiua,& ab appetitiua imperatus.Quia fruitio a fruor,idem est,quod fructus assequutio. Quæ quidem assequutio fit per apprehensiuam. Nam appetitiua solum concupiscit fructum.

Hinc,hæc propositio in rigore sermonis.s. uisio est fruitio est uera,ut S.Th.docet.Est.n.assequutio fructus.i.ultimi finis beatifici,estq. uoluntatis fructus,& assequitur illum per intellectus operationem.

CONCLVSIO.

Si fruitio pro fructu accipiatur, actus a uolūtate elicitus.i.

amicitiæ amor est. Quia fructus est ultimum quod ex re cõcupita expectatur. Qualis est actus amoris in patria. Nam postvisionem obiecti beatifici sequitur amor, in quo quiescit uoluntas. Dicit B. Aug. frui esse amore inhærere alicui rei pp se ipsã.

CONCLVSIO.

Fruitio aliquando nõ pro uoluntatis, aut intellectus actu, sed pro delectatione, quæ ex assequutione rei cõcupitæ insurgit, accipitur. Cõstat ex D. Aug. dicẽte, hoc est plenũ gaudiũ nostrũ, quo amplius non est maius, frui Trinitate. Vbi fruitionẽ gaudiũ appellat. Et ita intelligitur locus B. Pau. Ego te fruar in domino, i. gandebo amore tuo secundum Deum. Non. n. fruar, amabo ibi significat. Quia iam illũ in Domino amabat.

Hinc, sequitur ueram esse Sco. opi. qui dicebat fruitionẽ sumi aliquando pro amore; quandoque uero pro delectatione, quæ ex amore amanat.

Tho. 2. 2. q. 11. ar. 2 & Sco. q. 8. dist. 49. & in 1. d. 1. q. ult.

5. Diffic. An fruitio etiam brutis conueniat.

CONCLVSIO.

Fruitio in reb. inanimatis nõ reperitur. Rõ est, quia fruitio præsupponit finis assequutionem per propriũ imperiũ, & res inanimatæ suum finẽ per proprium imperium nõ assequũtur.

CONCLVSIO.

Est autem perfecte in creatura rõnali fruitio. Propterea qđ, fruitio perfecta præsupponit perfectam finis cognitionẽ, quã sola creatura rationalis consequitur. Quia cognoscit non solum finem ultimum. s. Deum, tamquam bonum, uerum etiam bon i definitionem.

CONCLVSIO.

Imperfecte uero in brutis locũ habere dicitur fruitio. Quia imperfecte finis cognoscitur. Bruta. n. finem apprehẽdũt quid ditatem autem finis cognoscere nõ possunt. Quæ duo ad perfectam cognitionem desiderantur.

Th. ar. 3. ubi sup. et Scot. in 1. d. q. 1.

6. Diff. An fruitio sit tantum in ultimi finis assequutione.

CONCLVSIO.

Fruitio simpliciter sumpta de ultimo fine uero, apparente, aut præfixo esse potest. Constat ex Aug. dicente, fruimur cognitis, in quib. uoluntas delectata conquiescit, quæ quidẽ simpliciter nunquam, nisi in ultimo fine quiescit. Quamdiu. n. aliquid expectat, non quiescit atq. ita, ut simpliciter re fruatur in ultimo fine quiescere debet.

Hinc, si finis ultimus fuerit, uerus. s. Deus Opt. Max. fruitio erit actus latrię. v. g. amor, seu Dei dilectio.

Quando uero finis ultimus fuerit apparens, uel præfixus, eius

eius fruitio erit idolatriæ actus. Omnis.n. fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, inquit B. Pau. Cuius rei rō est, quia huiusmodi peccatores in his peccatis ultimum finem constituunt, & illa, tanquam Deum, diligunt.

CONCLVSIO.

Fruitio secundum quid est amor amicitiæ, quo plerunque non solū Deū, uerum & creaturas propter Deum diligimus. Hoc.n. modo B. Pau. Philemonem diligebat, & sancti uirtutes amabant. Et hoc modo sunt multæ authoritates, quæ oppositum sonare uidentur, de fruitione secundum quid declarāde.

7. dif. An peccans mortaliter aliqua creatura fruatur.

Sensus. An peccator adeo diligat peccatū, ut si daretur electio, potius eligeret Deum annihilari, quam a peccato cauere. Duæ sunt opin. prima Sco. & aliorum. s. omnem peccatorē diligere creaturam plusquam Deum. Secunda est Adriani, qui illud negat.

CONCLVSIO.

Si fruitio pro amore erga ultimum finem sumatur, nō omnis peccans creatura fruitur. Quia ultimum finem, & fœlicitatem in peccato non omnis peccator constituit, ita ut peccare potius, quam Deum esse malit. Tales sunt qui zelo Dei indiscreto peccant: de quibus B. Pau. æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Tales sunt etiā, qui peccant spe ueniæ, ut Adam peccauit.

CONCLVSIO.

Omnis mortaliter peccans, uel simpliciter, uel secundum quid creatura frui dicitur. Simpliciter quidē, qui in creatura ultimum finē constituit. Contra quem D. Aug. ait, summa peruersitas est, frui utendis. i. diligere creaturā propter se, quæ est propter aliū diligenda: ita ut in illa ultimus finis cōstituatur. Secundum quid uero, fruitur creatura, qui amore sui illam amat. Nam duo inquit D. Aug. amores ædificarunt duas ciuitates, & amor Dei, &c. Hic autem in seipso ultimum finem non constituit, ut qui spe ueniæ peccat.

3. Dub. Peccans mortaliter qua creatura fruitur actune peccati, an obiecto, uel supposito in seipso.

Sco. seq. concl. defendit.

CONCLVSIO.

Peccator non obiecto peccati, neq. ipso peccato, sed seipso fruitur. Rō est, quia amor amicitiæ, qui est fruitio, præcedit amorē concupiscentiæ, & peccator amore amicitiæ diligit seipsū; peccatū uero, & peccati obiectū amore cōcupiscētię amat.

Hinc,

Hinc, diligẽtes Deum inordinate seipsis, & non Deo fruebantur. Tales fuerunt Apost. interfectores, & B. Pau. qui de se ipso ita ait. Audistis. n. conuersationem meã, aliquando in Iudaismo, quoniã supra modum persequebar ecclesiã, & expugnabam illam, & proficiebam in iudaismo supra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existẽs paternarum mearum traditionum. Vbi aperte testatur zelo, & amore paternarum traditionũ, & proprii honoris, & zelo Dei indiscreto se Dei ecclesiam fuisse persequutum.

Hinc, qui se in ordinat morti pro defensione patrię, & amicorum exponit, seipso, & non patria, aut amicis fruitur. Quia ignominiosum sibi esse existimat, amicos non defendere.

Idem dicendum est dẽ illo, qui, ut miseriam fugiat, laqueo se suspendit, uel aliquo quouis modo interimit. Quia amore sui facit. Duo. n. amores, &c. ut Aug. docet.

8. *Diffic. An fruamur non solum fine iam obtento, uerumetiam sperato.*

Tho. i. 2. q. 11. ar. ult. Ri. d. 49. art. i. q. 2.

De utroque fine est fruitio. Et rõ est, quia uiatores iusti beati appellantur. Atque ita frui dicuntur. Fruitio, n. idẽ est quod beatitudo, uel in spe, uel in re; beatitudo tamen in uia improprie fruitio nominatur, propterea quod, appetitus donec appareat Deus Opt. Max. non satiabitur.

Art. 2. Habetne homo naturalem appetitum beatitudinis in particulari, s. uidendi Deum.

Hæc d. 49 qi. 9. & 10. & q. i prol. Ric. ar. 2. q. 2 Dur. q. 8.

Duæ sunt opi. prima Caie. negans. Secũda cõtraria Sc. quæ fuit olim Bon. & Ric. hac d. quos sequuntur Dur. & So.

Homo naturalem habet inclinationem ad Deum uidẽdũ. Est. n. naturalis inclinatio aptitudo, siue potẽtię passiuę ad formam, qua subiectum perficitur, & in qua quiescit. Quæ quidẽ inclinatio non est habitus distinctus a natura; sed ipsamet natura suæ perfectionis capax. Et hõ cũ ultimate perficiatur uisione, & fruitione diuinæ essentiæ, & in illa quiescat, naturaliter ad ipsam inclinabitur. Tum ẽt, quia naturale dicitur, quod omnibus hominib. ratione utentibus commune est. Et desiderium uidendi Deum ẽt infideles habent. Nam rogati an cupiant uidere Deum, respondent: Vehementer desideramus.

CONCLVSIO.

Beatitudinis tamen consequutio est supernaturalis. Definita est in clem. ad nostrum. de hæret. Verum de hac concl. latius infra.

1. *Diffic. An cognita beatitudine homo necessario habeat hunc actum, uolo beatitudinem.*

Hic agitur de appetitu libero, & sunt de hac difficultate tres opi-

opiniones. Prima Henrici, quem citat, & refutat Sc. scilicet. beatitudinem in generali, quę nihil aliud est, quam uelle bonum sufficiens, siue illa beatitudo in obiecto creato, siue in creato constituatur, necessario uoluntas habet eius uolitionem, non tamen uult necessario istā beatitudinem in particulari, quę in clara Dei uisione consistit. *In i. d. 1. q. 4. & hac. d. q. 9.*

Secunda opinio est S. Th. qui duo dicit. Primum est beatitudinem in communi uult homo appetitu elicito quantū ad specificationem actus, non tamen quantum ad exercitium. 2. est, beatitudinis in particulari potest uoluntas habere nolitionē, quia potest dicere, nolo uidere Deum, sed frui semper uita præsenti. Tertia opinio est Scoti. Quæ solum differt a S. Th. penes beatitudinem in particulari consideratam, Dicit enim non posse habere uolitionem in particulari beatitudinis, sed necessario uelle illā quoad specificationem actus, non tamen quoad exercitiū. Hęc est Sc. sententia licet alijs uerbis opposita. *1. 2. q. 5. art. 8. & q. 10. art. 1. & 2.*

CONCLVSIO.

Beatitudinē in cōmuni sm rationē generalē tantū cognitam quoad specificationē actus, licet nō quoad exercitiū homo necessario, optat, id est, necessario elicit hūc actū, uolo esse beatus, ut Sc. declarat. Ratio est, quia cū in beatitudine generali nulla appareat ratio mali, immo omnis boni necessatio uoluntas circa illā quoad specificationē actus operabitur, nō tamē quoad exercitiū, Quia cū sit libera, suā operationem suspendere, & ex consequenti nullum actum elicere poterit.

CONCLVSIO.

Circa beatitudinem in particulari, s. claram Dei uisionem potest homo habere hunc actum, nolo istam beatitudinē, unde non necessariā, sed liberam omnino, & quantum ad actus specificationem, & quantū ad exercitium se habet. Nā potest homo ultimum finem in creatura constituere, illa fruendo, quæ este B. Aug. est summa peruersitas & ex consequenti potterit nolitionem habere. Nullus siquidem duos ultimos fines habere potest. Hoc perditissimi homines testantur. Quib. si daretur optio, potius uitam præsentem, quā futurā eligerent.

2. *Diffic. An damnati naturalis beatitudinis appetitum habent.*

CONCLVSIO.

Habent quidē. Et ratio est, quia talis appetitus non est habitus, aut actus elicitus, sed natura habens aptitudinē, & potentiam passiuam ad propriam perfectionem. Et hac de causa manēte natura idem appetitus, & cæterę proprię passiones, ut risibilitas, & cæte. manent.

3. Diffic. An habeant damnati actum elicitum beatitudinis.

Sco. eſt ubi ſup.

CONCLVSIO.

De facto actuale deſiderium beatitudinis, non abſolutum, ſed conditionatum habent. i. uellent eſſe beati, ſi fieri poſſet. Ratio eſt; quia patiuntur pœnam damni, quæ eſt dolor priuationis, & beatitudinis, quem dolorem, & triſtitiam non paterentur, ſi uolitionem conditionatam beatitudinis habere nõ poſſent. Quia nullus priuatione, aut carentia alicuius rei triſtatur, niſi rei, quam habere cupit.

4. Diff. actus, quem hom⁹ beatitudinis, in communi habet, eſſne liber, an naturalis.

1.2.q.10 ar.2 Ric. d.49 ar. 2.q.1.2. & 3.

Duæ ſunt opin. prima Sco. ubi ſup. dicentis eſſe actum liberum. Secunda & contraria S. Th. aſſerentis uoluntatem reſpectu ultimi finis in communi non eſſe liberam, ſed naturalem tantum potentiam.

CONCLVSIO.

Volitio beatitudinis in cõmuni non eſt naturalis operatio, ſed omnino libera. Probatur; quoniam uoluntas libera libertate contradictionis, eſt abſolute libera, & cum uoluntas eliciat hunc actum. ſ. volo beatitudinem in cõi libera libertate cõtradictionis; quia põt elicere, aut non elicere, erit profecto omnino libera. Deinde libere, & naturaliter operari cõtrarie opponuntur, & eidem potentiæ nullo modo conuenire poſſunt. Quia naturale agens eſt determinatum ad unum oppoſitorum; liberum autem ad utrumlibet. Quamobrem ſi uolũtas aliquo modo naturaliter operatur, habebit contrarios operãdi modos, eritq. determinata, & non determinata ad unũ oppoſitorum, quod implicat contradictionem. Tum confirmatur. Repræſentata beatitudine in communi. ſ. bonum eſt hominem eſſe beatũ, nõ autem hac, aut illa beatitudine, põt uoluntas elicere, aut non elicere hunc actum. ſ. uolo eſſe beatus, ergo hic actus erit ſimpliciter liber. Nam tota uolũtatis libertas eſt, quando appoſitis omnibus ad agendum neceſſariis, poteſt contradictorie elicere, aut non elicere actum, quãuis contrarie non poſſit. Iam in contrarium obijcio. Actus uolũtatis eſt elicitus ſecundum inclinationem naturalem, ut ex ſuperio rib. conſtat, quare erit naturalis, & non liber. Reſpon. Eſt ſecũdum quid naturalis; non autem abſolute, ut ex probationibus concl. conſtat. Secundo argumentantur. Potẽtia naturalis eſt ad unum oppoſitorum determinata; uoluntas autem determinatur ad hũc actum, uolo beatitudinem in communi, nec poteſt oppoſitum uelle; ergo reſpectu huius actus erit potẽtia naturalis.

turalis. Resp. Minor est falsa. Quia non determinatur natura respectu illius actus est potentia libera libertate contradictionis, ut ex dictis constat. Tertio respectu finis in communi nõ est consultatio, neque discursus, sed respectu mediorum; ergo neque in uoluntate erit libertas respectu finis in cõi, quia fundamentum libertatis in uoluntate est discursus in intellectu. Resp. Licet non sit deliberatio de fine, est tamen libertas saltẽ contradictionis, & fundamentum libertatis esse discursum in intell. est falsum. Nam uoluntas diuina est libera, & tamen non discurrit, sed usus rõnis circa discursum dicitur esse libertatis fundamentũ. Vltimo ita agũt. Vt se habet intel. respectu principiorum, ita uoluntas respectu finis in communi, & cum intell. necessario primis principiis assentiatur, & uolũtas quoque necessario circa finem in cõi operabitur. Resp. Maior simpliciter est falsa. Nõ n. ita se habent, ut utrobiq. sit necessaria operatio, sed quia, ut intell. colligit concl. ex principiis, & cõclusioni propter principia præstat assensum; ita, & uoluntas eligit media propter finis consequutionem.

5. Diff. An homo ex puris naturalibus Deum uidere possit.

Idest, an intellec. separatus in gratia existens possit uidere Deum ex solis uiribus naturæ secluso lumine gloriæ; quemadmodum anima separata naturaliter Angelum uidere potest. De fide tenendum est nullum intell. creatum, quantũuis gratiæ plenum posse naturaliter uidere Deum; quin per qualitatem supernaturalem ad hoc eleuetur. S. Th. & Ric. tenent hãc esse causam. s. quia omnis creatura est quodam modo materialis; Deus autem omnino immaterialis. Sco. ratio est, quia Deus ad extra est obiectum uoluntarium, & non naturale, & ita nõ est in potestate intellectus creati naturaliter uidere Deũ, aut habere illum præsentem, quod idem est. Nam quod est in uoluntate solius Dei, & non alicuius causæ secundæ, supernaturale est. Hæc est uis, & ratio Sco. ut ex eius litera constat. Angelus autẽ unus naturaliter alio, uel ab anima separata uidetur: etiamsi uideri nolit, non tamen obiectum increatum, cum sit uoluntarium. Quia quicquid operatur ad extra, operatur contingenter, & uoluntarie. 1.p.q. 12. art. 4. & 1.2.qõ. 5. ar. 5. Sco. q. 11. Ri. ar. 2. q. 6. & ar. 3

CONCLVSIO.

Homo, & Angelus uiribus naturæ, etiamsi in gratia existãt beatitudinem consequi haud possunt. Inquit. n. B. Pau. per fidem salui facti estis, & hoc non ex uobis donum Dei est. Et iterum gratia Dei uita æterna, quare non ex naturæ uiribus. Et Mat. 11. nemo nouit filium, nisi pater, &c. aut cui filius uo-

luerit reuelare. Et oppositum est condemnatum in cle. ad nostrum, de hæret. in 6.

In 3. d. 14. ar. 1. q. 3.

6. Diff. An essentia Dei ab intellectu creato per aliquam speciem, aut similitudinem uideatur.

Ric. uarias affert opi. Duæ tamen sunt præcipuę. Vna S. Th. *1. p. q. 12 arti. 2. & q. 5. ar. 3* qui dicit implicare contradictionem, ut Deus per aliquā speciem supplentem uicem obiecti, uideatur. Altera est *Sco.* asserentis posse dari speciem per quam Deus abstractiue, & distincte, non tamen perfecte cognoscatur. Hæc tamen opin. licet *Sco. in 2. d. 3. q. 9.* quibusdam primæ contraria uideatur, non tamen est.

CONCLVSIO.

Possibile est dari aliquam speciem, quæ repræsentet naturaliter Deum, qua notitia distincta: non tamen quidditatiua de Deo habeatur. Constat ad Ro. i. c. ubi docet d. Pau. cognouisse gentes Deum sing. sub rōne æterni, quæ est solius Dei proprietas. Nam dixit, inuisibilia Dei a creatura mundi per &c. Et in hoc sensu loquitur Sco. nunquam. n. differunt, an posset dari spēs intelligibilis, per quam intell. creatus quidditatiue, & essentialiter Deū cognoscat, sed abstractiue & distincte tantū, arq. ita non contradicit S. Th. qui loquitur de notitia quidditatiua Dei, quæ est notitia eius existentiæ, & essentiæ.

CONCLVSIO.

Implicat ēt per diuinam potentiam dari aliquam speciem intelligibilem, quæ repræsentet diuinam essentiam quidditatiue, & a qua uisio beatifica partialiter producatur. Ratio est, quia materiale, qualis est species, non potest omnino immateriale representare. s. Deum. Et quia nulla causa secunda, ut est species, potest causæ primæ supplere actiuitatem.

CONCLVSIO.

Essentia diuina immediate unitur intellectui comprehensoris ad beatificam uisionē, producendā. Rō est, quia notitia non a sola potētia cognoscēdi: uerumēt ab obiecto producē.

1. Dub. essentia diuina potest inhærere creato intellectui, quando eidem unitur.

R. aliqua duo dicuntur uniri, quando ex illis fit unum quaeunq. unitate, atque ita ex diuina essentia, intellectu creato fit unum principium actiuum totale ex duobus partialibus. ex intellectu, & essentia. Et nota essentiam diuinam non solū concurrere cum intellectu in genere causæ efficientis, uerum etiam efficere intellectum secundum. i. constituere intellectū in actu, quia facit illum productiuum. Nam ut in nobis intellectus, & species constituunt memoriam secundam, de qua

produ-

producitur notitia obiecti creati, ita diuina essentia quæ supplet uicem speciei, & intell. creatus constituunt memoriam, a qua notitia beatifica producitur.

7. Diff. An intellectus creatus ad uidendum Deum aliquo lumine creato supernaturali indigeat, ut notitiam beatificam producere possit.

Variæ sunt opi. Prima est Sco. quæ falso ab aliquibus intelligitur. Nam in 3. dixit intellectum creatum respectu notitiæ beatificæ si tantum mere passiue se haberet, non indigere necessario lumine gloriæ: at uero cum se habeat actiue lumine gloriæ opus habet. Hæc est sententia Sco. illic, & hac d. Durã. tres citat opi. Prima tenet intellectum creatum uidere essentiam diuinam per speciem ex parte obiecti, & per lumen gloriæ ex parte potentiæ. Altera & prima in ordine neutrũ requirit dicit. Et hanc amplectitur Dur. *in 4. d. 14 q. 1. & 2. & in 4. d. 49. q. 12*

Vltima opi. est S. Th. asserentis lumen gloriæ ex parte potentiæ desiderari; nõ tamen ex parte obiecti dari aliquam spẽm.

CONCLVSIO.

Non põt intell. creatus essentiæ diuinæ producere notitiã, quæ sit eiusdem essentiæ intuitiua, nisi per lumẽ gloriæ eleuetur. Definita est per Concilium Viennense. De quo quidẽ lumine scriptum est in Apoc. claritas Dei illuminabat illã. s. beatorum societatem Deum uidentiũ. Quo lumine beati Dei formes, & Deo similes efficiuntur. Dicente B. Ioanne cum apparuerit, similes ei erimus, & uidebimus eum, sicuti est.

CONCLVSIO.

Deus Opt. Max. potest actionem luminis glorię supplere, ita, ut intell. mere passiue se habeat recipiendo ab eo notitiã beatificam, & per illam uideat. Et ante probationem nota breuiter ex Sco. contra Th. Aliud esse producere notitiam: aliud uero per illam operari. Nam fieri po test, ut intell. operetur, & nullo modo notitiam producat. Prophetæ namq. intelligebant per notitias a solo Deo infusas, quas nullatenus produce bant. Relationem autem esse notitiæ productionem negabit nemo. Quod Sco. demonstrauit dicens ita, reuelãs hanc, Deus est, trinus, & unus, causat aliquam notitiam huius ueritatis.

Iam probatur concl. Aliud est intellectum esse productiuũ notitię, aliud uero operatiuum, &c. Ad operationem autem non requiritur lumen gloriç, sed solum ad productionem, qã quamuis intell. noster non haberet, tunc lumen gloriç posset per notitiam operari. Minor constat. Quia per notitiam iam productam, & potentię inhęrentem operatur, & intelligit na-

turaliter potentia ipsa. v. g. cœcus recepto uisu a Christo naturaliter uidit, & prophetæ recepta reuelatione naturaliter intellexerunt. Non. n. poterat intell. tũc nõ intelligere: qua propter supernaturalis nõ constitit in operatione, sed in notitiæ productione. Nam, ut aliud est cœcũ uidere: aliud aũt cęco visum præstare; ita in patria, aliud est notitiã producere, aliud ãt uidere. Primũ. n. est supernaturale, & secundũ naturale. Deum autem istam actiuitatem luminis gloriæ posse supplere patet, cum possit cuiuscunque causæ secundæ supplere actiuitatem.

S. Th. 1. p. qõ. 17. art. 7. Sco. Sco. li. 3. d. 14. ubi supra.

Art. 3. Potestne intellectus creatus comprehendere Deum.

CONCLVSIO.

Si notitia apprehensiua pro cognitione, qua *obiectũ* perfecte, quãtũ cognoscibile est, cognoscitur, sumatur, *nullus* intellectus creatus, sed solus Deus seipsum comprehendit. Quia cũ sit infinita notitia, est infinitæ perfectionis cognoscibilis, quã quidem nullus intell. creatus habere potest. Quia non est maior uisio intell. creati, quam fuerit lumen gloriæ, & nullus intellectus creatum infinitum lumen gloriæ habet. Vnde dicitur magnus consilio, & in comprehensibilis cogitatu.

Ierem. c. 32.

CONCLVSIO.

Si notitia cõprehensiua pro beatitudinis possessione capiatur, quicunq. beatus per intellectum Deum comprehẽdere dicitur. i. habere Deum præsentem. Ait. n. D. Pau. *sic currite* ut comprehendatis. Est autem de ratione comprehensionis non solum uisio uerum etiam potestas nõ amittendi beatitudinẽ. Vnde in Cant. dicitur. Tenui eum, nec dimittam.

2. Cor. ca. 9.

Cant. c. 3.

Hinc B. Pau. in rap. uidens Deum, non comprehendebat.

Hinc comprehensionem unam esse de animæ dotibus intelligitur. Fidei namq; succedit uisio, & charitati fruitio, & spei comprehensio. Quæ est desiderij adimpletio:

Appen. Appen. 2. Cor. 13

1. Diffic. Vtrum sit omnium æqualis beatitudo.

De fide tenendum est non esse omnium sanctorum gloriã æqualem, modi tamen explicandi, cur cum omnes in diuina essentia beatificentur, sit unus alio beatior, sunt diuincti. Sco. nãq; dicit, formalẽ beatitudinẽ consistere in amore erga Deũ clarè uisum, & ex cõsequenti affirmat inæqualitatẽ beatitudinis oriri ex inæqualitate charitatis. Nã ex eo, quod unus beatus maiorẽ charitatẽ, q̃ alius sortitur, eo feruentius Deũ diligit, & est beatior: at uerò S. Tho. cõstituens beatitudinem formalem in uisione dicit gradũ beatitudinis ex gradibus luminis gloriæ oriri. Quanto. n. aliquis beatus magis lumen gloriæ participat, tanto perfectiorem visionẽ producit, & beatior est.

Ric. d. 49 art. 2. q. 8 Sco. d. 50 q. 5. San. Tho. 1. p. q. 12. ar. 6. et 1. 2.. q. 5. ar. 2.

In

CONCLVSIO.

In patria non erit æqualis omnium iustorum gloria, in domo enim patris mei (dixit Iesus) mãsiones multæ sunt. Vbi diuersitas mansionum diuersitatẽ graduum in gloria insinuat. Definita est in Conc. Flor sub Eugenio IIII.

Hinc confutatur hæresis Iouiniani, & Lutheri, ut refert Soto dicentium, oẽs beatos esse gloria æquales, in quã hæresim copiosissime pater a Cast. uer. beatitudo, hæresi 7. disputat.

2. Diff. Si Angelus, & anima rationalis habent æquales gradus luminis, & charitatis, habebuntne beatitudinem formalem, uisionem. s. uel amorem æqualem.

Ric. Sco. Caie. & Dur. tenent animam Christi Iesu si se haberet effectiue ad fruitionem, non habere summam fruitionẽ de possibili, quamuis habeat summam gratiam. Quæ opi. maximas patitur angustias. S. Th. oppositũ tenet hac d. ar. 2. q. 8. *Sc. d. 50. q. 5. Ric. d. 49. ar. 2. q. 8. S. Th. i. 2. q. 5. ar. 2. & in 3. p. q. 10. ar. 4.*

CONCLVSIO.

In casu huius difficultatis æqualis erit utriusq. potẽtiæ beatificus actus. Ratio est, quia non potest intell. creatus uiribus naturæ elicere actum beatificum, & ex consequenti, neq. eiusdem actus augumentum. Atque ita tota actiuitas erit a lumine gloriæ, siue a charitate. Alioquin. n. sequeretur, gloriã non tñdere meritis, sed naturali potentiæ, quod est erroneũ, ut si Angelus, & anima haberẽt æquale lumẽ gloriæ, & charitatẽ æqualem, meritaq. æqualia beatitudo formalis Angeli esset beatior, quia habet perfectiorem potentiam. Et ita uirtuti naturali responderet gloria, quod est erroneum.

CONCLVSIO.

Si beatitudo formalis esset uisio, non esset inæqualitas, eo quod uideret unus plura attributa diuina, quam alius. Nã tũc omnes beati æqualiter uident, quæ in Deo formaliter continentur. Videbimus, inquit, B. Io. eum sicuti est. i. cum omnibus, quæ sunt de illius quidditate.

CONCLVSIO.

Neque consistit inæqualitas, quod unus plures creaturas in Deo, quam alius, uideat. Ratio est, quia creatura non est obiectum beatificum quare erit maior beatitudo formalis, quãdo unus clarius alio uidebit Deum, si beatitudo est formalis visio aut si est amor, qui feruentius diligit Deum, ille erit beatior.

3. Diff. An de facto, quilibet beatus uideat in uerbo omnia, quę formaliter, & eminenter in diuina essentia continentur.

De hac re disputant doc. hac d. & in 3. d. 14. & Th. in 1. p. q. 12. art. 8. Est autem maxima controuersia circa numerũ creaturarum,

turarum, quæ in Deo uidentur. An si unus plures creaturas, quam alius, ac uero singuli omnes cognoscant.

Prima opi. est Henr. asserentis sing beatos uidere in uerbo quæ in Deo formaliter continentur, non autem, quæ eminẽter: cuiusmodi sunt creaturæ: contrarium asserit D. Aug. dicẽs beatos uidere creaturas uisione matutina. i. in uerbo, quæ matutina nominatur, quia est clarior, & uisione uespertina, id est in proprio genere, quæ quia est minus clara, uisio uespertina nominatur.

Secunda opi. quam citat Dur. affirmant; omnes beatos uidere in uerbo omnia, quæ in eo tam formaliter, quam eminẽter continentur. Quæ etiam est contra B. Aug. in lib. de uidendo Deum, qui docet Deum esse speculum uoluntariũ, & non repręsentare necessario omnes creaturas. Alioqui. n. Deus beatis nihil reuelare posset, cum tamen Angeli superioris ordinis, ut in floribus secundi libri diximus, multa inferioribus reuelent.

Tertia opi. est Dur. qui duo dicit. Primum, beatos uidere in uerb. quidditates omnium creaturarum naturalium, & supernaturalium. i. supernaturaliter producibilium, quæ hactenus creata non sunt. Secundum est uidere beatos in uerb. aliquod singulare creatum solum in proprio genere.

Quarta opi. est Sco. quæ 2. prop. comprehenditur. Prima est, anima Christi Iesu uidet habitualiter in uerb. omnes creaturas, non actualiter simul, sed successiue nunc plura, nunc pauciora, non quod illa uisio habitus sit; sed quia habitib. utimur, quando uolumus, & ita anima Christi per illam uisionẽ beatificam uidet, quas uult creaturas, & quando uult.

Secunda prop. cæteri beati non cognoscunt omnes creaturas in uerb. sed aliquas. Nam ita Sco. ubi sup. in notab. sed ista uia, &c. inquit. Dico quod uerbum cuilibet beato est speculũ repræsentans determinata, ultra quæ non potest uelle ordinate. i. secundum rectam rationem, uidere alia, sed huic. s. animę Christi est speculũ repræsentans omnia ad modũ supra dictũ. Hactenus Scot. quia ut infra dicetur cunctas creaturas, & singulas hominũ cogitationes, anima Christi uidet, quia est futurus iudex omnium, & ad recte iudicandum omnes cognoscere debet.

Hinc, sequitur falsissime accusatũ fuisse Sco. a So. qđ dixerit idẽ sensisse de anima Christi, & de anima cuiuscunq. beati.

Vltima opi. est Th. asserẽtis; cæteros beatos a Christo uidere in uerb. aliquas creaturas, nullum tamen oẽs, & quo aliquis bea-

beatus perfectius cognoscit Deum, eo plura in Deo uidere.

CONCLVSIO.

Quicunq. beatus uidet omnia, quæ in Deo formaliter continentur. v. g. attributa quæ formaliter. i. quidditatiue conueniunt. Constat ex B Io. dicente Videmus eum sicuti est. Ergo & omnia, quæ sunt in ipso quidditatiue. S. attributa omnia, & omnes relationes. Alioqui. n. si beatos aliquod diuinum attributum lateret, non illum, sicuti est, uiderent.

CONCLVSIO.

Quilibet beatus uidet in uerbo omnia, quæ eminenter cõtinentur. i. omnium rerum naturalium quidditates S quid homo sit, & quid Angelus, &c. Non tamen rerum supernaturaliũ producibilium quidditatem. S. Th. est ubi sup ar. 8. ad 4. Et rõ est quia in beatitudine omne naturale desideriũ satiatur, est autem naturale desiderium cuiuscunque intell. creati omniũ rerum naturalium quidditates scire, quas si ignoraret, non esset beatus quietus, ne adimpletum haberet desiderium. Vnde colligitur, omnes beatos uidere in uerbo species omnium animalium, plantarum, metallorum, &c.

CONCLVSIO.

Non omnes beati uident in uerb. omnia singu. cunctarum specierum, seu formarum. Nam quilibet beatus tunc comprehenderet Deum, cũ cognosceret omnes creaturas a Deo producibiles. Et ita cognosceret Deum perfectissime per notitiã infinitæ claritatis, quod implicat contradictionem. Hæc est contra secundam opin.

CONCLVSIO.

Quo aliquis est beatior. i. clariorem habet Dei uisionẽ: eo plura sing. in uerb. uidet. Ratio est, quia cognitio creaturarũ in Deo est cognitio effectus in sua causa. i. cognoscere uirtutẽ causæ, quæ habet effectum producendi. Et quanto aliquis est beatior, tanto clarius cognoscit uirtutem, & potentiã Dei ad sing. effectus producendos, & conseruandos.

CONCLVSIO.

Videt aũt quilibet beatus, illa omnia, quæ ad ipsum spectãt. i. quæ suæ curæ mandata, & commissa sunt. Hanc probat Th. inductione, ut anima Christi Iesu uidet omnia individua, præterita, præsentia, & futura cuiuscunque speciei, & oẽs omniũ hominũ cogitationes, & actiones. Quia est futurus iudex viuorum, & mortuorum, & usus omnium rerũ, quæ sub sole sunt, illi rationem reddituri sumus. Et B. Petrus uidet in uerbo omnia singularia ad ecclesiæ ministeriũ pertinẽtia. Quia illi mãdata

fuit

fuit Ecclesia.& similiter de Seraphico patre nostro Francisco & B. Dominico respectu suorum ordinum theologandũ est.

S.Th.1.p. q. 82. ar. 2.Ric.ar. 2.q.2. & 5. d. 49. q.9.d.49 & m.1.d. 1.q. 4.

4. *Diffic. An uoluntas in patria naturaliter fruatur sine claro uiso, & non libere, ita ut sit ad amandum,& ut ignis, ad calefaciendum determinata.*

S.Th.pattem affirmantem tenet,Contrariam uero *Scotus*.

CONCLVSIO.

Voluntas in patria necessario diligit Deum.Quia de ratione beatitudinis est dilectio , & cum sit beata,supposita primũ beatitudine, necessario diligit Deum.

CONCLVSIO.

Voluntas amore elicito non diligit naturaliter Deum, sed libere libertate contradictionis.Hæc est Scoti. & rationibus aliquot confirmatur.

Prima. Ratio totalis & præcisa libertatis in uia est, indeterminatio uolũtatis ad utrũq. oppositorũ,in patria autẽ simili ter est ad amãdũ,& nõ amãdũ determinata, ergo uolũtas &c.

Minor ita probatur, in uia ideo uoluntas dicitur libera, & indeterminata,quia Deus potest illã ad opposita mouere, sed de potentia absoluta,potest Deus mouere uoluntatẽ beati,ut amare,&ab amore cessare uelit,ergo potest amare,& nõ amare,& ex consequenti est ad utrumq. oppositorũ inde termina ta.Obijcies,nõ potest de lege Deus in Patria non mouere uo luntatem ad amãdũ,uolũtas igitur de lege naturaliter amat.

Respõdeo.Et simul conclusionem confirmo.Voluntas uia toris cõfirmata in gratia de lege nõ potest *nõ* moueri a Deo in amorem ipsius Dei, quamdiu sub præcepto Deũ amare tenetur, nihilominus libere amat,quia in sensu diuiso & de potentia absoluta potest Deus nõ concurrere cum infirmato ad amandum,& ita non amabit . similiter in patria potest Deus secundum absolutam potentiam non mouere uoluntatẽ cõprẽhensoris ad amorem. Quapropter, quando amat libere amat Deinde in sensu diuiso,& de potentia remota hęc ab omnib.conceditur,s.beatus potest peccare,& non amare Deũ, ergo nunc quando amat,libere amat.In uia pro instanti,quo uoluntas amat,non potest non amare. Quia omne quod est, quãdiu est,necesse est esse.Et nihilominus libere dicitur ama re,quia in sensu diuiso potest nõ amare. Et in patria similiter potest in sensu diuiso non amare, ergo quando amat , libere amat. Prẽterea actus amoris in patria,aut est naturalis ex parte obiecti,s.Dei clare uisi,aut ex parte potentiæ.non primum quia Deus clare uisus est obiectũ uolũtariũ,ad extra, nihil operatur

pératur necessario, sed libere. Neque secundum, quia idem est principium eliciens amorem in patria, & in uia, nempe, uolũtas per charitatẽ informata, & cum in uia libere, & in patria quoque libere operabitur. Nam utrobiq; est idem principiũ, nempe, uoluntas eliciens amorem. Respondet Caiet. Deus clare uisus est obiectum beatificum, in quo apparet omnis ratio boni, & nulla mali, atque ita uoluntas non libere, sed necessario illum amat. Verum respondeo, & confirmo conclusionem. In Deo cognito per fidem nulla ratio mali, imo omnis boni ratio apparet, & tamen libere amatur etiam a viatore in gratia confirmato, & non ob aliud, nisi quia eius uoluntas potest de potentia Dei absoluta moueri ad oppositũ, & uoluntas cõprehensoris similiter potest moueri, ut uelit ab amore cessare: ergo quamuis Deum clare uideat, libere amat. Tandem, tunc uoluntas est libera, quando positis omnibus requisitis ad amandum, potest nõ amare, & uoluntas in patria est huiusmodi, quia hæc de inesse est possibilis, scilicet, uoluntas in patria, nõ amat, quamuis sit falsa, ut aduersarij concedũt, ergo sua de possibili est uera, s. potest non amare. Propterea quod, ueritas propositionis de possibili regulatur per possibilitatem suæ de inesse, ut Aristoteles docet. Dices, deficit motio diuina, quæ inter requisita ad agendum recensetur. Cõtra, In uia quãdo uoluntas tenetur amare, libere abstinet ab amore, quamuis motio Diuina deficiat ergo similiter, & in patria.

CONCLVSIO.

Voluntas in patria non est libera libertate contrarietatis ad amorẽ, uel odium in Deum. Ratio est, quia nulla apparet ratio mali in Deo, quæ est odij causa.

Restat, ut argumentis aduersariorum respondeamus. Primo ita agũt, Deus est ultimus finis uoluntatis, quẽ per claram uisionem assequitur, ergo postea quam illũ assequitur, naturaliter, & non libere in eius amore quiescit, ita ut nullo modo possit habere appetitum ad oppositum, s. ad cessandum a Diuino amore. Consequentia confirmatur a simili de quacũq; alia natura. v. g. lapis ubi iã cõsequutus est cẽtrũ, ibi naturaliter quiescit. Deus autẽ est ultimus finis, & quasi cẽtrũ uoluntatis, ergo cũ iã uolũtas fuerit assequuta Deũ per intellectus appræhẽsionẽ, naturaliter, & nõ libere in eius amore cõquescit.

Neganda est consequentia, & similitudo, quia cæteræ naturæ, suis finibus obtentis naturaliter illis adhærent, ut lapis centro, quia secundum suas formas sunt ad unum oppositorũ determinatæ: ut uero uoluntas etiam in patria, est ad utrum-

que

que oppositorum indeterminata, quemadmodum, & in uia. Quia utrobiq. potest moueri a Deo ad actus oppositos. Secũdo obijciunt. Causa præcisa ob quam uoluntas in uia, non naturaliter, sed libere diligit, est, quia habet difficultatem in amando propter prauam hominis inclinationem ad malũ, & quia turbatur erga plurima, quamuis Deum fide cognoscat, sed in patria nullum est impedimentum, quominus semper amare possit, ergo non poterit non amare. Negatur antecedens, & consequentia. Ratio. n. ob quam utrobiq. uoluntas est, liberat, hæc est. s. quia determinatur secundum suam formam ad oppositа, ita, ut Deo mouente, possit in utrumq. oppositorum quemadmodum ex dictis constat.

Tertio ita argumẽtantur. Deus est infinitæ bonitatis, ergo quando aperte uidetur, naturaliter diligitur, atq; ita nõ erit in potestate uolũtatis, non amare Deũ, est enim obiectũ uolũtatis bonũ, in quo nulla ratio mali apparet, s. Deus clare uisus. Huius argumẽti responsio in 4. probatione secundæ conclusionis continetur. Et denuo respondetur, Nã ut uoluntas uiatoris confirmati in gratia propter indeterminationem uolũtatis ad oppositа potest in sẽsu diuiso nõ amare, ita & ĩ patria.

Quarto sic disputant. Voluntas in patria est determinata ad unũ oppositorũ, s. ad amorem, ergo naturaliter amat. Consequentia patet, posito discrimine inter agens naturale, & liberum. Antecedens uero ita probatur, quandocunq. intellectus est determinatus ad unũ, propterea quod homo non utitur ratione, ut furiosus, uel quia non ratiocinatur inter oppositа, tunc uoluntas est determinata ad unum, sed in patria intellectus ratiocinatur circa amorẽ finis, quia ratiocinatio est cõsultatio circa oppositа, quæ non est de amore finis, sed mediorum, ergo si intellectus nõ ratiocinatur circa amorẽ finis, uoluntas nunquã erit libera. Et confirmo. Quia præcisum fundamentũ libertatis in uolũtate, est ratiocinatio ĩ intellectu. Nego antecedẽs. Et ad probationẽ dico uoluntatem esse liberam, nõ solum propter ratiocinationem, uerũetiã, quia ratione utitur, præsertim loquendo de libertate contradictionis. Et ideo quamuis in patria nõ sit libera libertate cõtrarietatis in amorem, & odium in Deum, potest tamen in sensu diuiso cessate ab amore, & per consequens quando amat, libere amat.

Quinto ita insurgunt. Impossibile est beatum habere hunc actum, scilicet, nollo esse beatus, ergo non potest non semper amare. Consequentia patet. Quia amor, uel est formalis beatitudo, uel saltem de quidditate beatitudinis. Respondeo

di-

distinguendo consequens. Nam in sensu composito totum concedo, in sensu autem diuiso negatur consequentia. Quia potest Deus non mouere uoluntatem ad amorem, & ita uoluntas beati ab amore cessabit. Tandem ita argumentantur. Deus clare uisus est obiectum beatificum, & ultimus finis uoluntatis apprehensus per intellectum, ergo uoluntas non potest non amare Deum, Consequentia probatur ex Aristotele. Nam, ut se habet intellectus respectu principiorum, ita & uoluntas respecu ultimi finis, sed intellectus, facta apprehensione principiorum, non potest nõ illis assentiri, ergo uoluntas apprehenso ultimo fine per intellectum, non poterit non amare illum. R. Quemadmodum intellectus naturaliter assentitur principijs, ita uoluntas naturaliter fertur in amorem finis, quod quidem est uerum quãtum ad specificationẽ actus, non tamen quo ad exercitum. S. Th. 1. 2. q. 4. ar. 3 & d. 49. in 4. q. 4. ar. 5. q. 1 & sequentibus. Ri. Art. 3. q. 7. & 8.

Art. 4. An sint animæ dotes tres tantum, uisio, scilicet, comprehensio, & fruitio.

CONCLVSIO.

Tres prædictæ sunt animæ dotes. Nam dotes vocantur munera, quæ sponsis dantur, & animabus Christo per fidem desponsatis, & per charitatem unitis, dantur tria præfata dona, quæ μεταφορικῶς dotes nominantur.

Art. 5. An sint quatuor tantum corporis dotes.

CONCLVSIO.

De fide tenendum est, quatuor tantum esse corporis dotes Hanc conclusionem apertissime B. Paul. 1. Cor. 15. insinuauit. Vbi de resurrectione mortuorum ait. Seminatur corpus in corruptione, surget in incoruptione &c. Vbi corpora gloriosa futura esse impassibilia, clara, subtilia, & agilia indicauit.

1. *Diffic. Sunne futura corpora beatorum post finale iudicium impassibilia.*

Ric. hac d. quatuor citat opiniones,

CONCLVSIO.

Erunt corpora beatorum in patria, non solum incorruptibilia, ut damnatorum corpora, uerumetiam impassibilia. Dicit enim B. Paul. oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem &c. Et Apo. 21. absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum. Vbi sacra scriptura, omnem passionem realem a corporibus sanctorum relegandam esse testatur.

CONCVLSIO.

Hæc impassibilitas solum erit donum supernaturale, non

ab

ab intrinseco corporibus glorioſis inhærens, ſed tantum per diuinã uoluntatẽ, non concurrẽtẽ cũ cauſis ſecũdis ut in corpora beatorũ agere poſſint. Quia cũ ſint corpora materialia, & habeant primas qualitates, erunt ab intrinſeco paſſibilia, quapropter impaſſibilitas erit bonũ ſupernaturale ab intrinſeco ꝓueniẽs, ſi qua Deus ratione ſtatus illa ꝑpetuo cõſeruabit.

CONCLVSIO.

Impaſſibilitas hęc erit in omnib. ęqualis. Et ratio eſt, quia ſignificat priuationem, quæ nõ recipit magis, & minus, cum non ſit entitas poſitiua, ſed pura negatio.

1. Dubium Eruntne impaſſibilia intentionali actione.

D. Bona. hac d. opinatur præter uiſum, & tactum, cæteros
Ar. 4. q. 3. ſenſus in patria nullatenus eſſe operaturos. At uero Ri. S. Th. & Scot. exiſtimant omnes ſenſus ſuas operationes habituros, etiam guſtum, de quo minus probabile eſſe uidetur.

CONCLVSIO.

Vnaqueq; potentia ſenſitiua ſuam habebit propriam operationem. Et ratio eſt, quia ibi corpus, atque eius omnes potentiæ erunt perfectiſſimæ, quæ quidem ſuis operationibus, id eſt, quando ſunt in actu, perficiuntur.

2. Dif. An corpora beatorum ſint futura ſubtilia.

1. Cor. 15 q. 14. Omnes doctores cum Apoſtolo ſanctorum corpora ſpiritualia, id eſt, ſubtilia inſtar ſpiritus futura eſſe conſitentur. Sunt tamen duæ opiniones circa affectum ſubtilitatis. Nam D. Bonau. hac d. & Scot. putant præcipuum effectum futurũ
Arti. 4. q. 5. & 6. eſſe, cuiuſcunque corporis penetrationem. At uero Sanctus
Durandus. Sanie legendus. Tho. & Ric. eadem diſt. tenent, quod quamuis corpus glorioſum poſſit ſimul cum corpore non glorioſo exiſtere, non tamen uirtute ſubtilitatis, ſed alia uirtute nemper diuina.

Dur. uero d. 44. q. 6. arbitratur duo corpora, etiam per potentiam diuinam in eodem loco exiſtere non poſſe. Legẽdus tamen caute eſt. Nam dicit, primum latus uaſis uirginei dilatatum fuiſſe, & inde Chriſtum exiiſſe. Et ſepulchrum tempore, quo reſurrexit fuiſſe apertum, atque etiam fores, quando ad diſcipulos poſt reſurrectionem fuit ingreſſus. Cum Euangeliſta Ianuis clauſis ingreſſum fuiſſe dicat.

CONCLVSIO.

Corpora beatorũ erunt ſubtilia. Hoc enim docuit B. Paul. dicens, ſeminatur corpus animale, & ſurget ſpirituale, id eſt, ſubtile, & penetratiuum. Tum etiam, quia futura ſunt nobiliſſima, & corpus quo ſubtilius, ut ignis reſpectu aliorum elemẽtorum, eo nobilius.

Cor-

CONCLVSIO.

Corpora beatorum non dicuntur subtilia præ nimia rarita tem ut ignis, sed ab effectu. Propterea quod uirtute diuina habent potentiam penetrandi, ideſt, penitus intrandi ad quemcunque locum, non expellendo corpus in illo præexiſtens.

CONCLVSIO.

Corpora beatorum ratione ſubtilitatis in eodem loco cũ quocunque alio corpore coexiſtere poterunt. Patet exemplo Chriſti Ieſu, qui poſt reſurrectionem clauſo ſepulchro eſt egreſſus, & ianuis clauſis ad diſcipulos ingreſſus. *Art. 3. q. 1.*

CONCLVSIO.

Corpus glorioſum penetrare aliud corpus, non eſt illud diuidere, ſed in eodem loco cum illo abſq; utriuſque diuiſione coexiſtere. Ratio eſt, quia corpora glorioſa Chriſti Ieſu, & ſanctiſſimæ matris ſuæ ſunt in cœlo empyreo, & tamen non diuidunt illud cum ſit incorruptibile.

CONCLVSIO.

Quãuis de lege, & ſupernaturaliter corpus glorioſum eodẽ loco cum corpore nõ glorioſo coexiſtere poſſit: nõ tamẽ duo corpora glorioſa ſe poterunt penetrare. Quia hoc priuilegiũ corporib. glorioſis conceditur, ut habeant ſuper corpora non glorioſa imperium, quo ſuper corpus glorioſum uti nequeũt.

CONCLVSIO.

Hæc ſubtilitas corporibus beatorum debetur. Quia ab anima beata informãtur. Dotes. n. corporum ex animæ beatitudine redundant. Quod nihil aliud eſt, quã quod dantur corpori propter animæ beatæ merita, ſiue obſequia, ut Sco. declarat.

Hinc, refutantur tres errores. Primus affirmantiũ: corpora eſſe in animas conuertenda, atque ita futura eſſe ſubtilia.

Secundus aſſerentium: eſſe futura rara, ita, ut præ nimia ſubtilitate poſſint quodcunque corpus penetrare.

Et tertius fuit dicentiũ: poſſe glorioſa corpora alia penetrare corpora. Quia in ptãte illorũ erit cõdenſari ad tã minimam uſque quantitatẽ: ut poſſint poros alterius corporis ſubintrare. Contra hos omnes inuehitur pater a Caſt. uer. reſurr.

3. diff. Summe corpora glorioſa futura agilia. *Ri. art. 1. q. 7. D. d. 44. l.*

CONCLVSIO.

Sunt quidẽ agilia futura. Vt cõſtat ex B Pau. dicente; ſeminatur in infirmitate, ſurget in uirtute: eſt aũt infirmitas animę imbecillitas, qua corpus uincere nequit. Corpus. n. quod corrũpitur, aggrauat animã. Et tunc reſurget in uirtute. i. in magna fortitudine, ita, ut quocunque uoluerit tranſportare poſſit.

2. Dubium. *Vnde nam hæc agilitas orietur.*

Ricar. hac dist. opinatur ex quadam qualitate in corpore glorioso existente oriri.

CONCLVSIO.

Agilitas corporis glorioſi ex plena, atque integra ſubiectione corporis ad animam ortū habet. Nā, ut anima eſt ſubdita Deo, ita etiam corpus animæ ſubiectum erit, ut ſine aliqua reſiſtentia ad eius imperium moueatur.

4. *Diffic. Corpora beatorum mouebuntur ne alio motu quam progreſſiuo.*

V.g. poterunt ne moueri inſtar axis ſimul, & non pars poſt partem, opinio Dur. eſt, ut tantum progreſſiue moueantur. Scoti opinio tenet non moueri organice.

CONCLVSIO.

Mouebuntur ſecundū differentiā locorum organice, & nō organice. Nam aſcendentes, aut deſcendentes, non organice mouebuntur, ut conſtat ex aſcenſione Chriſti Ieſu poſt reſurrectionem. Non enim in aere ſunt gradus, ut gradatim aſcendant. Dextrorſum, aut ſiniſtrorum organice mouebuntur deambulātes, cęlūque, aut aerē præ nimia ſubtilitate penetrātes.

5. *Diffic. Poterunt ne in inſtanti moueri.*

CONCLVSIO.

Ric. in 3. d. 22 & in 4. ar. 4 q. 8.

Non in inſtanti, ſed in tempore imperceptibili mouebuntur. Quia impoſſibile eſt naturaliter, idē corpus ſimul in pluribus locis exiſtere & exiſteret quidem, ſi in inſtanti moueretur. Simul enim in termino a quo, & ad quem eſſet.

6. *Diffic. Habebuntne corpora beatorum claritatis dotem.*

V.g. erūtne fulgida, & lucida opi. Dur. tenet, futuraeſſe lumi noſa, ſicut corpus rarū, & ſpeculū, quod ē luminis receptiuū.

CONCLVSIO.

De fide tenendum eſt beatorum corpora futura eſſe lucida, id eſt, habentia lucem, quemadmodum Sol, & ignis habēt. Dicitur enim Matth. 13. tunc fulgebunt iuſti, ſicut Sol, in regno patris eorum.

3. Dubium. *Vnde nam hæc lux orietur.*

Duæ ſunt opiniones. Prima S. Th. aſſerentis redundare ex luce animæ in corpus, ut lux Solis in Lunam redundat. Contraria opinio eſt Ric.

Fulgor hic, & lux in corporibus glorioſis exiſtens a Deo creatur. Nam cū lux ſit qualitas poſitiua, & nō appareat, unde in corporibus glorioſis producatur, a ſolo Deo produci fatendū eſt. Redundabit tamē hæc claritas ex animæ beatitudine ad hunc ſenſum, ſ. quia ſtatui beatorum ex lege debetur.

4. Dub.

4 Dubium. Corpora beatorum habebunt colorem, erunt ne perui a.

Ricar. & Scot. opinantur non esse futura peruia, transparẽtia, ut chrystallum. At uero S. Tho. futura esse transparentia, miraculosa defendit.

CONCLVSIO.

Corpora beatorum sunt futura opaca. Quia omne lucidum est opacum. Hoc enim corpus luminosum, ut aer, a corpore lucido, scilicet, igne distat.

CONCLVSIO.

Habebũt etiam colorem. Quia color ad decorem pertinet corporũ, nec lucido repugnat. Vitrum enim aliquando pallidum, & rubeum est, & luminis receptiuum, ut in fenestris uitreis templorum apparet.

7a Dis. Oculus glorioſus poterit ne uidere naturaliter corporis glorioſi fulgorem.

S. Thom. affirmat. Ric. uero negat.

S Tho. d. 49 q. 1. ar. 1. Ri. art. 5 q. 2 & 3.

CONCLVSIO.

Oculus non glorioſus naturaliter corpus glorioſum uidere non poterit, niſi beatus ſuum fulgorem temperet. Diſcipuli enim (ut Ric. docet) poſt reſurrectionem corporis Chriſti Ieſu fulgorem non uiderunt. Quia nõ potuiſſent eius ſplendorem pati. Excellens namque ſenſibile corrumpit ſenſum.

CONCLVSIO

Splendor corporis glorioſi erit Solis ſplendore præſtãtior. Quia cum Sol factus ſit propter homines: æquum eſt, ut iuſtus ſit Sole ſplendidior, non tamen corpus cuiuslibet beati tantũ ſplendorem habebit, quantum totũ corpus ſolare habet, nec in tanta diſtantia illuminabit. Eſt enim in menſe maius corpus ſolare, & in maiori quanto maior eſt uirtus.

CONCLVSIO.

Non in omnibus beatis erit æqualis ſplendor, ſed pro meritorum quantitate. Nam cum ſplendor, ſiue claritas, & agilitas ſint in prædicamẽto qualitatis, recipiunt magis, & minus & ideo erunt inæquales iuxta meritorum inæqualitatem.

Art. 6. An Aureola ſit in patria accidentale præmium.

CONCLVSIO.

Præter eſſentialem beatitudinẽ, beati in patria accidentale præmiũ habebunt. Et ratio eſt, quia omnes beati gaudebũt in viſione Chriſti Ieſu, & Reginæ cælorũ, ſanctorũque Angelorũ, & Apoſtolorũ & in aſſumptione ſuorũ corporum, atque in cõtẽplatione creaturarũ in ſuo genere &c. Quæ omnia

gaudia essentiali beatitudini super addētur. Nam Beatitudo accidentalis, est gaudium accidentale in alicuius creaturæ cō templatione consistens.

CONCLVSIO.

Non omnes beati, sed aliqui tantum Aureolam habebūt. Quia Aureola est gaudium accidentale, de aliquo *facto* insigni cūtra hostes spirituales, scilicet, de martyrio, *uirginitate*, & doctrina. Et non omnes sancti hæc *habent*. *Non* enim omnes hanc uictoriam sunt consequuti.

CONCLVSIO.

In patria aliqui sancti habebunt fructus, nō tamen omnes. Propterea quod, fructus est gaudium accidētale, de aliquo genere continentiæ uirginalis, scilicet, uidualis, uel coniugalis, & non omnes aliquem istorum graduum obseruaret.

S. Thom. ubi supra ar. 5. q. 1 & sequen tib. et Ri. ubi supra

1. *Diffic. Suntne tantum tres Aureolæ uirginitatis, scilicet, Martyrij, & Doctoratus.*

CONCLVSIO.

Tres prædictæ dūtaxat sunt. Quia Aureola est corona, quę propter insignem contra hostes uictoriam debetur. Et tres animæ hostes per hæc superantur. Nam caro per uirginitatem perpetuam uincitur. Mundus per martyrium calcatur. Et diaboli astutiæ per doctrinam dissoluuntur.

CONCLVSIO.

In Christo Iesu non est Aureola ponenda. *Nullum* enim prę*m*ium diminutum, sed excellens, qui omnia subijciuntur, est Christo Domino ascribendum.

CONCLVSIO.

Neque in Angelis sunt Aureolę collocandæ. Non enim uirgines, uel martyres, uel doctores sunt.

CONCLVSIO.

In corporibus uirginum, martyrum, atque doctorum erunt insignia quædam, quibus huiusmodi Aureolas in anima habere præseferēt. Ratio est; quia, ut gaudium, essentiale in corpus p quatuor dotes resultat, ita & accidētale in *insignia* corporalia redundabit. Virgines siquidem in capite aliquam coronulā albam, marytres rubeā, & doctores uiridem gestabūt.

DD. d. 44 Ric. q. 9. & 10. ar. 2. Du. q. 2. & 3. Mat. 25.

QVÆSTIO DE MISERIA DAMNATORVM.

Hac quæstione distinctio. 50. Magistri exponetur.

Art. Vnicus. An ignis torquens damnatos sit corporeus.

Variæ sunt opiniones. Auicenna. sola tristitia maxime torqueri dixit, quod est contra Euangelium, ubi dicitur. Ite maledicti in ignem æternum. Quidam autem Philosophi asserue*runt*

uerunt torqueri pœna sensus ueluti in somno ab imaginatio nibus ignis. Hæc etiam est falsissima opinio, ut infra patebit. Tertia autem opinio affirmabat animas separatas corporibus cœlestibus uniri, atque ita ab igne pati.

CONCLVSIO.

Ignis inferni est corporeus,& ab initio mũdi creatus. Mat. cenim 25. legitur. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo,& Angelis eius. Qui quidem ignis si non esset corporeꝰ, sequeretur diuinã scripturã, vt terreret nos suppositis falsum, qđ nullatenus est dicendũ. Et cũ locus hic de corporali igne intelligi possit, non erit de metaphorico declarãdꝰ. *Matth.c. 25.*

CONCLVSIO.

Ille ignis eiusdẽ speciei est cum elementali. Nam, ut aquæ quæ super cœlos sunt, teste D. Augu. apud Ric. hic, cum istis aquis eiusdem speciei sunt, ita a simili ignis, qui sub terra est, eiusdem speciei cum nostro igne, erit. *Mar. ca. 9.*

CONCLVSIO.

Ille ignis incorruptibilis, & inextinguibilis est. Conclusio est de fide. Nam apud D. Marc. habetur bonum est tibi debilẽ &c. Vbi uermis eorum non morietur,& ignis non extinguiꝰ.

1. *Dif. Anima separata, et spiritus maligni patiunturne ab igne corpore gehennali.* *DD. ubi supra.*

Sco. & Ricar. uarias referunt opiniones. Quarũ prima dicebat spiritum apprehendere ignem sibi disconuenientem, & ideo a propria imaginatione torqueri. *Ric.ar. 7 Sco. q. 1.*

Secunda est Henrici affirmantis malignis spiritibus infundi quẽdam habitũ spiritualẽ, ratione cuius ab igne patiuntur. *Quol. 8. q. 38.*

Tertia asserebat torqueri perpetua ignis consideratione,& contemplatione.

Quarta docet uere,& realiter ab igne pati, quo Deus tanquam instrumento diuinæ iustitiæ utitur.

Quinta, quę est fere communis tenet torqueri. Quia ibi nolentes detinẽtur. Et ad alium locũ se conferre haud possunt.

CONCLVSIO.

Maligni spiritus,& animæ separatæ in igne gehennali, ut in carcere, ita cõtinẽtur, ut illis inde recedere nõ liceat. Patet ex psal. 16. ubi dicitur. Eduxit eos Dominus de tenebris,& umbra mortis,& uincula eorũ dirupit Quia cõtriuit portas æreas & uectes ferreos confregit. Vbi per uectes ferreos, ignis detinens animas, siue in purgatorio, siue in inferno intelligitur.

CONCLVSIO.

Patiuntur quoque tristitiam non solum propter in uolun-

Art.5.an census personalis sit licitus. 257
Art.6.an conditiones, quæ in extrauaganti Martini V. ponuntur, sint necessario in emptione, & uenditione censuum seruandæ. 258
1.dif.eritne census redimibilis licitus cum hac conditione, ut quādocunque redimatur eodem precio, quo fuit uenditus redimendus sit. 260
2.dif.an pactum in quibusdā censibus appositum, sit licitum. ibidem.
1.dub.estne licitus contractus census cum sequenti conditione. ibi.

Quæ-

Quæst. de contractu emp. & uend.
Art. unicus. an liceat rem carius iusto precio uendere. ib.
1. dub. quid si res illa ualeat 10. & ementi 15. ualeat, quia re illa maxime indigebat, & si illam habere quinque lucraretur. 261
1. dif. Qua ratione iustum preciũ cognoscetur. ibi.
2. dub. cum leges humanæ secundum uarietatem temporum uarientur, obligabitne semper in cõscientia lex, precium alicuius mercis decernens. ibi.
3. dubiũ. quid si mensura panni in hac repub. iusto precio uendatur 12. dragmis, & mercator computatis expẽsis carius emit, poteritne tanti uẽdere, quanti emi. 262
4. dub. contingit, ut per spatium unius diei in nundinis precia uarientur, licitene hoc sit. 263
5. dub. licebitne sub hac conditione paciscι. Accipe merces eo precio, quo ualebunt medijs nundinis, quando speratur precium carius futurum. ibi.
6. dub. licebitne uoce preconis uilius emere, quam ex mercatoris officina. ibi.
7. dub. Si res ualens 100. uendatur 50. uel 40. uoce preconis, eritne iustum precium. ibid.
2. dif. quid de monopoliis dicendum. 262
8. dub. Quid si res empta sine industria, aut expensis emptoris, & sine mutatione loci, sed solã tẽporis mutatione facta est precio fior. 264
3. dif. an emens, & decipiens vẽditorem citra dimidium iusti precii faciat fructus rei emptæ suos. 265
4. dif. an quando deceptio est intra dimidium iusti precii, in conscientia sit residuum iusti precii restituendum. ibid.
8. dif. potestne princeps uendere priuilegia, & immunitates, atq. officia publica. 266
6. dif. an uenditor uitium rei uẽditæ manifestare teneatur. 267
7. diffi. quando aliquis sit merces eiusdem generis, quæ plurimum ualent, cum suis cito uenturas, teneturne illud dicere. ibi.
Quæst. de œconomis, & deposito.
Art. unicus possuntne depositarij rem restitutioni obnoxiã admittere. ibi.
1. dif. depositarius poteritne uti deposito. ibi.
2. diffi. Si contingat apud œconomum reip. uel alterius priuati frumẽtum humiditate granarij pinguescere, & multiplicari, tenebiturne, quod multiplicatur restituere. ibid.
3. dif. quando œconomus reip. uel alicuius domini particularis vendit inuito domino frumentum, poteritne tunc dominus frumẽti precium, siue frumentum petere. ibi.
Quæst. de contractu locati, & cõd.
Art. unicus. an qui conduxit agrũ alienum tempore sterilitatis, annuam pensionem soluere teneatur. 269
1. dub. quanta debet esse sterilitas a solutione pensionis liberãs. ib.
2. dub. quodnam erit locationis & conductionis iustum preciũ, ibi.

Quæ-

Quæst. de contractu permutat.
Quæst. de restit. honoris, & honorum temporalium.
Art. unicus. an lædens aliquē per contumeliam, aut conuicium, solum ad petēdam ueniam, uel ad aliquam aliam restitutionem teneatur. ibi.
1. dubiū. Quale erit boni uiri arbitrium. 271
1. dif. lædans alium in bonis corporis teneturne ad restitutionem. ibi.
2. dub. quid si propter læsionem a Petro factam falso Ioanni impositam incommoda multa Ioānes patiatur. 272
3. dubiū. quid si læsit alium præter intentionem. ib.
4. dub. tenebiturne aliquis etiam damnum ratione cicatricis illatum soluere. ibi.
5. dub. occidens hominem tenebiturne seipsum iudici offerre, ut pro occiso suspendatur. 272
6. dub. hæredes malefactoris tenēturne ad restitutionem. ibi.
7. dub. teneturne dominus satisfacere iniuriam a proprio mācipio irrogatam. ib.
2. dif. an qui uitiauit uirginem, in quocunque euentu illam dotare teneatur. ibi.
Flores quæst. de resurrectione.
Art. 1. an sit mortuorū resurrectio futura. 274
1. diffi. an possit generalis resurrectio naturali ratione demonstrari. ibi.
2. dif. concurretne naturalis cā, ut Sol, terra, &c. ad hominum resurrectionem, sicut ad procreationem. 274
3. dif. eritne resurrectio naturalis. 275
Art. 2. quęnam sunt resurrectionis causæ. 276
Art. 3. quando futura erit uniuersalis resurrectio. ibid.
1. dif. potestne dies ille ab Angelis aut hominibus cognosci. 277
2. dif. est ne resurrectio in instanti uel in tempore futura. ibid.
3. dif. Fietne in instanti noctis, an diei resurrectio. ib.
Art. 4. qui in die iudicii reperti fuerint uiui morienturne. ibi.
1. dub. Suntne iusti simul cum reliquis resurrecturi, an post cætera rum resurrectionem morientur, & statim resurgent. 278
2. dub. corpora eorum, qui reperti fuerint uiui in die iudicij, suntne in cineres conuertenda. ibid.
1. dif. eritne resurrectio omniū in ualle Iosaphat, ubi futurum est iudicium. ib.
Art. 5. an singulorum omnium cogitationes, & opera, quæ in uita egerunt, siue bona, siue mala, sint illic propalanda. ibid.
Art. 6. an resurget idem corpus numero, quod homo, dum uixit habuit. 279
1. dif. an in homine totum, quod in eo de ueritate naturæ humanæ præfugit, resurget. 280
1. dub. dices; cum homo continuo nutriatur, & quædam partes euanescant quænam illarum resurgent. ibid.
2. dub. restituēturne reprobis omnia membra, quibus in uita fuerunt orbati. 281

2. dif. an omnes in iuuenili ætate resurrecturi sint. ibid.
3. dif. resurgent ne omnes in eadē corporis statura. ib.
4. dif. an omnes in uirili ætate resurgent. ib.
5. dif. eritne potentia nutriēdi, & generandi in beatis. 282
3. dub. nunquid resurgent cū quatuor humoribus corpora. ibi.
Flores quæst. de receptaculis animarum post hanc uitam, & de suffragiis, deque sanctorum orationib.
Art. 1. suntne quatuor tantum receptacula, in quibus morientiū animæ recipiuntur. ibid.
1. dub. ubi nam sunt hæc receptacula. 282
2. dub. quomodo se habent hęc receptacula respectu inferni damnatorum. ibi.
3. dub. estne modo locus, qui sinus Abrahę dicatur, ubi electi ab omni culpa, & pœna purgati sut olim recipiantur. 284
1. dif. an electorum animæ statim, ut sunt purgatæ post mortem in cœlum deducantur. ibi.
2. dif. possuntne animæ ad hanc uitam redire. 285
Art. 2. prosuntne defunctis uiuorū suffragia. ibid.
1. dif. an uiuorum suffragia non solum animabus purgatorii, uerūetiam beatis, & dānatis, & in limbo existentibus prosint. 286
2. diffi. quot nam sunt suffragiorū genera. ibi.
3. diffi. defunctus, qui restitutionē hæredibus faciendam reliquit, si hæredes non restituant, detinebitur ob hanc causam in purgatorio. ibid.
4. diffi. an missa olim dicta, & nemini applicata, defunctis applicari possit. v.g. celebrauit Rector 1. missam, & ualorem illius nemini applicuit, poteritne postea illum alijs applicare. ibid.
dub. potestne aliquis sacerdos missam, quam tenetur Rector, aut Prior, siue Guardianus offerre, &c. illo inconsulto celebrari. 287
Art. 3. suffragia pro uno defuncto oblata, possuntne omnibus prodesse. ibid.
1. diffi. an suffragia generalia prosint cuilibet animæ, ac si pro una sola offerrentur. ib.
2. dif. an suffragia existentium in mortali defunctis prosint. ibi.
1. dub. quando testamentarii sunt negligentes in exequutione eleemosynarum, & missarū, quæ in testamento legantur, prosuntne defunctis ante exequutionē. 288
Ar. 3. sintne sācti a nobis orādi. ib.
1. dub. animæ in purgatorio existētes agnoscunt, quę apud nos in hac uita geruntur. 289
2. dub. possuntne animæ separatæ intelligere rerū quidditates, uel ut dicit Sco. species intelligibiles acquirere. ibi.
Flores quæst. de uniuersali iudicio.
Art. 1. suntne alii sancti cū Christo in die iudicij iudices futuri, tanquam assessores. ibid.
Art. 2. an Christus Iesus in forma gloriosa, & immortali sit homines iudicaturus. 290

1.dif.uidebuntne damnati Christi Iesu diuinitatem. ibi.
2.diffi.an iudiciū sit uocaliter, an mentaliter tantum futurum. ibi.
3.dif.separatio electorum a reprobis, estne localiter, an metaphorice intelligenda. 291
4.dif. Finietur iudiciū per iudicis sententiam. ite maled. &c. ib.
5.dif. mundus eritne per ignē purgandus. ibi.
Art.ul.an mundus sit innouandus ibi.

Flores quæst. de beatitudine.
Art.1.an beatitudo cōsistat in clara Dei uisione. 293
1.dub.poteritne anima uidere Deū uisione increata, qua Deus seipsum uidet. 294
1.dif.an formalis beatitudo sit intellectus operatio. ibi.
2.dif. respectu huius operationis, quæ est formaliter beatitudo, habent se potentiæ passiue tantum, an etiam actiue. 295
3.dif.an beatitudo sit potius intellectus, quā uolunt. operatio. 296
4.dif.estne fruitio uolū. amor. 301
5.dif.an fruitio etiam brutis conueniat. 302
6.dif.an fruitio sit tantū in ultimi finis assequutione. ib.
7.dif. an peccās mortaliter aliqua creatura fruatur. 303
3.dub.peccās mortaliter qua creatura fruitur actu ne peccati, an obiecto, uel supposito. i. seipso. ibi.
8.dif. an fruamur non solum fine iam obtento, uerumetiam sperato. 304
Art.2. habetne homo naturalē appetitum beatitudinis in particulari. s. uidendi Deum. ibi.
1.dif. an cognita beatitudine homo necessario habeat hūc actū uolo beatitudinem. 305
2.dif.an damnati naturalis beatitudinis appetitum habeant. ibi.
3.dif. an habeant damnati actum elicitum beatitudinis. 306
4.dif.actus, quem homo beatitudinis in communi habet, estne liber, an naturalis. ibid.
5.dif.an homo ex puris naturalib. Deum uidere possit. 307
6.dif.an essētia Dei ab intellectu creato per aliquam speciem, aut similitudinem uideatur. 308
1.dub. essentia diuina potest inhærere creato intellectui, quādo eidem unitur. ibi.
7.dif.an intell.creatus ad uidendū Deū aliquo lumine creato supernaturali indigeat, ut notitiā beatificam producere possit. 309
Art.3.potestne intellectus creatus comprehendere Deum. ibi
1.diffi. utrum sit omnium æqualis beatitudo. 310
2.dif.si Angelus, & anima rationalis habent æquales gradus luminis, & charitatis, habebuntne beatitudinem formalem, uisionem, scilicet, uel amorem æqualem. 311
3.dif.an de facto, quilibet beatus uideat in uerbo omnia, quæ formaliter, & eminenter in diuina essentia continentur. ib.
4.dif. an uoluntas in patria naturaliter fruatur fine clare uiso, & non libere: ita ut fit ad amandū, ut ignis ad calefaciendum determinata. 314

Art.4. an sint animæ dotes tres tãtum, uisio. s. comprehẽsio, & fruitio. 317
Art. 5. an sint quatuor tantũ corporis dotes. ibid.
1. dif. Suntne futura corpora beatorum post finale iudiciũ impassibilia. ibid.
1. dub. eruntne impassibilia intentionali actione. 318
2. diffi. an corpora beatorum sint futura subtilia. ibi.
3. dif. Suntne corpora glorioſa futura agilia. 319
2. dub. unde nam hęc agilitas orietur. 320
4. dif. corpora beatorum mouebũturne alio motu, quam progreſſiuo. ibid.
5. dif. poterũtne in inſtanti moueri. ibi.
6. dif. habebuntne corpora beatorum claritatis dotem. ibid.
3. dub. unde nã hęc lux orietur. ib.
4. dub. corpora beatorũ habebunt colorem, eruntne peruia. 321
7. dif. Oculus glorioſus poteritne uidere naturaliter corporis glorioſi fulgorem. ibi.
Art. 6. an aureola ſit in patria accidentale præmium. ib.
1. dif. Suntne tantum tres aureolæ uirginitatis, ſ. martyrij, & doctoratus. 322
Quæſtio de miſeria damnatorum.
Art. unicus. an ignis torquens dãnatos ſit corporeus. ibid.
1. diffi. animæ ſeparatæ, & ſpiritus maligni patiũturne ab igne corporeo gehennali. 323
1. dub. quomodo ignis ille poſt iudicii diem corpora torquebit. 324
2. dub. ignis in corporibus damnatorum generabitne calorem. ibi.
3. dub. damnati cruciabũturne pœna ignis tantum. ibid.
4. dub. eſtne grauior pœna damni an ſenſus. ibi.
5. dub. Poterũtne damnati ſtudioſas, & laudabiles habere intellectus, aut uolũtatis operatiões. ib.
6. dub. uidentne beati pœnas damnatorum, & damnati beatorum gloriam. 325
Vltimum dub. poſt diẽ iudicii augebiturne beatorum gloria, & damnatorum pœna. 326

FINIS.

TRACTATVS TRES DE ORATIONE, IEIVNIO, ET ELEEMOSINA,

Ab eodem Authore nunc primum additi, & sequuntur materiam De Satisfactione,
sup. pag. 256.

AD hunc tract. legendi sunt Doct. scholastici, præsertim Ale. in 4. p. q. 83. & aliquot seq. q. & S. Th. 2. 2. q. 83. & Ric. & reliqui dist. 15. 4. sũ. uer. oratio. Nauar. super c. quando, & in lib. de horis canonicis. Cast contra hæreses, uerb. oratio. Med. tract. 6 c. de oratione. De oratione uerba facturi, quam Christus Redemptor noster mirabiliter exercuit per noctans in oratione, & uehementer commendauit dicens: Oportet semper orare, & nũquam deficere, in qua etiam B. Pau. Sine intermissione perseuerãdum esse docuit, operepretium duximus, primum Deum opt. Max. orare, ut difficilia, & obscura, quę de oratione scripta sunt, nobis facilia, & peruia reddantur, & in ea nobis perfectam, perpetuamq. perseuerantiam concedere dignetur. *Luc. 6.* *Luc. 18.* *1. The. 5*

QVÆSTIO I.

Quidnam est oratio.

CVm nomen orationis multas habeat significationes, aliter n. a Grammaticis, aliter apud Rhetores, aliter quoq. a Theologis accipitur, de qua significatione est modo instituta disputatio, uarieq. in hac acceptione diuidatur, methodo Arist. priusquam tit. quęst. respondeamus, aliquot propositionib. positis eius diuisiones amplectemur.

Propositio prima.

Oratio sumitur tribus modis: communissime, cõmuniter, & proprie, ut Alex. Alen. & D. Bon. docent, uel ut alij asserũt generalissime, generaliter, uel specialiter. Hæc propositio

a col-

Alexã. 4 p. q. 94 m. 1. & q. 88. m. 1 ar. 2. Bo. ar. 1. q. 4 c. 18. Lu. glo. 1. ad Thi. 5. c. Mat. 26. Mat. 14. cap. & Marc. 6.

colligitur ex sacris literis. De generalissima, quæ dicitur quodcũq; bonum opus, constat apud Lucã: Oportet semper orare, &c. nam semper qui bene operatur, orat. Oratio generalis, quæ significat quemcumque actũ cõtemplationis, meditationis & laudis Dei, & Sanctorũ, uel gratiarum actionis Sanctisq; eius factæ, & quãcunq; petitionẽ, qua a Deo, uel a Sãctis eius aliquid postulamus; colligitur ex illo loco Matt. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem: ubi orare significat non solum petere, uerum etiam res diuinas meditari, & contemplari, & ex illo etiam Mat. & Marc. Abiit in montem orare, idest, ad cęlestem gloriam cõtemplandam: non enim Christus Iesus in montem ad petendum solummodo ascendebat. Tertio specialis oratio petitio facta Deo est.

Propositio secunda.

Triplex est oratio mentalis. Vna, quæ sola mente sine uerbis fit. Altera uocalis tantum quæ fit solis uerbis sine conceptuũ formatione. Tertia mixta, quę ex utraq; constat. Hæc ẽt diuisio ex sacra Scriptura elicitur: nã de prima extat exemplum. 1. Reg. 1. m. Anna matre Samuelis, de qua legitur, Anna loquebatur in corde suo. De secunda intelligitur locus: Populus hic labiis me honorat, cor autem illius longe est a me. De tertia sunt infinita loca in utroque testamento ut locus Psalm. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum.

1. Reg. 1. Isai. 29. Psal. 90.

Propositio tertia.

Oratio duplex, publica, siue sacramentalis, siue canonica una. Altera singularis siue priuata. Prima quæ fit a ministris Ecclesiæ pro populo nomine ipsius Ecclesiæ, quę necessariò est futura uocalis. Particularis est, quã offert aliquis particularis, non ut minister Ecclesiæ pro se, uel pro alio. Hæc diuisio non indiget probatione. lege S. Th. & Caiet. & reliquos.

Alex. Alen q. 90 m. 2 ar. 6 Rica. q. 5 S Th. ar. 12. ubi supra.

Propositio quarta.

Oratio alia bona, in qua, quod bonum est, bene petitur. Alia mala, in qua, uel quod malum est, petitur, uel quod bonũ est, non bene petitur. nam ut bonum est ex integra causa, malum erit ex defectu unius circũstantiæ, earumq; q̃ ad rei bonitatem desiderantur, Bona, ut illa Publicani. Deus propitius esto mihi peccatori. Mala, ut illa Phariseí, de qua dicitur, Et oratio eius fiat in peccatum.

S. Th. ar. 2. ubi supra. & Caie. art. 4. ibi.

Propositio quinta.

Oratio diuiditur rursus in uiuam, mortuam, & mortiferã. Viua est oratio facta ab homine existẽte in gratia, cui nulla circunstantia deest. Mortua, quæ fit ab homine existente in

peccato

peccato mortali, licet sit oratio omnibus numeris absoluta. Mortifera, siue mortalis, ut illa, quæ est peccatum: quia deest illi aliqua circunstantia necessaria. Hæc diuisio communi Scholasticorum Doctorum schola probatur.

Propositio sexta.

Diuiditur oratio tanquam in partes integrales, in obsecrationem, orationem postulationem, & gratiarum actionem. Hæc propositio est D. Paul. & S. Tho. nam in oratione, ut sit integra, & perfecta, quatuor desiderantur. Primum, ut oculos mentis eleuemus in Deum, contemplãtes eius bonitatẽ, omnipotentiam, uel aliud attributum, quod magis petitioni nostræ conueniat: quod significatur nomine orationis. Secũdũ, ut simul gratias illi pro omnibus beneficiis exhibeamus, quod intelligitur per gratiarum actiones. Tertium est, ut sta tim petamus, quod cupimus, quod insinuat uox, postulationes. Et ultimum est, ut ad impetrandum, quod petimus, dicamus, ut id nobis concedere dignetur, uel propter se, uel propter Christi humanitatem sanctissimam, uel amorem sancto rũ, & hoc continetur in uerbo, obsecrationes. Illustrat hæc S. Th. ubi supra, exemplo collectæ festi Sanctissimæ Trinit. nã primũ continetur illis uerbis, Omnipotens, &c. Secundũ, ubi dicitur: Qui dedisti, &c. Tertiũ ibi: Præsta quæsumus. Et quartũ cũ dicitur: Per Dñm nostrũ Iesum Christũ, hęc forma orãdi esset ab oĩb. diligẽter obseruãda, & maxime exercẽda.

1. ad Thimo. 2. S. Tho. ubi supra art. 17.

Iis positis propositionibus, restat, ut quęstioni, in qua orationis definitio quæritur, respondeamus, & cũ unius rei una sit natura, & una diffinitio, quæ illius naturã declarat: affert tamen Alex. Alen. ubi supra, multas diffinitiones, quia ut ip se ait, cum oratio multis modis consideretur, multis etiã modis secundum uarias considerationes a Doctoribus sanctis eius natura, & uis declaratur, quas omnes qui uoluerit expositas legere, uideat Alex. loco citato.

Alex. Alen. m. 1. art. 1.

CONCLVSIO.

Oratio est petitio facta Deo: hæc diffinitio est orationis propriè, uel specialiter sumptæ, de qua est instituta disputatio, & loco generis ponitur petitio, quia omnis oratio est petitio: non tamen omnis petitio est oratio, ut quæ Regi fit, non est oratio: differẽtiæ vicem gerit reliqua pars diffinitionis, qua excluduntur omnes petitiones, quæ hominibus fiũt, quæ licet summo Põtifici fiant, nõ dicuntur orationes, & est intelligẽda differentia hæc, s. facta Deo, nẽpe immediatè, ut quando sine ullo medio oramus Deum, uel mediatè, ut qñ

oramus angelos,& sanctos:tunc enim Deum oramus, & sit illis petitio,vt mediatoribus,& intercessoribus nostris,ut interpellent pro nobis ad impetrandum, quod petimus, & desideramus.

Ex distinctionibus positis facilè conciliabis varias diffinitiones orationis,& uaria loca sanctæ Scripturæ intelliges.

Prima diffic. Cuius potentię animæ oratio dicitur Actus.

Alex. Alen. q.95 S.Th.ar. 1.& Ric. q.1. ar.4 Tres sunt opiniones. Prima dicit esse actum rationis,siue intellectus. Secunda tenet esse actum uoluntatis. Et tertia utriusq; potentiæ actum esse affirmat, & ita uarie ab ijs oratio deffinitur. vide Alex. & Ricar.

CONCLVSIO.

Med.q.2 ubi sup. Alex. q. 38.m. 1. art. 1. & Ric. quorum est opinio. Oratio utriusque potentiæ est actus,& ratio est,quia, licet sit ab intellectu petitio, non tamen est ab illo pure speculati uo,sed practico, qua ratione intellectum,& uoluntatem complectitur. non enim est petitio, siue oratio ab intellectu absolute,sed vt à uoluntate inclinatur,cũ non oret quis,nisi qđ vult,nec postulet,nisi quod vult, quod Ric.confitetur dicẽs, esse actum intellectus,ut elicientis:& uolũtatis,ut mouẽtis.

Secunda diffic. Est ne oratio virtus, an virtutis actus.

CONCLVSIO.

Oratio est uirtutis actus. Et ratio est:quoniam a nobilissimis uirtutibus, Fide,scilicet,Spe,& Charitate elicitur, ut au

Aguſ. ad Probam. de orãdo Deo. thor est D.Augustinus nam Fide inquit, Spe,& Charitate,continuato desiderio, oramus.

Tertia diffic. Est ne actus virtutis Theologicæ an Cardinalis.

Quidam defendunt esse actum uirtutis Cardinalis,& speciem iustitię: alij actum esse pietatis tuentur.

CONCLVSIO.

Oratio est actus Theologicæ uirtutis, non unius solũ,sed trium,nẽpe fidei,& Spei,& Charitatis. Et ratio est,quia istæ tres uirtutes simul ad eliciẽdũ orationis actum concurrunt:

Auguſt. Fide enim incipit,& Spe continuatur(ut D.Augustinus *loco proxime citato docuit*) & in Charitate oratio terminatur.

Quartà diffic. Oratio erit ne vnus actus specialis,an generalis.

CONCLVSIO.

Oratio actus est specialis:quoniã est Fidei, & Spei & Charitatis actus,ut ex proximis conclusionibus constat, & nota non esse actum istarum uirtutum proximum, & principalẽ, sed secundarium, & subsequentem principalis actus: & ideo potest ex iis tribus elici, & manere unus actus: nam actus principales sunt, qui multiplicantur ad multiplicationem habituum,

habituum, non autem actus secundarius,& subsequens principales: ex eo enim quod credimus Deum esse omnipotentē, infinitæ misericordiæ, & speramus in illo, & amamus illum, subsequitur, ut oremus illum,& coram illo fundamus preces.

5. Dif. Est ne quoque Oratio Latriæ, siue religionis actus.

CONCLVSIO.

Est quidem latriæ actus. Et ratio est, propterea quod, adorando Deum, exhibemus illi honorem, testificantem summū Dominium, in quantum ipse solus est creationis,& conseruationis principium,& profitemur nos eo indigere, sicut authore suorum bonorum, quod ad religionem, siue latriam pertinet, licet, quatenus oramus, ut pro peccatis satisfaciamus, dicatur esse pœnitentiæ actus: idem enim actus diuersimode cōsideratus, teste Arist. diuersorum uitiorum est: nam qui mechatur lucrandi gratia, auarus est: qui propter concupiscentiam, luxuriosus appelatur. *Arist. 5. Ethic. c.*

QVÆSTIO.

An Oratio & eius usus sit utilis.

CONCLVSIO.

ORatio utilissima est,& ex eius usu uberrimi fructus emanant. Probatur inductione: nam Oratione dæmonia expelluntur. Matt. hoc genus dæmoniorū non ejicitur, nisi per orationē, & ieiunium Oratione iniquitates nostræ curantur. unde Psal. Dixi confitebor,& c. Pro hac orabit sanctus in tempore opportuno. Oratione gratię augmentum promeremur. Act. 1.& 3. Cum orarent Apostoli, repleti sunt Spiritu Sancto. Oratione a Patre luminum anima orantis copiosissime illustratur, ut constat exemplo Salom. cui oranti, & postulanti datum est cor sapiens & intelligens. Et Danielis exemplo, Oratione ianua cæli aperitur, etiam quoad salutem animarum, ut patet Iacob. c. ult. Orate pro inuicem, ut saluemini. Oratione impetramus, quod a nobis habere non possumus, teste Augst. ubi nostram miseriam,& Dei misericordiam cōfitemur. Oratione cor nostrum inflammatur, & desiderium nostrum excitatur, capacesq. redimur ad Dei beneficia susscipienda. Sūt & aliæ multæ utilitates, quas breuitatis causa, cui in hoc operi studemus, prætermittimus. *Alex. Alen. q. 90 m. 1. ar. 1. S. Thom. ar. 2. ubi supra. Med. in hac q. Matth. c. 17. Psal. 31. Act. 1. et c. 3. 3. Reg. 3. Dan. c. 9. Iacobi. c. Augst. Alex. loco citato.*

Hac conclusione labefactatur hæresis Pelagianorum,& aliorum, qui destruebant orationem,& affirmabant esse prorsus inutilem, nullius que utilitatis. lege lib. de hæresibus, & de nominibus hæreticorum. D. Aug. & S. Th. ubi supra,& Castro uerbo, Oratio, hæresi 3. *Hugo de uirtute orandi in principio Hæresis.*

Al. Alē. ar.2. ubi sup.

1.Dif. Virum orationis usus sit necessarius ad salutem.

Necessarium ad salutem tribus modis dicitur.Primo illud sine quo salus non habetur. Secundo illud,quo perfecte salus acquiritur.Et tertio illud, quo perfecte, quod necessariū est ad salutem,impetratur.Deinde reuoca in memoriam diuisionem in prin.primæ quæstio.positam,qua oratio dicitur sumi communissime,&c.

CONCLVSIO.

Oratio communissime sumpta,est necessaria ad salutē primo modo.Et ratio est,quia oratio eo modo, est idem, quod bona uita,& bona uita est necessaria ad salutem.Matt.19.Si uis ad uitam ingredi,&c.

CONCLVSIO.

Communiter sumpta,est necessaria ad salutem secūdo modo.Et ratio est,quia per orationem,si adsit charitas, perfecte salus acquiritur.

CONCLVSIO.

Oratio proprie sumpta est tertio modo ad salutem necessaria.Et ratio est,quia per illam perfecte,quæ necessaria sunt ad salutem,impetramus.

Hinc ineptissima esse demonstratur hæresis eorum, qui tantum tribuebant orationi, ut eam solam sufficere ad uitā æternam habendam,dicerent,cuius author fuit quidā Adelphius, lege Cast.ubi sup.hæresi prima.

2. dif. Efficacia orationis ad dictos effectus producendos,est ne. ex puris naturalibus,uel ex gratia.

CONCLVSIO.

Al. Alē. m.1. & S. Th.ar.15 ubi sup. Med. qō. 17.usq.in fi.tract.p totā hac q.

Talis efficacia non est ex puris naturalibus,sed ex gratia. Et ratio est:propterea q oratio, quæ fit ex charitate cum necessitate incitante, uel dirigente, non est sine aliquo gratiæ dono,& confirmatur authoritate D.Greg.super Ezech.dicentis;Ipse creat in cordibus sanctorum amorem, & ex amantibus cordibus suscipit precem.& D.Bern.de diligendo Deo,inquit,Tæpida est oratio,quam nō præuenit inspiratio:ex quibus locis colligitur aperte gratiæ donum semper præcedere orationem.

Al. Alē. m.2 &3 Th.ar.15 & 16. Ri.ar.7 ubi sup.

Tertia dif. Quæ nam sunt,quæ desiderantur,ut oratio sit efficax ad impetrandum.

CONCLVSIO.

Desiderantur præter gratiam,quatuor, nempe,ut pie,&pro se,& perseueranter,& pro salute animæ fiat oratio: ut efficax sit ad impetrandum;confirmat conclusionem Ale.authorita

te Io. ubi dicitur: Si quid petieritis patrem in nomine meo. dabit uobis: nam cum dicit, patrem, insinuat necessarium esse debere ad salutem, quod a patre petitur: per uerbum, petieritis, perseuerātiam denotat: nam est uerbum futuri temporis: & cum dicitur, in nomine meo, quod est Iesus, ut iuste, & pie petatur, docuit Christus dominus: quia Iesus salus interpretatur, & uoce, uobis: ut pro se fiat oratio, consuluit: impetrat autem talis oratio, quia pater a quo petimus est infinitæ liberalitatis, & pronior est ad dandum, quam homo sit ad recipiēdum; Et est summa ueritas, nec. n. est Deus. Num. 22. quasi homo, ut mentiatur, & promisit sic potentibus dare; est quoque eius amor immensus, & amatus amantis uoluntatem, & potestatem habere, quodammodo dicitur. Vnde Iosuæ. c. 10. hac potestate confisus, quasi præcipiendo dixit; Sol ne mouearis contra Gabaon. Ale. tota quæst. citata. & S. Th. ubi sup. & nota non semper orationem statim exaudiri: nam quædam nō negantur, ut author est D. Aug. sed ut congruo tempore dentur, differuntur.

Alex. & Th. ubi sup.

Quarta dif. Talis oratio est ne efficax ad satisfaciendum.

CONCLVSIO.

Talis oratio est quoque satisfactoria. Et ratio est, quia est opus pœnale, quod promisit Deus recipere in satisfactionem pro peccatis, sicut præmium operibus bonis reddere: per illā .n. caro, & sensualitas affligitur, & mens in Deum eleuatur, & quia diuina iustitia placatur, cum sit quoddam sacrificium Deo oblatum, & tandem quia est opus humilitatis: homo nāque per illam in cognitionem suæ miseriæ, & perditæ uitæ uenit.

Al. Alē. m. 4. ubi supra. Nau. ca. 20. in c. quando. Med. ubi sup.

Quinta dif. Vtrum oratio Dominica sit cæteris orationib. efficacior.

CONCLVSIO.

Oratio Dominica est cæteris efficacior, confirmatur aliquot rationibus. Prima est authoris dignitas, Christus. n. illius author fuit, illamq. discipulos docuit. Secunda est breuitas sententijs plenissima, quæ maxime ad perfectionē orationis uocalis desideratur. Tertia, quia omnia, quæ a nobis desiderāda, & petenda sunt, in ea continentur, & eo ordine, quo desiderari, & peti debent, sunt collocata.

S. Th. ar. 9. Ri. q. 8 ubi sup. aug. uer. oratio. Nau. ca. 19. cocl. 11. in c. quando. Med. ubi sup. q. 10.

Sexta dif. vtrū oratio peccatoris sit efficax ad impetrādū aliquid a Deo.

In peccatore sunt consideranda duo. s. natura, quam Deus diligit, & culpa, quam odio habuit.

CONCLVSIO.

Oratio peccatoris in quantum peccator est. i. secūdum desi

derium peccati, non auditur ex misericordia: auditur tamen aliquando ad uindictam, dum Deus permittit peccatorē adhuc amplius ruere in peccata. Oratio autem, quæ ex bono desiderio naturæ ortum habet, auditur, non ex iustitia, sed ex pura misericordia, si cum prædictis quatuor circunstantiis fiat. Prima pars concl. probatur authoritate D. Aug. dicētis, Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus. Vnde Prouer. 28. legitur, Qui declinat aurem suā, ne audiat legem, oratio eius execrabilis erit. Secunda pars conclusionis. s. quod nō ex iustitia, patet, quia peccator hoc non meretur, nec est dignus pane, quo uescitur.

Septima dif. Si peccator orat pro alio, exauditur ne eius oratio.

CONCLVSIO.

Si ut minister ecclesiæ orat, exauditur, non autē si ut priuata persona orat. Hæc concl. habetur in can. dictum, & Cano. ipsi sacerdotes, & can. necesse. i. q. i.

Doct. & Nau. ca. 19. concl. 4. & ca. 20. Intelligitur secunda pars nempe, si pro alio orat, dūmodo inducens peccatorem ad orandum non sit bonus: nam si Dei amicus est inducens, exauditur peccatoris oratio, non pro desiderio peccatoris, sed inducentis, & poscentis pro se orationem fieri, ita habetur in can. dictum, proxime citato.

Med. ubi sup. Animaduerte etiam, intelligi conclusionem de peccatore qui nec contritionem, nec propositum relinquendi peccatū habet: nam qui contritus est, & uult deserere peccatum, & pro illo satisfacere, proculdubio exauditur, vt D. Aug. Homil. 44. super Io. docet exemplo Publicani, cuius oratio fuit Deo placita, & descendit de templo iustificatus.

Octaua dif. Quando oratio existentis in peccato est mortalis, & exauditur aliquando in malum orantis.

Ale. qō. 96. ar. 4 §. 4. Respondeo cum Alex. Alen. Primo quando in ea illicitū petitur. Psal. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, nō exaudiet dominus, & Iaco. 4 Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, &c.

Secundo, quando ex præsumptione oritur. Constat exemplo Oziæ, q uoluit adolere incēsum sup altare Thymiamitis. *2. Para. 26*

Tertio, quando oratio ortum habet ex hypocrisi, Cū oratis, non oretis sicut hypocritæ. *Mat. 6*

Quarto, quādo fit propter auaritiam, & gulā. Væ uobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos uiduarū &c. *Mat. 23.*

Quinto, quando est occasio scandali, ut in publico peccatore, qui orat publice in ecclesia, tanquam minister illius: peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, &c. *Psal. 49.*

Ex

Ex difficultatibus positis de orationis efficacia sequentes appendices scitu dignissimæ colliguntur, ad quas melius intelligendas, relegendæ sunt propositiones, quarta in prin. 1. q. huius tractatus posita, & quinta. *Nauar. c. 30. ubi sup.*

Hinc oratio uiua de rigore iustitiæ semper meretur augmentum gratiæ, & æternæ gloriæ, & satisfacit pro peccatis, & est quoque impetratoria eorum, quæ in ea petuntur, concurrentibus tamen conditionibus supra positis. *Sco. in 2. d. 26. & 27. & S. Th. 1. 2. qō. 100. ar 1. & in 2. d. 6*

Hinc oratio mortua non meretur de rigore iustitiæ gratiam, ut communis opi docet, licet, quo ad satisfactionem sit contraria opi. inter S. Tho. & Sco. & illorum discipulos, sed de his in florib. lib. 2.

Hinc oratio mortua, quæ ex sua natura est bona, & debitis circunstantijs ornata, est efficax ad multos effectus producendos, uerum nō ex iustitia, sed ex Dei misericordia, & quia hoc Dei bonitatem infinitam decet, ut sacerdoti in mortali existenti prodest soluisse horas canonicas, ut non peccet de nouo, non satisfaciendo præcepto ecclesiæ de horis dicēdis, & habetur can. quid ergo. de pœn. d. 3. qui est D. Chrys. & can. omnes. 28. q 1. qui est D. Hier. & ad alios effectus, quemadmodum, & alia opera moraliter bona prosunt ad multos effectus, nam medijs ijs operibus Deus, quæ sua etiam infinita misericordia inspirat aliqua, quibus operans ad gratiam, & Dei amicitiam consequendam disponitur. Secundo euitatur nouum peccatum, quod committeretur si opus ex præcepto debitum omitteret. Tertio ad suffragia sanctorum comparāda, quia mouentur ad intercedendum pro illis, qui eos tanquam patronos orant. Quarto ad impetrandam salutem, honorem, & alia temporalia bona, & tandem prosunt ut bonis operibus assuefiant, & malis inclinationibus resistere discāt. Nauar. ubi sup. *Appē. 3.*

Hinc oratio mortifera, siue mala nec de rigore iustitiæ, nec ex Dei misericordia exauditur, adde ijs, quod etiam si soluens horas canonicas propter omissionem circunstantię tēporis, loci, finis, &c. peccet, etiam mortaliter, satisfacit præcepto ecclesię, quo ad effectum non peccandi de nouo, & non tenetur illas reiterare, quia præcepta diuina, & humana possunt seruari, quo ad effectum euitandi nouum peccatum sine obligatione iterum obseruandi, quantum ad substantiam actus, quę cadit sub præcepto, licet, non quantum ad intentionem, & finem præcipientis, qui non cadit sub præcepto, ut latius in flor. 2. lib. patet. *Appē. 4.* *Lege Nauar. c. 20. nu. 47.*

QVÆ-

QVÆSTIO III.

An oratio sit sub præcepto, ita ut omnes ad illam teneantur.

Al. Alē. q. 91. & 94. Tho. ar. 2. Ange. uer. orō. Medi. q. 7. & sequen.

VIdericus docuit omnes teneri ad mentalem orationē.

CONCLVSIO.

Iure naturali diuino omnes ad mentalem, & uocalem orationem tenemur. Ratio est, quia sicut iure naturali diuino tenemur uelle, & desiderare nostram salutem: ita eodē iure tenemur uelle, & desiderare, & efficere omnia, sine quibus non possumus illa consequi; nam qua necessitate tenemur uelle finem, obligamur ad media præstanda necessaria ad illū finem & oratio est huius generis, iuxta illud; petite, & dabitur vobis.

Prima dif. Erime semper orandum.

Al. Alē. q. 94. S. Th. ar 14 Med. ubi sup.

Reuoca in memoriam diuisionem orationis in communissimam, &c. quam Ale. hoc loco repetit.

CONCLVSIO.

Si orare communissime accipiatur, semper est orandū. Patet; Oportet semper orare, & non deficere. i. semper est bonū, dum adest facultas, faciendum; & Ps. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, & dicebat Samuel. Absit autem a me hoc peccatū, ut cessem orare pro uobis; item, Non impediaris orare semper. B. Pau. sine intermissione orate; & Iacob. ult. commendatur assidua iusti oratio; & Act. 1. Apost. erant in oratione perseuerantes.

CONCLVSIO.

Si orare communiter sumatur, non semper est orandum. v.g. contemplationi insistendum, quia uita contēplatiua non est in præcepto; nam dicit D. Greg. Sine contemplatiua uita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona possunt operari, & non intelligunt; nihil ago modo de uita, instituto, & perfectione religiosorum.

CONCLVSIO.

Si orare proprie dicatur, non est in præcepto semper orare. Et ratio est, quia nec iure naturali, & diuino tenemur semper orationi insistere; præceptū namq. de oratione est affirmatiuū, & obligat semper, sed non ad semper, siue pro semp. Semper, inquam obligat, quantum ad suam cām, quæ est desiderium charitatis, quod debet esse in nobis continuum, uel actu, uel uirtute; non tamen quantum ad ipsam orationē: esset uero, si humana infirmitas pateretur, semper orandum.

Hinc conuincitur hęresis Messalianorū, siue Psalianorū, q semper oratione uocali, nauandam esse operam docebant, nec enim possibile est, ut homo semper oret, necessarium si-

quidem

quidem est dormire, quo tempore nullus est mentis usus, atq; etiam comedere, & bibere, & saluti suæ & proximi necessaria comparare, & pro his acquirendis laborem aliquem moderatum, quanuis non solicitudinem adhibere, & cum hæc percipiuntur, nullus est orationi uocali locus, uide Castro. uerb. oratio. hæresi 2.

Secunda diffic. Quando erit orandum.

Si solum ius naturale consideratur, perdifficile est explicare quando homo pro se, uel pro suo proximo sub pena peccati mortalis orare teneatur: deinde uide propositionem. 3. in prima. q. de oratione positam.

CONCLVSIO.

Oratio cõmunis, & canonica, suum habet tẽpus determinatum. Hæc conclusio probatur infra. q. ult. de horis canonicis. *Al Alẽ. m. 3. q. 91. Palu. in 4 d. 15. q. 5. Naua. c. 3 ubi supra Med. ubi supra.*

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter, attento solo iure naturę, qui orationem priuatam omittit, quoties sibi uidetur, præter illam nullum esse remedium ad comparãda, quæ saluti suæ, uel proximi sunt necessaria. Et ratio est, quia quemadmodum iure naturæ tũc tenemur eleemosynam petere, quando nullum aliud remedium restat ad conseruandam uitam nostram corporalem, & eorum, qui sunt nobis curæ: ita etiam tenemur orare, & petere bona spiritualia, nostræ saluti necessaria, quando præter orationem, nullum aliud suppetit remedium, atq; etiam rationis iudicium dictat, hoc esse necessarium. Illustro exemplo. v. g. si quis uehementissima impatientiæ, honoris, luxurię, uel alterius uitij tentatione uexaretur, & nullum aliud sibi super esse remedium uideretur, aduincẽdas huiusmodi tẽtationes, præter auxilium Diuinum, teneretur illud a Deo orando postulare: sicut tenet S. Tho. iure naturæ esse ieiunium sub præcepto, quando uel ad uincendam tentationem aliquam, uel ad elevandam mentem in Deum est necessarium ieiunium. *S. Thom. 2. 2. 147 art. 3.*

Hinc, qui est in peccato mortali, & non orat, ut a peccato liberetur, non peccat mortaliter, neq; qui desinit orare pro proximo in mortali existente, ut peccatum deserat, neque qui considerans se esse in peccato mortali, non conterimur, dummodo peccatum illi non placeat, & probabiliter credat se tẽpus conterendi, & pœnitẽdi habere. Et ratio istorũ trium est: quia est aliud remediũ, ut a peccatis liberetur, præter orationẽ.

Tertia diffic. Quid si iurauit, uel uouit, &c. Orare.

CONCLVSIO.

Si quis iurauit orare, vel orationem a confessore loco pœnitẽtiæ

tię iniunctam acceptauit, iure diuino tenetur tempore, quo
uouit. uel iurauit, uel acceptauit orationem, orare. *Redditio*
Psal.75. enim uoti est de iure diuino, Vouete, & Reddite *Domino*
Deo uestro. Et ratio est, quia, ut ius canonicum, & ciuile do-
cet, quod certo tempore debetur, non licet postea, uel antea
soluere, nisi fiat in fauorem, uel creditoris, uel debitoris, uel
alicuius tertij, cuius est habenda ratio. lege cap. maxime. de
uoto. &. c. si uero. de iureiuran. & Can. admonere. 33. q. 2.

Appen. Hinc non licet horas canonicas, missas, processiones, & a-
lias orationes iure humano debitas, sine iusta causa antepone
re, uel postponere, quia sunt his horis interpositis institutæ.
non solum ad subleuandum laborem orationum eorum, qui
sunt debitores, uerumetiam ad consolationem populi Chri-
Intellige de horis in choro-nam primatum alia est ratio, ut infra in q. de horis canonicis
stiani, & ad diuinũ cultũ, & deuotionẽ, & attẽtionẽ augendã.
Hinc ille, cui iniuncta est pœnitentia recitandi, uel totum
Psalterium, uel septem Psalmos pœnitentiales in tribus. 6. fe-
rijs, siue tribus mensibus, ut minori cum labore illam adim-
pleat, uel qui medio iuramenti, siue uoti, ad idem est obli-
gatus, poterit tempus prœuenire. Et ratio est: quia tempo-
ris protractio & diuisio fuit determinata in suum fauorem:
uerum si talis dilatio temporis fuit determinata, ut diutius du
raret memoria, & dolor peccatorum, uel passionis Christi,
uel causę, quę ad uouendum, siue iurandum mouit, non satis
facient, si non suis diebus, & temporibus recitent.

Appẽ. 2. Hinc Sacerdos: cui imposita est pœnitentia post missam ad
implenda, satisfaciet, si ante missam illam faciat, quia tempus
in suum fauorem assignatum esse uidetur, *non* autem ante
missam, quia non uidetur tempus in suum fauorem tunc esse
determinatum, sicut quando post missam; nam uidebatur ue
risimile imponenti pœnitentiam non posse suppetere illi lo-
cum, ante missam celebrandam.

Quæria diffic. Quo alio tempore erit oratio sub præcepto.

CONCLVSIO.

Omnes, cessante iusto impedimento, tenemur iure huma-
no, diebus ab Ecclesia prœceptis assistere Sacerdoti celebranti
& oranti pro populo. Definita est in canone missas. d. 1. alias
autem horas non tenentur seculares, uel audire, uel dicere
prœfatis diebus, nisi esset talis consuetudo inducendi obliga-
tionem præscripta,

Appẽ. 3. Hinc multi obligantur ad certas processiones, missas, &
orationes certis diebus, & horis propter statuta, siue constitu-
tiones religionum, uel ciuitatis, uel confraternitatis, leges ali

cuius

tuius regni, quibus alij non comprehenduntur.

Quinta dif. Estne determinatus, & præscriptus orationi locus? *Al. Alē. m. 2. S.*

CONCLVSIO.

Horis canonicis publice dicendis definitus est locus. Hæc conclusio probatur infra. q. de horis canonicis. *Th q. 85 ar. 3. Nau. c. 5.*

CONCLVSIO.

Nullus locus ab alijs orationibus, siue mentalibus, siue uocalibus excluditur, dummodo alię circunstantiæ concurrant. Probatur per Psal. In omni loco dominationis eius, bene dic anima mea Domino, & cum in omni loco dominetur, omnis locus erit ad orandum aptus, & B. Paul. ad Thi. 2. Volo, uiros in omni loco orare, & in prefatione missę: Vere dignum, &c. Nos tibi semper & ubiq; gratias agere. Veruntamen cæteris paribus, si commode fieri posset, esset locus sacer multas ob causas eligendus, nempe, propterea quod Christus dixit Mat. 21. Domus mea domus orationis uocabitur, & propter muttam ad orandum conformationem. B. Paul Col 3. Commouentes uos metipsos in Psalmis, &c. Tum ratione maioris deuotionis, dicente D. Chrys. Templum est maioris deuotionis excitatio; præterea, quia ibi causa honorandi corpus sanctissimum Christi, est maior angelorum frequentia ad hæc, ut faciliùs, quæ petimus, impetremus, quod manifeste. 3. Reg. legitur Aliæ sunt etiam causæ, quas apud S. Th. inuenies ubi supra, Dicitur notanter in conclusione, dummodo aliæ circunstantiæ concurrant, quia si in alio loco orando daretur occasio scandali, uel hypocrisis, esset peccatum ibi orare, ut D. Amb. & Aug. docent, quos citat Vuald. de sacra. c. 143. & 147. ut si in loco publico, ubi est maximus hominū concursus, publice sine ulla cā, & cū certis cæremonijs impertinētib. oraret. *Ibi supra* *Mat. 21.* *3. Reg. c. 8. & 9.* *S Th ubi supra & in 3. p. q. 85. ar. 3* *D. Amb. & Aug.*

Ex hac conclusione sequitur contra quosdam, posse fieri etiam uocalem orationem, dum uentre exoneratur, & alijs in locis immundis, propterea quod non est ius diuinum, nec humanum, quo id prohibeatur, nec ratio efficax, qua oratio ibi facta mala esse persuadeatur: quia quod, necessitate compellente, id fieri potest, & tunc, si esset lex humana in contrariū, cessaret. can. Sicut. de conse. d. 1. &c. quanto. de consuet. tum etiam, quia melius est ibi Deum mēte, & lingua laudare, quā animam immundis cogitationib. maculare, & posset talis locus, corporalibus immunditijs infectus, esse occasio, ut orans humiliaret se, considerando humanam immunditiā, & Dei infinitam pulchritudinem, & munditiam. attamen, ut D. Amb. & Aug. docent, semper opportunior locus esset quęrendus. *Appen.* *Amb. & Aug.*

Sexta diffic. Sintne certi corporis gestus in oratione seruandi.

Oratio, quatenus sacramentalis, & satisfactoria, habet uirtutem impetrandi, & significandi. Impetrandi ratio residet penes deuotionem, & feruorem orantis: Significandi uero ratio penes id, quod exterius apparet.

Al. Alē. q. 94. m. 3. Nau. c. 4. in c. Quando. Hugo 2. de sacr. Dam. li. 4. c. 11.

CONCLVSIO.

Ex parte Dei, qui a nobis oratur, congruentissime gestus corporis, quibus ad orientem respicimus, obseruatur. Et ratio est, quia per istos gestus significatur orationem nostram esse ad Deum, super omnes creatutas excellentissimum, diligendam, propterea quod, in ea parte sol omnium creaturarum corporalium nobilissimus oritur, lege D Augusti. in serm. De monte. lib. 2. &c. Ecclesiasticorum. 11. dist.

CONCLVSIO.

Ex parte nostra appositissime corporis gestus diuersi ad significandum adhibentur. Ratio est, quia ceruatione. v. g. genuum, uera humilitas, & reuerentia, repræsentatur: extensio ne manuum crudelis passio Christi, & obedientia illi debita, significatur, tunsione pectoris pœnitentia debita insinuatur. Et confirmatur exemplo Christi, qui orando in faciem procidisse apud Matth. legitur, & in Psal. Venite adoremus, & procidamus ante Deum, &c.

Nota tales gestus non esse de essentia orationis, quia hoc tempore gratiæ nullo iure humano, uel diuino præcipiuntur. Cæterum cum sint introducti ab uniuersali cōsuetudine, erit in officio publico, quod publice celebratur, consuetudo prouinciæ, siue Ecclesiæ seruanda: at uero oratio siue officiū Diuinum priuatim dicendū poterit sine peccato dici stando, sedēdo, recūbendo, iacendo, ambulando, equitando, dūmodo reliquę circunstantiæ seruentur, & occasio scandali nō præbeat.

QVÆSTIO. IIII.

An sit utendum oratione uocali, uel mentali tantum.

Al. Alē. q. 90. m. 2. art. 4. S. Th. ar. 12. Ri. q. 5. Med. ubi supra

CONCLVSIO.

ORatione uocali & mentali uti integrum est. Et ratio est, quia licet oratio sine uoce sufficiat, ut a Deo exaudiatur: dicitur enim Isai. 65. c. Antequam clament, ego exaudiā, nihilominus tamen uoce quoque orandum est, propter multas utilitates, quæ ex oratione uocali emanant: ea siquidem cor nostrum accenditur, in tellectus illuminatur, recordatio temporis orandi renouatur, iustum corporis, & animæ obsequium exhibetur, deuotio excitatur, proximus instruitur.

Vide

Vide D. Aug. ad Probam. Bedam Matth. 6. super, Nolite assimilari illis, & super, Scit enim Pater uester, &c. eodem cap. Doct. ubi supra. *Aug. ad proban. Beda. Mat. 6.*

Prima diffic. Vtrum sit necessarium uocali oratione uti.

Memento propositionis 3. in. 1. q. positæ de oratione communi, & particulari.

CONCLVSIO.

Communis oratio necessariò est futura vocalis. Ratio est, quia debet innotescere populo, pro quo offertur: ut ad deuotionem excitetur, & ne Sacerdotes suspicentur debitas laudes omittere: cum enim Ecclesia ex sensitiuis creaturis constet, oportet sensibiles, idest, uocales orationes per eius ministros Deo offerri: alioquin, cum non iudicet de occultis, nesciret, an Sacerdotes suum officium facerent: & ita ab Ecclesia fieri præcipitur. lege Isido. de sum. bono. c. 7. *Isido.*

Hinc malè faciunt, qui missas ita celebrant, & horas canonicas in Ecclesia persoluunt summissa voce, ut ab auditoribus intelligi nequeant, nisi aliqua iusta causa interueniat: hoc tamen diligenter seruetur, quoquo modo hæc dicantur, ut sensus uerborum distinctè a se, & ab alijs percipiatur, ut Ecclesiæ deuotio excitetur. Appen.

CONCLVSIO.

Singularis oratio, non est necessario futura uocalis, nisi homo ad talem orationem uoto obligetur, constat Psal. 26. Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, & 1. Reg. 1. exemplo Annę, quæ corde suo loquebatur: ubi de oratione mentali sacra loquitur Scriptura: licet uocalis, ut in prima concl. huius q. demonstrauimus, utilissima sit. *Ps. 26. 1. Reg. 1.*

2. *Diffic. Estne uocalis magis exercenda, & utilior mentali?*

Memineris propositionis. 2. in principio tract. collocatę. de oratione mentali, &c. *Alex. ar. 6. ubi supra.*

CONCLVSIO.

Mentalis oratio perfectior est, & utilior simpliciter oratione purè uocali. Et ratio est: quia mentali loquitur cor Deo, purè uocali labia tantùm. Populus hic labijs me honorat, &c. *Isai. 29. Matt. 15*

CONCLVSIO.

Si uerba in oratione mixta impediunt affectum, utilior est mentalis: at uerò, si uerbis iuuatur affectus, & magis animus inflammatur, uocalis erit utilior iudicanda. Ratio est, quia uerbis & alijs signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus: quamobrem, si mens per hoc distrahatur, uel aliquo modo impediatur, erit ab ijs cessandum. Verũ *Loquitur de praesentanonic.*

si

si oratio est particularis mentalisque pura, utilior erit tunc uō cali oratione mixta.

CONCLVSIO.

Communis oratio uocalis utilior est pura mentali. Ratio est; quia desideratur interior, & exterior affectus ad excitandos animos omnium fidelium ad bonum: quod, cum sit commune, præferendum particulari bono est: quæ quidem nunquam est sine particulari affectu, si non Sacerdotis, saltem alicuius membri Ecclesiæ: semper enim in Ecclesia est aliquis, qui affectum mentis in Deum habeat.

Appen. Ex ijs colligitur orationem particularem mentalē uiri perfecti, qui sic inflammatur, ut in Deum totaliter feratur, utiliorem esse uocali: quia non indiget uoce ad deuotionē excitandam, & affectum inflammandum: uiri autem imperfecti utiliorem esse uocalem: nam ad hominum parum spiritualium affectos prouocandos, sunt orationes uocales ab Ecclesia præsertim institutæ.

Alex. ar. 2. ubi supra.

3. *Dif. Conuenienter ne tradita fuit forma uocaliter orandi.*

CONCLVSIO.

Conuenientissimè quidem tradita fuit. Patet conclusio exemplo Christi Iesu. Matth. 6. Qui docuit Apostolos orandi formam dicens: Sic orabitis, Pater noster, &c. & exemplo Ecclesiæ, quæ innumeras orationes composuit, ex quibus, quid petendum sit, innotescit, & multiloquium euitatur, & desidetium orandi; atque deuotio excitantur.

Mat. 6.

Med. ibi. Siluest. ver. oratio.

4. *dif. An sit necessariò orandum secundum formam, à Christo in oratione Dominica traditam?*

¶ Duæ sunt opiniones. Vna negans. Altera affirmans.

CONCLVSIO.

Formam Dominicam orandi, eo ordine, quo tradita est, scire, & iuxta illam orare saluberrimum est, non tamen uidetur iure diuino, sub pœna peccati mortalis præcepta: confirmatur communi Doctorum sententia, & D. August. authoritate in epistola 89. ad Hilarium: tum etiam, quia Christus Dominus illam nō precipiendo, sed docendo tradidit, & Ecclesia non dicit, Præceptis salutaribus iussi, uel coacti, sed moniti: tandem sicut non est ad salutem necessarium, symbolum memoriter retinere, cum satis sit, ad singulos articulos etiam sine ordine propositos respondere: ita quoque sat erit, ut interrogatus quis de singulis petitionibus illic contentis, sciat illa esse petenda, nempè, quòd fiat voluntas Dei, quòd det nobis

August.

panem

panem quotidianũ, &c. securior tamẽ est contraria opinio.

Quinta diffic. An sit in oratione multiloquium licitum?

Non intelligitur titulus de oratione canonica, quę est sub præcepto, sed de uoluntaria oratione.

CONCLVSIO.

Si multiloquium fit, ad fastidium, uel otium tolendum, uel ad deuotionem excitandam, licitum est. Hæc conclusio est D. Hier. ad Rusticum monachum, & Hugo de uirtute orandi, 11. cap. *D. Hier.*

Hinc damnatur multiloquium in fidelium, existimantiũ Deum multiloquio inclinari, uel si absens est, uocari, uel si nescit doceri: non autem condenatur multitudo lacrymarũ, & preces multæ, continuæq; cum cordis puritate, & intentionis syncerit ate fusæ. Appen.

Sexta diffic. An sit mentalis oratio necessaria.

Baptista uerbo oratio. §. 10. varias Doctorum sententias re conciliare conatur. *Med. ibi.*

CONCLVSIO.

Mentalis oratio non est necessaria sub præcepto, nisi quãdo uocalis priuata est quoque sub præcepto, propter eisdem rationibus, quibus uocalis obligat ad mortale peccatum, supra in difficultate, quando erit orandum, &c.

QVÆSTIO V.

An requiratur attentio in oratione vocali.

NOtanter dicitur in titulo. q. in oratione uocali: nam de mentali frustra quæreretur, cum ipsamet oratio mentalis sit attentio: nam tandiu durat oratio mentalis, quandiu perseuerat attentio: impossibile siquidem est mente orare, & non attendere. Deinde animaduertendum est aliud esse attendere, aliud deuotionem habere: nã attendere est ad id, quod dicitur mentem habere præsentem, nempe, ut hoc uerbum fertur in corde, quod profertur in ore. Deuouere autem, unde deuotio deducitur, est habere quandam animi propensionẽ, & applicationem in alterius obsequium: ut v. g. cum quis est promptissimus, & paratissimus in Dei, uel alicuius sancti obsequium, ex iis emanat quædam animæ delectatio, quam uulgus deuotionem uocat. *Alex. Alen. art. 5 S. Th. ar. 13. Ric. q. 6. Ang. § 10. & 12. Soto l. 10 de Iustit. & Iure q. 5. art. 5. Nau. 13. vbi sup. Med. hac ead. q̃st.*

CONCLVSIO.

Attentio est in præcepto, sub reatu mortali obligante omnes clericos canonice orantes, & canentes. Definita

est ab Inoc. c. dolentes. de cele. miss. ubi dicit sum. Pon. Distrē cte præcipimus in uirtute sanctę obedientiæ, & diuinum officium nocturnum, pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit studiose celebrent, pariter, & deuote: idem iudicandum est, quando sub pœna peccati mortalis ad orationem, ut supra dixi mus, aliquis tenetur; nam eodem præcepto, quo tenetur ad orationem, obligatur etiam ad attentionem.

CONCLVSIO.

Quando oratio non est sub præcepto, sed est libera, orans debet attendere. Et ratio utriusque conclusionis est, quia cū oratio sit actus uirtutis, ut ex 1 q. constat, necesse est, ut fiat, quando, & ubi, & potissimum quo modo oportet, quibus circunstantiis quælibet uirtus constat, & modus nullius naturæ orationis magis quadrat, quam attentio: tenetur enim quilibet, dum orat, pro dignitate orare, ne irrisor, & contemptor apud Deum esse uideatur: non erit tamen mortalis culpa, indecenter tunc orare, animo distracto, dummodo abst contemptus, sed erit uenialis culpa duntaxat, & intelligitur, si uoluntarie diuagetur, & uolens alia diuersa considerat: nam si non scienter, nec ex proposito, sed uel contra uoluntatem, uel prætendistrahitur, excu ationem habet, propter intellectus nostri volubilitatem: contra Gabrielem, super Can. est. Vide Naua. cap. 13. nume. 38. & infra ubi multas colligit illationes.

Appen. Hinc multi Missas uoluntarie audientes, & preces fundentes, peccant ex proposito distracti, qui non peccarent omittētes, cum nullo præcepto ad Missas illas audiendas, precesue fundendas teneantur.

Prima diffic. An attentio per totam orationem sit necessario habenda?

DD. ubi supra. Necessarium duobus modis sumitur. Primo dicitur necessarium simpliciter, sine quo res suum finem attingere non possunt, ut cibus ad uitam. Secundo uocatur necessarium illud, quo melius, & decentius ad finem peruenitur, ut equus ad iter agendum. Tres sunt, alijs interim prætermissis, oratio nis fructus. Primus, ut actus sit moraliter bonus, si extra gratiam fiat, idemq; meritorius, si procedat ex gratia. Secundus orationis effectus est impetratio. Tertius, & præcipuus effectus est spiritualis quædam mentis refectio, dulcissimaq; recreatio, quæ ex oratione Deo facta effluit.

CONCLVSIO.

Ad primum, & secundum effectum consequendum, non est

est necessaria simpliciter attentio, quæ totam orationem cõ
comitetur. Et ratio est; quia habere mentem semper fixam,
ut non diuagetur, non est in nostra potestate, de qua re con
quærebatur Dauid dicens; Cor meum derelinquit me: qua- Ps. 39.
mobrem diuagatio, cum quis non aduertit, non imputatur
ad culpam: satis namque est, ut oraturus in principio, quid
facturus sit, attendat, ut oratio sit moraliter bona, & impetra-
toria, tunc enim uis, & robur attentionis actualis in princi-
pio habitæ per totam orationem durat, & uocatur uirtualis,
de qua infra.

CONCLVSIO.

Est tamen attentio per totam orationem durãs ad dictos
duos effectus secundo modo necessaria. Et ratio est, quia
splendidissimum decus, & ornamentum est singulis uerbis,
quis, quid, & cum quo loqueris, attendere.

CONCLVSIO.

Attentio, quæ fit individuus orationis comes, est simplici-
ter necessaria, ut orans tertium orationis effectum consequa-
tur. Ratio est, quia huiusmodi mentis refectio, & delecta-
tio non consistit in habitu, sed in actu uitæ spiritualis. Vn- 1. Cor. 14
de B. Paul. Si orem lingua (scilicet sola) mens mea sine
fructu est.

*Secunda diffic. Ad quid debet attentio, quæ necessaria
orationi est, referri?*

Attentio triplex est. Prima ad uerba. Secunda ad sensum
uerborum. Tertia ad Deum, ad quem oratio dirigitur. Hęc
diuisio est S. Tho. & Ric. locis citatis, quam sequentium Do
ctorum agmen amplectitur.

CONCLVSIO.

Primam attentionem habere debent omnes, qui ex præce
pto ad uocalẽ orationẽ obligantur. Ratio est, quia hac at tẽ
tione deficiente, orans exponit se periculo non dicendi, q
dicendum est, uel non recte illud pronunciandi, quodquidẽ
culpa non caret in eo, qui ex proposito ad uerba nõ attẽdit.
Hæc est sequentibus inferior, & doctis, & indoctis cõmunis,
& sepe indocti, qui alia misteria non callent, inter orandum
ad Diuinã maiestatem, cum qua loquuntur, mentem eleuãt,
quod uiri docti sola uerba ponderantes, & perpendentes, quã
doq; non faciunt. Deberent tamen idiotæ linguã, in qua o-
rant, scire, ut rectius hanc attentionem haberent; & tædio,
quo in choro propter ignorantiam afficiuntur, liberarentur.
Sic enim in Conci. Trid. Sess. 23. c. 11. & 13. traditur.

CONCLVSIO.

Secunda attentio non est semper ab omnibus necessario habenda. Ratio est, quia multi clerici, & religiosi, & monia les, Græce, uel Latinè orantes, nec sensum uerborum intelligunt, nec intelligere possunt: satis enim illis est, si ad uerba: ut recte pronuntient, & ad Deum, cum quo loquuntur, attendant.

CONCLVSIO.

Neque uiri Docti, qui orationibus ab Ecclesia ordinatis, tanquam illius ministri utuntur, ad hanc secundam attentionem uidentur obligari. Ratio est, quia cum in his orationibus nihil illicitum, aut ineptum contineatur, satisfaciunt, ita orantes: si in genere intendant a Deo petere, quod ibi continetur, licet, particulariter ad contenta minimè attendant. Hæc secunda attentio est melior prima.

Notanter dicitur in cõclusione, orationibus Ecclesiæ, &c. quia si oratio nõ est talis, uel aliunde benè ordinata, sed proprio composita marte, & ex tempore Deo offeratur, necessarium erit ad sensum verborum, quibus orans utitur, attendere, ne tali attentione defficiente, uerba inepta, & imprudẽtia proferat: maiorem enim culpam cõmitteret, quã qui a Rege terræ per uerba inepta, & imprudentia aliquid peteret, atq; periculo non impetrandi, quod petit, se exponeret.

CONCLVSIO.

Tertia attentio, quæ omnium præstantissima, omnibusq; communis est, maxime necessaria cẽsetur. Ratio est, propterea quod finis, & scopus orationis in Deum ipsum, eiusque gloriam, qua ipse beatus existit, est referendus: ita ut non tam ad nostrum bonum, quod esset amor concupiscentiæ, quam ad eius gloriã, quod ad amorem amicitiæ attinet, orationem nostram referamus: nẽpe ut sua uoluntas, qua uoluit suam propriam felicitatem in nos effundere, adimpleatur, atque ita, & quando inchoantur horæ, & in fine cuiuslibet Psal. Gloria patri, &c. cantatur.

Appẽ. 1. Hinc licebit prima, & secunda attentione uti, tanquam mediis ad hanc tertiam consequendam, si Deus, quæ sua est infinita misericordia, illam concesserit: sunt enim duæ priores huius tertiæ tanquam comites, & ministræ.

Appẽ. 2 Eodem etiam modo integrum erit in Virginem sanctissimam, & alios sanctos attendere, Beatissimamq; Christi Iesu humanitatem, eiusq; acerbissimæ passionis mysteria interorandum contemplari, & meditari, ut dum uisibiliter Deum

cogno-

cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.

Hinc, licet fas quodammodo sit, ad temporale, quod petitur, attendere, non tamen est diutius ibi immorandū, ne diuinam maiestatem illuc referre uideamur. Appē. 3.

Tandem, hinc neque sempiterna gloria, neque uirtutes, quibus illuc peruenitur, neq; proxime dicta tanquam finis ultimus orationis meditanda sunt, ut ex ult. concl. constat. Appē. 4.

3. *Diff. An sint omnes tres attentiones necessariæ simul, ut præcepto ecclesiæ satisfiat.*

CONCLVSIO.

Doct. & Caiet. ubi sup.

Non sunt omnes tres necessario simul habēdæ, ut ecclesiæ præcepto fiat satis, cum quælibet illarum sit sufficiens ad satisfaciendum. Probatur ex proxima difficultate, quia idiotæ secundam habere nequeunt, & confirmatur communi doctorum sententia.

Est tamen limitanda conclusio dummodo in prioribus attentionibus, & in alijs, quæ licite contemplari posse inter orandum diximus, finis ultimus non constituatur: tunc. n. non fieret satis ecclesiæ præcepto, ut proxima difficultate fuit declaratum.

4. *Diff. Quando omnes, quæ sunt sub præcepto, ob defectum attentionis erunt reiterandæ.*

Primum notabile in principio orationis, ut sit etiam satisfactoria ecclesiæ præcepto, desideratur actuale, & expressum, siue uirtuale, & tacitum attendendi propositum: nam oratio est actus humanus, & debet fieri cum deliberatione, & proposito, & fine conuenienti: alioquin esset brutalis actus: uerbi gratia si quis accipiat Breuiarium cum proposito expresso dicendi horas, ut ecclesia præcipit, sufficiens propositum attendendi habet in principio, quamuis non expressum: perinde etiam sufficiens habet propositum, qui sciens, & prudens, accipit Breuiarium, & confert se ad ecclesiam, uel quid simile facit, qui si interrogaretur, responderet, se illa facere, ut seruet ecclesiæ præceptum, de horis dicendis: quod est uirtuale, siue tacitum propositum. Secundum notabile supradictum propositum dupliciter deprehēditur actualiter, & expresse, siue uirtualiter, & tacite. Primo modo, si actu, & expresse nolit attendere, quod habere solent, qui iam semel soluerunt pensum horarum, & secundo recitant in choro, uel cū alio, quod fit sine peccato ueniali, ut supra, de oratione uoluntaria diximus, uel qui cum alijs inepte recitantibus soluit diuinū officium, & determinat secum, iterum debitum officium

soluere. Secundo modo uirtualiter, &c. deperditur ab illo, qui ex proposito in ipsa horarum continuatione ad alia indeuota, aut uitiosa diuertitur contemplanda, uel aliquo negotio occupatur, quod suapte natura orationis attentioni aduersatur, & uidens se, hac de causa, nullam habere attentionē, non curat attendere. Probat hæc duo notabilia communis doct. opinio.

CONCLVSIO.

Quando, data opera, nullum habetur attendendi propositum, sunt horæ canonicæ, & aliæ orationes alias debitę, reiterandæ. Ratio est, quia non seruatur ecclesiæ præceptum de attentione debita habenda, ut ex superioribus, & ex primo notabili constat.

CONCLVSIO.

Quando inter orandum exercetur opus attentioni orationis repugnans, sunt horæ, & debitæ orationes, reiterandę. v. g. si quis dum orat, scribat, pingat, legat, aut aliud opus simile faciat, quod peculiarem attentionem expostulat. Ratio est, quia hoc faciens, & aduertens se distrahi, caret proposito attendēdi, & ex consequenti non satisfacit præcepto ecclesiæ. Idem censendum de illis, qui in choro adinuicem loquuntur, uociferantur, &c. quia hæc attentioni debitę repugnant, ut ex secundo notab. patet. Ex ijs, quæ posita sunt in hac difficultate sequuntur aliquot appendices.

Appē. 1. Hinc, qui horas dicit, non animo soluendi debitum, sed recreationis in legendo capiendæ, uel intelligendi, quæ ibi scripta sunt, & etiam qui in progressu orationis mutat propositum satisfaciendi præcepto, tenetur illas reiterare.

Appē. 2. Hinc, qui recitat horas uestiendo se, abluendo manus, deambulando, sedendo, equitando, &c. dummodo unam trium attentionum conetur habere, non tenetur reiterare: quia nō facit opus attentioni contrarium: peccat tamen uenialiter aliquando sic recitando propter orationis dignitatem: dixi aliquando, nempe, si non mediocrem attendendi diligentiam adhibeat, uel non interueniat iusta causa, ut si quis præter spem summo mane excitetur, ad celebrandum, necessitate urgente, & inter uestiendum dicas horas, usque ad primā.

Appē. 3. Hinc, qui recitant ex præcepto, & uidentes se parum attentos, & deuotos extitisse, & perinde absoluunt horas cum proposito reiterandi, male faciunt, quia cum mediocrem diligētiam adhibuissent, satisfecerunt præcepto, & quia putarunt se non satisfeciſſe, tenentur illas iterum dicere.

Hinc

Hinc, qui sepissime distrahitur, & curat quantum in se est, attendere, non tenetur horas redicere. Appē. 4.

Hinc, qui attendentes ad uerba, ita festinanter pronūciāt, ut socij licet linguam calleant uerborum sensum percipere nequeunt, non satisfaciunt præcepto ecclesiæ: quia festinatio illa præceps impedit, quominus illa attentio, sit medium ad alias attentiones, quod clem. i. de cele. miss. uer. transcurrendo. prohibetur. & c. dolentes. eo. ti. Appē. 5.

Hinc, qui cum socijs in choro, & extra uersus anticipant, non seipsos expectantes donec uersum finiant, non satisfaciunt, & reiterare tenentur, propter causam proxime dictam, si notabilem parte horæ ita absoluerint. Appē. 6.

DVBIVM.

Si quis dubius propter mentis euagationem, dixerit psalmum aliquem, uel horam, tenebitur ne illam reiterare.

CONCLVSIO.

Tenebitur quidem, si non recordatur, nec probabilem alii quam coniecturam, siue rationem habet, qua credat se dixisse, redicere: alioqui. n. non tenetur reiterare, quemadmodum non tenetur iterum confiteri peccata, qui non recordatur se illa confessum fuisse, dummodo sufficientem coniecturam habeat, quod fuerit illa confessus.

Hinc, non tenebitur ad reiterandum psalmos, uel horam, qui dubius est, & non recordatur se non dixisse, & habet iustā causam credendi, q̄ illam dixerit, & in principio habuit propositum attēdendi, ut in primo notab. dicitur, licet uana meditatus fuerit, & animaduertens mentis diuagationē, statim attendere curauerit: perinde qui recordatur se incepisse talē horam, & non attendens ad finem peruenit, legendo illā in libro, uel memoriter recitando ea, in quibus communiter errare non solet, potest iuste credere se illam dixisse, & male faceret reiterando: nam hinc in suo animo impertinentes scrupuli pullularent. Appē. 7.

Idem iudicium est de sacerdote eodem modo dubitante, en in missa uerba, uel signa aliqua omiserit. Non potui me continere hæc corrigens, quin errorem quendam communē in recitandis horis a uiris doctis, ex inaduertentia commissū, & ab indoctis eorum malo exemplo imbutis obseruatum: & est, quod sæpissime multarum dictionum syllabas detrahunt & ex primis personis addendo. t. tertias faciunt, & ex tertiis personis secundas detrahendo. t. cum enim dicendum sit in fine orationum filium tuum, pronunciant, tum, & cum dicen Appē. 8.

dum sit salutare tuum, dicitur quoque tum, & peregrinationis meæ, dicitur me: & loco seruus tuus, dicitur seruus tus, & cum legendum sit a calumnijs hominum profertur a calumnis, & seruaui mãdata, seruauit, & si de sententia Nauarri mutaret accẽtum dictionis: ut dicere Lucia, pro Lúcia, est uenia le peccatum: quam graue ueniale erit, & accentum, & significationem modo supra dicto destruere? aduertant amore Christi, & desinant posthac tam inepte proferre, ne Deus Opt. Maxi. passim, ut fit, hoc modo offendatur.

5. *Diff. An interruptio, siue interpositio horæ sit peccatum & hora tunc reiteranda.*

Merito hoc quæritur propter abusum maximum interponentium, & quia can. nihil. i. q. i. quod est Conc. Tole. & cle. i. de celeb. miss. quod est concil. Vienen. ubi præcipitur, ut sine interruptione diuinum officium soluatur: & quia, quod interponitur, distrahit a debita attentione.

CONCLVSIO.

Quando, quod interponitur, breue est, uel ad officiũ ipsum siue finem eiusdem officij pertinet, uel saluti spirituali, corporali, temporali, honori, uel bonis fortunæ orantis, siue proximi competit, & commode protrahi non potest: dummodo sine scandalo, & cum proposito continuandi horam fiat interpositio, non erunt horæ interpositæ, tunc redicndæ, nec eulpa aliqua committetur. Probatur concl. a similinam testamẽtum, & stipulatio sine interpollatione fieri debent: nihilominus tamen, si quod interponitur patum est, uel ad testamentum pertinet, uel saluti testatoris, uel testium, fuerit necessariũ, testamentum, & stipulatio uim suam, & robur obtinẽt, vt locis in margine citatis habetur.

Arg. l. cõtinuus, in prin. ff. de uer. si. Arg. l. hæredes palam. § fi. ff. de test. Arg. l. cũ antiquitas. C. de test. & l. hæredes citata. L. cõtinuus. in prĩ. ff. dever. sig.

Hinc, licebit chorum ingredientes salutare: quia est opus breue, & honestum, & unum, aut alterum uerbum famulo respondere, & aliquid breue præcipere, cuius postea fortassis nõ recordabitur: aut si non continue præciperet, uix posset mentem ab illius cogitatione amouere.

Hinc poterit, qui solus recitat in contemplatione alicuius uersus immorari, & accendere cereos, lectiones, & psalmos quærere, & alia id genus interponere, quia hæc licite, durante officio, fiunt cum ad illud, uel eius finem pertineant.

Hinc integrum erit aliquod opus misericordiæ spiritualis aut corporalis, interponere, saltem quando tale opus differri commode haud potest: eadem quoque ratione poterit quis exo-

exonerare uentrem, uel potionem aliquam sumere, atque etiam adiuuare proximum, uel eius animal, si ceciderit, recipere hospitem, cui, ut expectet, sine scandalo dici non potest, & alia opera charitatis, pietatis, & uirtutis interponere: quoniam non potest tale opus commode differri, uel ex dilatione damnum aliquod sequeretur: propter eandem causam, & iudici licet inter orandum aliquid breui ordinare, præcipere & prouidere: quoniam hoc commode dilatare non ualet. Omnia hæc in hac secunda appendice posita confirmantur ex conclusione, quia saluti spirituali, uel corporali, &c. competunt.

Notanter dicitur in conclusione sine scãdalo, quia si multi in choro, uel extra simul recitant, nihil potest ab uno sine consensu aliorum interponi: nam socii ob id scandalizarentur, & a debita attentione distraherentur. Tandem nota ultimam partem conclusionis. s. cum proposito continuandi: nã qui aliquod opus prædictorum interponeret, decernens non continuare horam, & satisfacere pro tunc obligationi, quam habet, tenetur, absoluto opere, horam interpositam redicere, quia operariorum labores, uel opera non latius se extendunt quam eorundem intentio. Vnde fit, ut multi teneantur horas reiterare, quæ non essent reiterandæ, quia existimantes se non satisfacere, mutarunt intentionem, nolentes pro tunc satisfacere.

DVBIVM.

Quando igitur interpositio erit peccatum, & hora reiteranda.

Propositio prima.

Quando interpositio est impertinens, & potest commode protrahi, quantumuis sit breuis, non caret culpa, saltem uenia li. v. g. si risus insolens, uerbum inhonestum, rixa, negotium aliquod, allocutio famuli, præcipiendo illi, fac hoc, uel illud, egressus sine iusta causa e choro, & aliud, id genus, interpona tur. Ratio est, quia oratio debet esse continua, & huiusmodi interpositiones debitam attentionem impediunt.

Propositio secunda.

Ob talem interpositionem, si fiat cum animo continuandi cum præcedentibus sequentia, non erit hora redicenda. Ratio est, quia parum temporis, siue breue opus, licet impertinens, non discontinuat aliud opus, quãuis ueniale, uel mortale efficiat.

Quando

Propositio tertia.

Quando interpositio est adeo longa, ut iudicio boni uiri, discontinuet officium, erit tunc hora reiteranda. Cæterum sarius erit in dictis propositionibus horam redicere. Sunt, & aliæ causæ redicendi horas supra diff. proximis traditæ. Animaduertant autem, qui timidam conscientiam habent, non teneri ad reiterandas horas in casu, quo existimant se, uel nō integre pronunciasse, uel aliquo modo syncopasse, uel verba aliqua non uoce, sed gutture dixisse, dummodo defectus non sit ualde notabilis: nam tunc satis erit, ut de huiusmo di defectibus pœnitentiam agat.

6. Diff. Qui recitat horas, dum audit Missam de præcepto, tenebitur illas ob defectum attentionis redicere.

Olim fuit opi. negans, quia unico actu non putabant duobus præceptis satisfieri posse.

CONCLVSIO.

Horæ, & aliæ orationes debitæ cum sufficienti attentione dictæ, dum missa de præcepto auditur, non sunt reiterandæ. Ratio est, quia ibi solum præcipitur, ut missa attente audiatur, non autem, ut simul, quæ a sacerdote dicitur, audiantur, & intelligantur: cum longe distantes ab altari, & græcam missam audientes, præcepto de audienda missa satisfaciant, neq. per solutionem orationum præceptarum attentio *missæ* debita tollitur, & qui reddunt creditori extrema necessitate laboranti debitum, eodem actu iustitiæ, & charitatis præceptū adimplent.

Hinc, qui dum missa solennis cantatur in choro, tempore quo sacerdos tacet, recitant, cessando, quando dicitur oratio, Epistola, & Euang. lium, & deinde prosequendo usque ad finem, non tenentur horas reiterare, nec propter interpositionem, quia talis interpositio quodam modo ad dictum officiū pertinet.

7. Diff. An feruida, & intensa deuotio, ita sit orationi necessaria, ut quæ debita est, sine illa, sit reiteranda.

Duæ sunt opin. Adr. una, qui affirmat talem deuotionē esse necessariam. Altera est Med. negans.

CONCLVSIO.

Sufficit remissa deuotio, modo sit efficax ad agendū, quod agendum est, ut orans, nec peccet, nec orationem redicere teneatur. Ratio est, quoniam præcepta non obligant nos nisi ad eorum obseruantiam, ad quam sufficit uoluntas efficax, quantumuis remissa: præcepto. n. de diligendo Deum super omnia

omnia, satisfacit homo, si Deum efficaciter diligat, licet eius dilectio non sit ualde intensa: neq. n. præcipitur, ut intense diligamus, sed ut diligamus, & illis uerbis, ex toto corde, &c. nõ intẽsio, sed integritas uoluntatis insinuatur. Idem patet exemplo pœnitentiæ, quæ quantumlibet breui tempore gesta non despicitur a Deo. Can. talis. de pœn. d. i.

Verum enimuero, ut utramque opinionem amplectamur, & clarius ueritatem explicemus, nota quæ de attentione, & eius proposito hactenus diximus, eadem deuotioni esse tribuenda: eodem. n. modo attentio desideratur, & deuotio, & nemo proponit attendere, qui non proponat, & deuote attẽdere, atque quoties est peccatum, & est oratio debita reiteranda, deficiente attentione, erit & deuotione deficiente: & locus Apocal. 3. Vtinam calidus esses, &c. hoc confirmare uidetur: nam calidus dicitur, qui amore licet remisso præceptum adimplet: frigidus qui saltem timore præceptum seruat: tepidus uero, qui uel propter negligentiam non satisfacit precepto, uel non cum debitis circunstantijs, qui digne in sacra scriptura damnatur.

QVÆSTIO. VI.

Quibus conuenit orare.

HÆc quęstio, nonnullis difficultatibus explicatis, absoluetur. *Al. Alẽ. q. 91. Th. ar. 10. et 11 Med hac q. Naua. c. 1. & 20 & reliqui ubi sup. D. Bo. Ri car. & So to d. 45. Ale. m. i. S. Th. & reliqui ubi sup.*

1. Diff. An conueniat diuinis personis orare.

CONCLVSIO.

Diuinis personis oratio non potest competere. Patet primo, quia nemo petit aliquid a seipso, & tres personę sunt unus Deus, & una, & eadem essentia. Secundo, quoniam qui petit, est inferior illo, cui fit petitio, & totę tres personæ coeternæ sibi sunt, & coæquales. Tertio qui petit, indiget re, quã petit, & Deus bonorum nostrorum non indiget, cum sit fons omnium bonorum, & quando D. Paul. dicit; Spiritum sanctũ postulare pro nobis, intelligitur ab effectu: propterea quod facit nos postulare, & gemere, cum ipse nec postulet, nec gemat.

2. Diff. An Christus in hac uita mortali degens conuenienter oranerit.

CONCLVSIO.

Christus Redemptor noster, ut homo conuenienter orauit.

uit. Probatur primo, quia sua postulatione merebatur nobis, ut digni efficeremur ad susceptionem diuinorum beneficiorum. Dama. lib. 3. c. 24. Secundo, ut discipulis, & nobis exemplum orandi daret. Ambr. super Psal. Beati immaculati. Tertio, ut se ostenderet uerum hominem, & uere a Deo missum. Ioan. 2. Gratias ago tibi pater, &c. Vltimo, quia quatenus homo erat summus Sacerdos & pontifex, & sibi ex officio competebat orare pro peccatoribus, sicut & pro peccatis sacrificium offerre. ad Hebr. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, &c.

Ad Heb. 5. & 7.

CONCLVSIO.

1. Ioan 2. Ad Heb. 7. Vernar. S. Th. in 4. d. 15. q. 4. ar. 6 q. 2. Hæresis. Castro. Alex. ubi supra.

Nunc in dextera Patris sedens, secundum eandem naturã humanam, est noster aduocatus, & interpellat pro nobis. patet. 1. Ioan. 2. & ad Heb. 7. quoniam in cœlo filius ostendit patri uulnera, & mater filio pectus, & ubera, atq; ita mater monet filium, & filius patrem, ut miseriæ nostræ condescendat: & possumus dicere hoc modo, ora pro nobis, sed ad euitandum errorẽ Nestorij, & Arrij, dicimus; Exaudi nos, utẽ Deus.

Hinc confutatur hæresis eorum, qui Christum uerum hominem esse diffitebantur. Contra quos Castro contra hæreses uerbo, Christus. hæresi 2. 4. & 5. copiosissime, ut solet, in uehitur.

3. *Diffic. Cur Christus orans non semper fuit exauditus.*

Si, ut proxime diximus, conueniens fuit Christum orare, merito quæritur, cur non fuerit exauditus semper.

CONCLVSIO.

Luc. 23. Ioan. 17.

Oratio Christi Iesu, procedens a uoluntate rationis, semper in omnibus fuit exaudita. Ratio est, propterea quod semper illa uoluntas fuit conformis Diuinæ uoluntati, & digne ac sancte petebat. & ita ad Hæbr. Exauditus est pro sua reuerentia.

CONCLVSIO.

Mat. 26.

Christi oratio a uoluntate pietatis, & a uoluntate carnis procedens non semper impetrauit. Ratio est, quoniam secundum has uoluntates non in omni uolito diuinæ uoluntati se conformabat. Vnde, quando orauit uoluntate pietatis pro crucifixoribus, non omnes salui facti sunt, neque quando orauit eadem uoluntate pro discipulis, & pro illis qui in se crediturí erant, ut a malo liberarentur, omnes liberati fuerunt: nec quando uoluntate carnis orauit dicens, Transeat a me calix iste, impetrauit. quid? quod orauit Christus nõ tam ad suam audientionem, quam ad nostram instructionem:

nam

nã uolũtate pietatis erudiebat nos ad benignitatis, & miseri-cordię promptitudinem, & uoluntate carnis instruebat nos, ut tempore angustiæ orationi incumberemus, & fiduciam in Domino haberemus.

Hinc destruitur hæresis asserentium, Christum solum corpus, & non animam habuisse, & eorum qui profitebantur in Christo unam tantum uoluntatem, nempe, diuinam esse. Verum Cast. ubi supra. hæresi 5. & 6. istas hæreses impugnat.

Cast. uer. Christus. Al. Alē. m. 2. ar. 1 & S. Th. artic. 11. Med. & Nru. uni supra.

4. *Diffic. Vtrum sanctis Angelis, & animabus beatis, conueniat orare.*

CONCLVSIO.

Angeli, & animæ beatæ orant pro se, non ad malum amouendum, quia in illis nullum reperitur malum, sed orant Angeli pro bono habito, ut continuetur, & animæ pro bono nõ habito, ut habeatur, nempe, pro corporis resurrectione, & pro consumatione numeri electorum, & pro iustitia de reprobis exequenda. Hæc conclusio colligitur ex D. Aug. c. 12. super Gen. ad literam, & probatur Apoc. c. 6. Vsq; quo Domine nõ iudicas, & uindicas sanguinem nostrum, &c.

D. Aug. Apoca. 6 Thob. 12

CONCLVSIO.

Angeli, & animæ beatæ pro nobis quoq; orant. Patet. Thobiæ. c. 12. Quando orabas cum lachrymis, &c. obtuli Domino, idest, supplicaui illi, ut eam adimplere dignaretur. Sunt alia sacræ Scripturæ loca. Vide Medi. in. q. An sit orãdus Deus, & confirmatur Ecclesiæ authoritate, quæ Angelos, & Sanctos inuocat, ut orent pro nobis, & orat dicens, Omnes sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adiuuent, &c. Et adiuuant suis præteritis meritis, & orationibus præsentibus, quæ ex præcedentibus meritis, & ex diuina acceptatione efficaciã impetrandi habent. & ideo inuocamus illos nominibus, quibus hic uocabantur, licet solæ animæ sint in cælo, & petunt, existimantes Deo, quod petunt, placiturum, & de hoc orantes cpnsulunt Diuinam maiestatem: quo fit, ut absque discordia uoluntatum contraria petant, adunati ad Dei beneplacitum. Vnde Daniel. 10. dicitur, Princeps Persarum restitit mihi. lege in 2. parte prope finem. q. de suffragijs, art. 4.

S. Th. ad ulti ubi supra.

Hinc impugnatus manet error Vigilantij asserentis, post mortem non esse orationi locum, quia nullius pro alio post hanc uitam est exaudienda oratio, quod est contra loca Scripturæ apud Medin. citata. lege S. Tho. in hoc art.

5. Dif. Quo modo Angeli, & animæ sanctæ orant pro nobis.

Al. m. 2. art. 2.

CONCLVSIO.

Orant per desiderium, signo, siue mentali nutu expressum. D. Aug. est in lib. de cura pro mortuis agenda Sancti (inquit) orant pro nobis in uoto, id est, in desiderio. & glo. super lo cũ.

D. Aug. Iob. 1.

Vnde uenis Sathan. Iob. c. 1. ait Animæ loquuntur Deo per desideria.

6. Dif. Vtrum conueniat uiatoribus bonis, & malis orare.

Al. Alẽ. m. 3. et re liqui ubi supra.

CONCLVSIO.

Conuenit utrisq; orare. Ratio est, quia utriq; indigent gratia Dei, Boni quidem, ne cadãt, & mali ut a peccato resurgãt: non enim est homo, qui non peccet, & si dixerimus quod

1. Ioan. 1.

peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, atque ita omnibus conuenit quotidie dicere, Dimitte nobis debita, & libera

Mat. c. 6

nos a malo. Medina loco citato tenet Peccatores obstinatos de nouo, orando Deum offendere. Verum enimuero quæst. proxima ostensum est, posse orare, quemadmodum possunt alia bona opera facere, & proderit eorum oratio ad effectus, ad quos talia opera sunt utilia, licet non sint gratiæ, & uitæ æternæ meritoria. lege Can. quid ergo. de pœnit. d. 3. & Can. omnes. 28. q. 1.

Al. Alẽ. m. 4. rel: qui ubi supra.

7. *dif. Vtrum animabus existentibus in Purgatorio conueniat orare.*

Oratio tres ob causas, aliis interim prætermissis, fieri solet, nam uel fit ad degustandam aliquam spiritualem dulcedinẽ, uel ad exsoluendum debitum, uel tertio ad aliquid impetrandum.

CONCLVSIO.

Orare primo modo non conuenit animabus Purgatorij. Ratio est, quoniam ita in tantę sunt punitioni, & afflictioni ex dilatione cęlestis gloriæ, atq; etiam solutioni pœnæ, ut nullus eis locus contemplationi, & dulcedini relinquatur.

CONCLVSIO.

Orare secundo modo illis haud cõpetit. Ratio est, propterea quod, oratio tunc est sacramentalis, cum sit pars satisfactionis, quæ est tertia pars Sacramenti pœnitentiæ, quo quidem modo solis uiatoribus conuenit.

CONCLVSIO.

Orare tertio modo animabus Purgatorij integrum est. Ratio est: quia si animæ (teste D. Grego. lib. dialogorum) petunt a uiatoribus, ut adiuuentur, multo magis a Deo petent, & orabũt, nõ pro alijs, sed pro se, nota non orare respiciendo me-

merita acquirenda, quoniam sunt extra statum merendi, sed aspiciendo ad super abundantiã Diuinę largitatis, Deus enim non continet in ira sua misericordias suas, sciunt q; Deum nõ esse facturum contra id, quod facere disposuit: sed pœnas suas absolute considerantes, petunt, ut si placuerit maiestati diuiã næ citius liberentur, quod non est contra Diuinam iustitiam. Iohel. 2. quat post se benedictionem. lege. c. cum Marthæ. de celebr. Miss. *Psal. 76.* *Iohel. 2.*

8. *Diffic. utrum conueniens fuerit animabus patrum quæ erant in limbo, orare.* *S. Th. & Caie. ut supra.*

CONCLVSIO.

In sanctis, qui erant in limbo, locum habuit oratio. Probatur: quia erãt uiatoribus superiores, quoad charitatem, quæ est radix orationis in sanctis: erant enim tunc in charitate cõ firmati, & impeccabiles, & nullæ proprię, seu nouę pœnę subiecti, nam pœna damni illis, & uiatoribus est communis.

DVBIVM.

Quæ ergo erat differentia inter ipsos, & sanctos in patria modo pro uiatoribus orantes.

Respondeo hæc, nempe, quod sanctis in patria proprium est uidere orationes uiatorum, sibi directas, non autem in limbo existentium. Vnde Hierem. tunc orasse dicitur, nõ autem orationes, & prçces eorum audisse. lege in 2. p. in q. de beatitudine. 4. differ. *2. Mach. 15.*

9. *Dif. utrum dæmones, & damnati orare possint.* *Al. Al. m. 5. ex liqui ut supra.*

Tres sunt opiniones. Medina tenet non posse proprie orare. Nauar. defendit posse orare, sed non bene, alij non posse orare affirmant.

CONCLVSIO.

Dęmones & damnati proprie orare possunt. Ratio est: quia oratio, proprie sumpta, est actus intellectus, & uoluntatis, ut ex. q. 1. huius tractatus constat, atque ita, ut possunt petere, de sententia eiusdem Medinæ, poterunt & orare, & definitio orationis proprie sumptæ, si diligenter perpendatur, eorum petitionibus competit. Hęc fuit sententia D. Th. in 4. d. 15. q. 4. art. 1. q. 2. tum etiam quia oratio proprie sumpta in bonam, & malam diuiditur.

Con

CONCLVSIO.

Dæmones, & damnati non possunt bene orare. Ratio est, quoniam cum oratio (teste D. Aug.) sit pius mentis affectus in Deum, & secundum Dam. sit ascensus mentis in Deum, & ipsi continue moueantur propter suam prauitatem, per contemptum contra Deum, Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper, sintque pœnitus auersi a Deo, nullus profecto in eis poterit esse pius affectus, & ex consequenti non poterunt bene orare.

Iob. c. 11.

CONCLVSIO.

Possunt tamen male orare. Patet exemplo diaboli, qui petijt, ut tentaret Iob, & obtinuit. Vnde glo. 2. Cor. 12. Super locum, Ter Dominum, &c. exauditur diabolus, Iob petens tentandum: & non exauditur Apostolus, petens stimulum amouendum, & exemplo diuitis Epulonis, qui petijt ab Abraham, ut mitteret Lazarum, & non obtinuit, quia respondit:

Luc. 16. Recepisti bona in uita tua, &c. & orauit, ut Abraham mitteret ad quinq; fratres suos, quos in seculo relinquerat, &c.

Vltima diffic. utrum brutis animalibus, & reliquis creaturis inanimatis orare conueniat.

CONCLVSIO.

Alex. ubi supra & q. 92. m. 2. ar. 1. et S. Th. loco citato. Nullo modo illis orare cõuenit. Ratio est; propterea quod, oratio est opus intellectus, & uoluntatis, quibus hæc omnino destituta sunt. Tum etiam, quia cum huiusmodi creaturæ productæ sint ad recipiendum duntaxat, non tenentur se præparare per orationem, quemadmodum rationales creaturæ, quæ fuerunt procreatæ ad recipiendum & faciendum. Et pulli coruorum dicuntur inuocare Deum propter naturale desiderium quo, omnia suo modo desiderant bonitatem diuinam consequi, quo etiam modo dicuntur obedire Deo propter naturalem instinctum, quo a Deo mouentur.

QVÆSTIO VII.

Qui nam sunt a nobis orandi.

Alex. A len q. 92 S. Th. ar. 4. Ri q. 3 & d. 45. Sot. cadẽ d. Med. in hac q. & Nau. uli. supra Quæst. hæc, quibusdam difficultatibus enodatis, finietur.

1. Diffic. *Vtrum Deus sit a nobis orandus.*

CONCLVSIO.

Absque dubio est orandus. Ratio est, quia est de necessitate salutis ad diuinam bonitatem orando confugere, vt nobis sum Diuinum auxilium, & fauorem, ad salutem æternam consequendam, concedere dignetur, quoniam sine ipso nihil possumus facere, & Prophetæ orauerunt, & Deum Christus etiam orauit & nos orare docuit, & Ecclesia Christi sponsa orat Deum.

2. Diff.

Secunda diffic. Sit ne solus Deus orandus.

Oratio bifariam fit alicui, uel fit primo, quasi per ipsum implenda, uel secundo quasi per ipsum impetranda S. Tho. & Ricar. est diuisio. *Alex. Alen. ar. 2. & ceteri locis citatis.*

CONCLVSIO.

Solus Deus principaliter, & absolutè est orandus. Et ratio est: quia solus ipse, quæ in oratione principaliter petuntur, potest dare: gratiam enim, & gloriã dabit Dominus, & quia ipse est Alpha, & O, ideſt principium omniũ bonorũ, & origo, & ideo ab ipso bona in oratione petuntur, & est finis etiã. Vnde tanquam fini, fit illi gratiarum actio. *Psal. 83. Apoc. 1. & 22.*

Tertia diffic. Potest ne Diuina essentia orari?

CONCLVSIO. *Alex. Alen. ar. 3. vbi sup.*

Potest oratio in diuinam essentiam dirigi. Probatur ex proxime dictis: quoniam cum Deus Opt. Maxi. qui est unus Deus, sit orandus, & Deus sit ipsamet essentia Diuina, poterit quoque Diuina essentia orari.

Quarta diffic. An conueniat, vt singulas personas separatim oremus?

CONCLVSIO. *Alex. Alen. ar. 3. & alij vbi sup.*

Oratio singulis personis separatim fieri potest. Confirmatur exemplo Sanct. Eccl. Roma. quæ in suis litaniis singulas personas separatim orat dicens: Pater de cœlis Deus, miserere nobis: Fili Redemptor mundi Deus miserere nobis. Spiritus sancte Deus miserere nobis. Sunt enim æquales, & ita omnibus, & singulis oratio fieri poterit, ut fit omnibus simul. Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis.

CONCLVSIO.

Congruentius, & utilius sunt orationes, quæ collectæ nominantur ad personas Diuinas factæ. Ratio est, quia ueritas sanctissimæ Trinitatis euidentius in orationibus ad personas Diuinas directa ostenditur, & animus noster efficatius in fidei necessitate informatur, nulla enim est collecta, in qua non fiat trium personarum mentio; nam, si ad Patrem dirigitur, in fine, per Dominum nostrum Iesum, &c. & in unitate Spiritus sancti, ponitur. Si autem Filio fiat, in fine, qui uiuis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, &c. collocatur.

Quinta diffic. Cur in collectis in fine dicitur per Dominum nostrum Iesum Christum, & non per Dominum Patrem, vel Dominum Spiritum Sanctum? *Alex. vbi.*

CONCLVSIO.

Merito per Dominum nostrum Iesum Christum in fine

ponitur. Et ratio est, quia per ipsum Diuina beneficia, quæ poscimus, ad nos perueniunt, & quia est mediator Dei, & hominum, & per illum preces nostræ exaudiuntur, quæ ratio
3. Thi. 2. ad Heb. 7 nec Patri, nec Spiritui sancto conuenit, cum neutra illarum personarum Diuinarum naturam humanam sibi in unitate suppositi assumpserit.

Sextæ diffi. Cur multo plures sunt collectæ, quæ ad Patrem, quàm, quæ ad Filium referuntur, & in fine illarum. P. D. N. Iesum Christum collocatur.

CONCLVSIO.

Rectissime hoc Ecclesia Catholica hactenus præstitit. Causa huius rei est: propterea quòd Christi doctrina edoctæ hoc fecit: nam Christus Dominus hanc formam orandi tra-
Tom. 14. didit, quando dixit: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis, & ideo Ecclesia Patrem orat, & in fine orationis Christi nomen inuocat, dicens: Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

Nota cum Alex. ibid. uarietatem finis collectarum ex diuersitate compositionis earundem ortum habere: quoniam si oratio fiat Patri, & nulla Filij, uel Spiritus sancti mentio ibidem contineatur, cum per Dominum nostrũ Iesum Christum, & in unitate Spiritus sancti, &c. concluditur. Si autem mentio Filij fiat: per eundem Dominum, &c. additur. Si aũt Spiritus sãctus nominetur, eiusdẽ Spiritus sancti, apponitur. Et si ad Filiũ oro dirigatur, cũ, Qui viuis, & reg. &c. clauditur.

Nota, quòd, cum Spiritus sanctus sit donum, in quo omnia nobis donantur: ideo petendus est ipse, & non est ei porrigenda petitio.

Nota collectam dici: quia fit super populum collectum, uel quia in ea colligitur populi oratio, seu depręcatio.

De modo autem concludendi collectas dantur sequentes versus.

Per Dominum dicas, cum Patrem presbyter oras.
Cum Christum memoras; Per eundem dicere debes.
Cum Christo loqueris; Qui viuis dicere quæras.
Qui tecum, si sit collectæ finis in illo.
Si spiritus almus, Eiusdem dicere debes.

Verum enimuero, ut breui comprehendamus, quæ de oratione Deo facienda, dicenda supersunt, nota sequentes propositiones.

Propositio prima.

Aliud est quemquam docere, aliud autem ad eum loquendo id, quod optamus, repræsentare.

Hinc

Hinc cum Deum oramus, non illum docemus, quia ab æterno omnia nouit: Scit enim, dixit Christus Redemptor noster, pater uester, quid uobis opus sit, ante quam petatis. Sed repræsentamus ei uota nostra, humiliantes nos, ut digni efficiamur, ad assequendum, quod petimus. Appen. *Matth. 6*

Propositio secunda.

Deus determinat aliquid facere dupliciter. Primo modo simpliciter, & absolutè, ita ut ad uolendum non determinetur ab operibus nostris, quam uoluntatem nō possumus mutare, nec in aliam flectere, de qua uoluntate intelliguntur multa Sacræ scripturæ loca, ut Num. 2. Non enim Deus, &c. ut mutetur. Secundo modo uult aliquid facere iuxta exigentiam nostrorum operum, quæ si bona fuerint, dabit præmiū: si mala supplicium, & hanc uoluntatem dicitur mutare secūdum nostrā mutationē, quę uoluntas, potius conditionata, quam absoluta uidetur: de qua loquuntur uaria loca sacrarū literarū, ut illud: Noli subtrahere uerbum, si forte audiant, & conuertantur unusquisq; a uia sua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitiam studiorum eorum; unde B. Greg. Nouit Deus mutare sententiam, sicut noueris mutare delictū. Can. commutabilis. 22. q. 4. quoniam hac uoluntate hodie ordinat secundum præsentem iustitiā, Ioannē ad gehennā, quem erat pœnitentem ordinabit ad gloriam. *Num. 2.* *Hier. 26* *D. Greg.*

Hinc cum Deus dicitur mutare sententiam, non est mutatio realis in Dei uoluntate, sed in nobis. Appē. 2.

Hinc quando Deus decreuit non dare aliquid nobis, nisi mediis orationibus nostris, quando illud confert nobis precęs fundentibus, absq; mutatione reali ipsius Dei fit. Appē. 3.

Hinc non erunt superfluæ orationes nostræ: nam sicut ab æterno decreuit dare uitam æternam hominibus, mediis tamen bonis operibus, ita quoq; elargiri multa bona eisdem uoluit, media oratione. Appē. 4.

Septima diffic. Vtrum sancti, qui in cęlis regnant, sint orandi?

Hanc difficultatem inuenies in 2. p florum, in q. de suffragiis. art. 4. Cæterum ad maiorem explicationem, nota quæ sequuntur. *Alex. Alen. ar. 4. D. Bo. Rica. Nau. c. 18. ubi supra.*

CONCLVSIO.

Sancti sunt a nobis orandi, tanquam mediatores, & intercessores, ut suis precibus, quæ petimus, assequamur. Hæc conclusio multis Sacræ scripturæ testimoniis, & Ecclesię Catholicę definitionibus contra hæreticos confirmatur, uide citatos authores, & Castrum, & in Litaniis ita ait, Sancta Maria,

ora pro nobis: Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate pro nobis, & tandem Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.

Appen. Hinc malè orant Reginam cælorum, & Dominam angelorum, qui eam tanquam principalem collatricem gratiæ spei, uitæ, salutis, &c. inuocant: est enim mediatrix, & aduocata inter Angelos, & Sanctos præcipua, & quãuis ab Ecclesia, Vita dulcedo, & spes nostra, & salus, &c. appelletur, non hoc fit, eo q̃ ipsa sit salus, &c. sed propterea quod ex ipsa natus est Christus, salus, vita, & resurrectio nostra, &c. & quia cæteris creaturis dignior, & Deo gratiorẽ ad hęc ipsa ĩpetrãda. Ioan. 11

Appẽ. 2. Hinc etiam errant qui a S. Rocho, uel S. Sebastiano suis orationibus petunt a peste liberari, existimantes, ex se ipsis tanquam principales causę, id efficere posse, quod ignorantiæ, & inaduertentiæ potius quam infidelitatis uitium censendum est.

Appẽ. 3 Hinc quoque errare dicuntur, qui tanquam mediatores sanctos orant, sed cum uanis cæremoniis, & certis quibusdam superstitionibus. Lege Na. c. 6. num. 46. & in fra.

Hinc errant, qui credunt a quibusdam sanctis impetrari aliqua, quæ non possunt ab aliis, licet Deus quibusdam sanctis aliqua peculiariter concedat, ut sanctæ Apolloniæ sublatio doloris dentium.

Appẽ. 4.

Appẽ. 5. Hinc etiam errant, qui tempore siccitatis afferunt secum imaginem alicuius sancti, ad illam influmen submergendã, quousq; pluat, vel ad deponendum illam iuxta flumen cum fideiussoribus, quod si spatio. 24. horarum non pluat, submergatur: propterea quod talis submersio nec ex uirtute naturali, nec diuina ordinatione, potest talem effectum producere.

Appẽ. 6. Hinc etiam errant sanctos orando, qui sui, v.g. ordinis, uel patriæ sanctos, non sine aliorum contemptu prę ferunt, ut, qui, dum Ioannem Baptistam laudant, Euangelistam Ioannem deprimunt, uel è contra: neque enim sancti sunt ambitiosi, neque inuidi, & dum illos ita uolumus laudare, & honorari, potius, quantum in nobis, est inhonoramus.

Appẽ. 7. Hinc tandem sequitur, orantes, & offerentes eis Pater noster, & Aue Maria non errare, quia non offerunt uerba sanctis, sed Pater noster Deo, & Aue Maria Virgini, ad honorem sanctorum, quorum patrocinium postulant, & uiri idiotæ, quãuis actualiter non referant hæc uerba, ut diximus, uirtualiter tamẽ offerunt; quia si rogarentur de sua intẽtione, dicerẽt esse eandẽ cũ intentione Doctorum uirorũ, & Ecclesiæ.

Octa-

8. Diff. *Vtrum animæ in purgatorio existentes sint orandæ, ut pro nobis orent.*

Duæ sunt celebres opiniones affirmans Ric. Med. & Gabri. lect. 56. super can. Altera Ale. Alen. S. Th. So. & Naua. & alii negans.

Al. Alē. ar. 2 i Ri. Th. So. d. 45. & reliqui, ubi sup.

CONCLVSIO.

Animæ, quæ sunt in purgatorio non sunt orandæ, ut pro nobis orent. Et ratio est, quia hactenus ecclesia nullam orationem ad hunc finem composuit: uide alias rationes prox. in difficul. conueniat ne animabus ijs orare.

Alex. uero ubi sup. subdit, sine præiudicio aliorum affirmari posse, animas orare pro alijs posse, quando pœna non est tam intensa.

9. Diff. *Vtrum iusti, qui sunt in uia, sint a nobis orandi.*

S. Tho. in sol. ad ulti. tenet partem negantem: nam dicit a uiuis nos petere colloquendo.

Al. Alē. m. i. ar. 2. Th. Medi. & alij ubi sup.

CONCLVSIO.

Conuenit illos a nobis orari. Ratio est, quia cum possint pro nobis impetrare, conuenienter poterunt, ut impetrent, orari. Confirmatur hæc ueritas, multis sacræ Scripturæ testimonijs ut est illud Iob c. ult. ubi amicis Iob, qui illum increpauerāt, dixit Dominus: Iob, seruus meus orauit pro uobis, faciē eius suscipiam, ut non uobis imputetur stultitia uestra: & subsequitur, Dominus autem conuersus est ad pœnitentiam Iob: cum oraret ille pro amicis suis.

Poteris si uolueris interpretari S. Th. ut intellexerit nō esse orandos tanta ueneratione, quanta oramus sanctos patrię quia illi sunt iam impeccabiles, uiatores autem minime.

QVÆSTIO VIII.

Pro quibus est a nobis orandum.

HVic quæstioni eodem modo, quo proxi. quæstio. finis imponetur.

1. Diff. *Vtrum conueniat unicuiq. uiatorum pro se orare.*

Al. Alē. q. 93. S. Th. ar. 7. & 8. D. Bon. Ric. So. d. 45 & 46. Med. in hac q.

CONCLVSIO.

Vnicuiq. conuenit pro seipso, et si sit peccator, orare. Et rō est, quia cum ratione, & ordine charitatis debeamus nobis ipsis bona præcipue desiderare, debemus, & illa orando a Deo pro nobis ipsis petere, & est una ex conditionibus bonæ orationis, ut ex superioribus constat, ut pro se fiat, quod autem, & peccatori hoc competat, ex dictis supra perspicuum est.

2. *Diff. An debeamus pro alijs orare.*

Al. Alē. m. 2. ar. i. & reliq, ubi supra Mat. 6. Ioan. 17.

CONCLVSIO.

Debemus pro alijs orare. Patet Iaco. 5. Orate pro inuicem, ut saluemini, & Christus Redemptor noster: petendū esse panem nostrum, non meum: dimitte nobis, non mihi: & libera nos, non me, a malo, docuit: & pro ijs etiam, qui *in eum* crediturí erāt, orauit: & tandem quia inde, ut D. Greg. *lib. 33. moralium* scribit: citius, & uberius meremur exaudiri.

3. *Diff. An sit pro inimicis orandum.*

Al. Alē. ar. 2. Th. ar. 8. reli qui ubi sup.

CONCLVSIO.

Pium, & euangelicum est pro inimicis orare. Hanc concl. Christus Dominus Mat. 5. uerbo docuit, dicens: Orate pro persequentibus, & calumniantibus uos: & exemplo confirmauit Luc. 23. pro crucifixoribus orando, & cum omnis Christi actio, teste B. Greg. nostra sit instructio, debemus, & nos pro inimicis preces effundere. uide Alex.

Appen.

Hinc non debemus inimicos ab oratione generali excludere, vt, v. g. dicendo: Pater noster, imo tenemur habere propositum orandi pro illis, quando sunt in extrema necessitate ita, ut sola oratione possint liberari: nam, qua charitate tenemur illos in extrema necessitate existentes diligere eisdemq. benefacere, tenemur quoque, ut dictum est, pro illis orare.

Hinc prostratus manet error eorum, qui dicebant non esse peccatum inimicis damnum inferre, unde Cast. uer. inimicus. contra hæreses.

Al. Alē. art. 3. & seq.

4. *Diff. An pro peccatoribus incorrigibilibus, & in Spiritum Sanctum peccantibus sit orandum.*

CONCLVSIO.

Pro ijs omnibus integrum est orare. Ratio est, quia ex præcepto charitatis tenemur omnem proximum diligere, sicut nos ipsos, & omnis uiator noster proximus est, atq. ita tenemur illis animæ salutem optare, & pro illa orare, & pro *illis* imprudenter non oratur, de quibus non desperatur. Augu. *in* lib. retract. & de nemine in uia desperandum est, quin possit Deo inspirante, in momento conuerti; & cum misericordia Dei, quæ est infinita, nemini in uia præcludatur, erit pro animabus imploranda.

Hinc pro obstinatis erit quoque orandum, quia dum sunt in uia, de eorum salute non est desperandum; peccatum enim ad mortem, de quo prima Ioan. 5. Habetur; Pro quo non dico, ut oret quis. de finali impœnitentia intelligitur, quia pro obstinatis decedentibus in mortali, ut statim dicetur, non est

oran-

orandum, uel ut Alex. docet, hoc dixit Apostolus; Propter magnitudinem peccati, quæ tanta est, ut uix pro illo sit orandū; atq; ita dicitur peccatum in Spiritum sanctum irremissibile; non quod simpliciter, & secundum legem remitti non possit, sed propter difficultatem remissionis. 1. Ioan. 5

Hinc erit pro præscitis eadem ratione orandum: nō enim illos a prædestinatis discernere possumus: cum ignoremus, quis sit, quem Deus simpliciter, & absolute proiecerit; nam si hoc sciremus, pro illo orare non deberemus.

Hinc etiam licet pro infidelibus, Iudæis, Agarenis, Paganis, Hæreticis orare. Ratio est; quia Ecclesia in die Parasceues pro ipsis orat, & ex consequenti pro excommunicatis: non tamen orat orationibus pro membris suis institutis, quales sūt orationes missarum, & horarum canonicarum, sed specialib. pro illis compositis, quibus licet nobis uti, uel alijs a nobis ad hunc finem ordinatis; uerum in oratione tantum particulari & priuata, non autem publica oratione poterimus, tanquam ministri ecclesiæ, pro illis orare.

5. *Diff. Vtrum prælati pro suis subditis debeant orare.*

CONCLVSIO. *Al. ar. 8*

Debēt quidem, & probatur 1. Reg. 12. Absit a me hoc peccatum, ut cessem orare pro uobis; unde colligitur cessare ab oratione esse peccatum, sed non erit mortale. nisi quando aliud remedium superesse non uidetur, præter orationem, de hac re supra.

6. *Diff. Vtrum prosint defunctis uiuorum orationes.*

7. *Diff. Vtrum sit pro dæmonibus, & pro damnatis, & pro existentibus in limbo orandum.* *Al. Alē. & Med.*

8. *Diff. An sit pro sanctis orandum.* *& relig.*

Hæ tres difficultates sunt expositæ in 2. p. florum in q. de suffragijs. art. 2. *ubi sup.*

Cæterum ad maiorem explicationem pro 6. dif. lege c. visum est. de consec. d. 1. & Cast. uer. suffragium. contra hæreses, ubi multa concilia citat, in quibus concl. definita fuit, agens in Lutherum, cui non satis uisum fuit nocere uiuis, nisi etiā, & mortuis occuisset, suscitando ab inferis errorem dicētium, suffragia pro defunctis oblata nihil illis prodesse. *Hæresis.*

Pro 7. dif. lege quoq. Cast. uer. diabolus. hæresi. 2. & uer. infernus. hæresi. 2. ubi duas hæreses destruit, unam affirmantiū, diabolum aliquando liberandum fore a pœna inferni: alterā asserentium inferni pœnam non esse perpetuam. cum Matt. 25. scriptum sit; Ite maledicti in ignem æternum, &c. *Hæreses.*

QVÆSTIO. IX.

De ijs, quæ in oratione sunt à Deo petenda.

CONCLVSIO.

CHristus Redemptor noster, omnia, quæ a patre luminū petenda sunt, in oratione Dominica docuit. Ratio est, quia septem petitionibus ibi contentis, quæque ante aduentum Christi, petita a Deo leguntur in sacra pagina, & usq. ad finem mundi petentur, comprehendūtur: nam licet aliis verbis, & separatim petantur, generaliter tamen in hac oratione postulantur, nec bonum, & iustum est, quod petitur, si ad illā orationem non refertur. hæc Aug. ad Probam. approbat.

1. *Diff. Quæ erunt ex prædictis primo petenda.*

Quæ in summa in oratione Dominica petuntur, duo sunt, boni collatio, & mali remotio, & cum bonorum diuersa sint genera, merito de ordine, quo hæc postulāda sunt, quæritur, quem quidem Christus Redemptor noster in dicta oratione declarauit, & primum; ut Dei nomen sanctificetur, uoluit, petere mus. i. ut in omnibus, & ab omnibus, & per omnia honoretur, & eius sanctissimum nomen laudetur, & peremni obsc quio glorificetur.

CONCLVSIO.

Simpliciter, & per se, & primo bonum spirituale, nempe, vitam æternam a Deo petere debemus. Ratio est, quia hoc est per se bonum, & secundum se appetibile, & quod ita petitur, debet esse superius, & perfectius illo, qui petit, & hoc bonum est excellentius humano spiritu, qui petit, & confirmatur, dicente Christo: Adueniat regnum tuum, & Primum quærite regnum Dei.

CONCLVSIO.

Quæ immediate, & per se ordinata sunt ad tale bonū spirituale comparandum, ut sunt gratia, & uirtutes, sunt deinde petenda a Deo. Patet Psal. 26. Dirige me in semitam mandatorum tuorum. Et exemplo ecclesiæ orantis, Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis, augmentum, & Domine adauge nobis fidem.

CONCLVSIO.

Quæ necessaria sunt ad uitæ sustentationem, & nō immediate, sed ex consequenti ordinata ad dictum bonū spirituale acquirendum, sunt deinceps, non cum magna solicitudine,

ne, postulanda. Patet exemplo Salomonis Prou. 30. qui orando petebat, dicens: Victui meo tribue necessaria. Et in oratione Dominica petimus, Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie, quod intelligitur etiam de pane corporali, ut gl. ibid. & S. Tho. de hac materia docent: & ecclesia orat pro pluuia congruente, & ut fructus terræ dare, & conseruare dignetur, & Mat. 6. Christus, cum dicit: Nollite soliciti esse, non prohibet petitionem, sed nimiam solicitudinem uetat.

Hinc integrum erit etiam orando superflua petere, ut diuitias, referendo illas ad bonum spirituale: propterea quod, licitum est eas habere, & in pias causas, & ad Dei gloriam expẽdere: est tamen periculosa huiusmodi petitio, unde Dauid. Melius est modicum iusto super diuitias peccatorũ multas, & Salomon. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi. *Psal. 36. Prou. 30*

Hinc etiam licebit bona corporis, & fortunę orando petere, ad eundem finem, ut melius Deo seruiatur, & castius, iustius, temperantius, studiosius, & sanctius uiuatur, & si talis finis actualiter, uel expresse, & uirtualiter, siue tacite non præfigatur, erit uitiosa petitio; nam constituetur in eis finis principalis contra Christum, dicentem; Primum quærite regnum Dei. Sunt tamen hęc, ut infra dicetur, sub conditione petẽda. *Mat. 6.*

2. diff. Licet ne in oratione petere, ut malum pœnæ proximo eueniat.

CONCLVSIO.

Quando homo est extra uiam, licitum est hanc pœnam orando petere, hoc enim modo petunt sancti diuinæ iustitiæ congaudentes: iuxta illud, Lætabitur iustus, cum uiderit uindictam. *Al. Alẽ. ar. 2. & alij, ubi sup.*

CONCLVSIO.

Si homo sit in uia haud licet hoc malum, quatenus malũ est, illi, ut eueniat, petere. Ratio est, quia malum, ut malũ, nec licet alicui optare, neq. petere decet Deum dare illud. hęc rõ est B. Grego. 2. Moralium, dicentis; Homo peccato subiacet, qui hoc petit a Deo fieri, quod omnino facere nõ potest, uel si potest, minime decet. *Psal. 57.*

CONCLVSIO.

Petere in oratione malum iuste infligendum ratione propriæ uindictæ, non licet. Ratio est, quoniam nõ quæreremus tunc Dei honorem, sed propriæ impatientiæ, & libidinis satisfactionem.

Hinc male orant, qui cum non possint de inimicis uindictam aliunde sumere, uel non audent, petunt a Deo; Domine uindica me.

Non

CONCLVSIO.

Non licet petere tale malum inimicis uiatoribus, iuste infligendum propter diuinæ iustitiæ executionem. Ratio est, quia adhuc est tempus miserendi, & non desperatur de peccatorum salute, & ideo magis debemus petere misericordiã, ut conuertantur, quam iustitiam, ut puniantur, & Christus Redemptor noster pro crucifixoribus orauit, non ut punirẽtur, sed ut conuerterentur.

Luc. 23.

CONCLVSIO.

Integrum, & catholicum est petere orando tale malum iuste infligendum ad utilitatem peccatorum, ut conuertantur, & non pereant in æternum; innumera testimonia sacræ scripturæ hanc conclusionem probant; imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. & passim, Prophetę hoc petebant, ut corrigerentur, & conuerterentur, quod est opus misericordiæ, & hæc quoque mala sæpissime populo nũciabant, non imprecando, sed prædicando, & non optando, sed prophetando, & D. Aug. in quadam homilia, de martyribus dicit, Vltus sum eos, &c. quomodo me uindicauit? occidendo in eis errorem, suscitando fidem.

Psal. 82.

Hinc fas erit petere a Deo, ut mittat mala, & damna tẽporalia inimicis nostris, & alijs peccatoribus, ut agnoscant peccata sua, & conuertantur, & propter bonum ipsorum peccatorum, ne tantum peccent, & propter reipub. tranquillitatem, & quando scimus, & sumus certiores facti, quod peccent in Deum, parando nobis insidias, & alia mala machinando.

Hinc etiam licebit inferre illis mala, atq. illos occidere, seruata iuris forma, quia hoc possumus iuste facere, atque ita iuste petere, non tamen econtra; nam possumus sancte orare, ut Deus e uita tollat Turcam, aut tyrannum aliquem, ut cessent eorum peccata, & hæresiarcam, ut finem eius hæreses habeant, quando saltem aliud remedium non subest; nihilominus tamen non quilibet potest illos occidere, ut Concil. Cõstantien. Sess. 15. determinauit.

3. *Diff. An liceat petere a Deo adiutorium in malum culpæ.*

Sensus tituli est, an liceat peccatori grauissima peccata cõmittenti petere a Deo auxilium, ut minora peccata committat.

CONCLVSIO.

Non potest hoc peti. Ratio est, quia cum agentes, & consentientes pariter in scelere inuoluentur, ita Deum orare, esset nelle Deum constituere peccati authorem, & quod coope-

Rom. 1.

raretur

raretur peccato, quod nec somniare licet, tum etiam quia peccatum non habet efficientem causam, sed deficientem, nempe uoluntatem nostram, quę peccans declinat a primo efficiente, scilicet a Deo.

CONCLVSIO.

Erit tamen petendum adiutorium, ut non peccet, & a tentationibus non uincatur, constat ex oratione Dominica, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. *Mat. 6.*

4. Diffic. Esne aliquid a Deo determinate petendum.

CONCLVSIO.

Illa, quibus non possumus male uti, sunt determinate, & absolute petenda. Ratio est, quoniam sine ulla cōditione possumus uelle, desiderare, & appetere, & orare illa, ad quæ per diuina præcepta obligamur, talia sunt gloria Diuina, gratia, liberatio a culpa mortali &c. *Luc. 22.*

CONCLVSIO.

Illa, quibus bene, & male uti possumus, non sunt determinate petenda, sed cum remissione ad Dei uoluntatem, confirmatur exemplo Christi Iesu orantis in horto, & dicentis, Nō mea, sed tua uoluntas fiat: quid enim oremus, ut oportet, ne scimus, ut est author D. Pau unde glo. 2. Cor. 12. Quando temporalia petitis, cum modo petite, & cum timore ei committite, ut si prosit, det, siscit obesse, non det: quid enim prosit, uel obsit, medicus nouit, non ægrotus. hæc glo. nam qui hæc bona temporalia, siue corporis, siue fortunæ, absolute, & determinate peteret, potius suam, quam Dei uoluntatem fieri uellet. *Rom. 8,*

CONCLVSIO.

Illa quibus nullo modo bene uti possumus, nullo modo neque absolute, nec sub conditione petere debemus, talia sunt peccata. Patet ex proxima difficultate.

Hinc liberalitas, & magnificentia, quę sine bonis fortunæ & uirtus bellica, quæ sine armis, & corporis robore, & castitas coniugalis, quæ sine coniuge, & uno uerbo reliquæ uirtutes morales, quæ sine bonis corporalibus, aut temporalibus haberi nequeunt, non sunt absolute, & determinate petēdæ.

Hinc licebit mortem propriam, siue alienam petere conditionaliter, nempe, si homo finaliter non sit corrigendus. *Appen.*

ita B. Anastasia orabat Deum, ut uirum suum Publium de medio tolleret. *Appen.*

Idem etiam, & eodem modo licet iuste petere, si creditur quod diu uiuens sit peccaturus; est enim Dei beneficium, iu-

stum

stum de hoc seculo nequam rapere iuxta illud Sapientiæ. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio deciperet animam eius, nam de duobus eligendis, quod melius est, præeligendum esse uidetur.

5. Dif. *Quæ oratione uocali petuntur, debent ne semper uoce exprimi.*

CONCLVSIO.

Matt. 6. Non hæc necessario sunt exprimēda. Ratio est, quia Deus scit ante quam petamus, Scit enim pater uester cęlestis, quia ijs omnibus indigetis; est enim signum maioris Fidei & Spei, necessitatem in genere Deo proponere, eo modo, quo proxi*Ioan. 11.* ma difficultate exposuimus, unde a Doctoribus sanctis oratio Marthæ, & Mariæ, qua dixerunt, Ecce quem amas, infir*Matt. 15* matur, nihil amplius addendo, & oratio Cananeæ, Filia mea *Matth. 8* male a dæmonio uexatur, miserere, & Centurionis oratio. *Psal. 37.* Domine puer meus iacet in domo paralyticus, maxime commendātur. Ps. 37. Domine ante te omne desiderium meū, &c.

Nota, dupliciter orantes petere solēt a Deo, uel formaliter quæ petunt explicando, uel interpretatiue, ut quando desiderium suum Deo aperiunt, & pandunt.

QVÆSTIO.

De horis canonicis.

Pro tota hac q. lege Summist. præsertim Ang. & Siluestr. uerbo, Hora canonica. & eodem verbo Castro contra hæreses & uerbo. Templum, & Nauar. super. c. quando & de horis canonicis, & Soto lib. 10. de Iust. & Iure. q. 5.

1. Dif. *An clerici sacris initiati teneantur ad horas canonicas persoluendas.*

CONCLVSIO.

Ad Ecclesiæ decorem, & populi Christiani salutem per necessarium fuit Clerum instituere, cui prēter alia officio, nomine totius populi horas canonicas Deo offerre ex prēcepto cō peteret. Definita est conclusio expresse. c. prębyter. de celeb. Miss. quod est Concilij Agathen. anno quadringentesimo nigesimo a Christo nato celebrati. Ratio est, quia cum populus uarijs rerum curis, & negotijs, & occupationibus impediatur, deducit, ut Sacerdotes inter populum, & Deum mediatores incessanter pro populo orarent, & subsidia necessaria remissionem q; peccatorum a Deo peterent. Ideo enim Osee. 4. Peccata populi comedere dicuntur, atq; ita ad horas soluendas tenentur.

2. Dif.

Secunda dif. Qui nam sunt per sacris initiatos intelligendi.

CONCLVSIO.

Per sactis initiatos Subdiaconus, Diaconus, & Præsbyter uenium intelligendi, conclusio est communis glo. super. c. præsbyter. citatum, & omnium Canonistarum maximi nominis, & S. Tho. & omnium Theologorum, & confirmatur. c. dolẽtes, quod est Innocen. & distin. 52. cap. fina. ubi expresse definitur. licet. capitu. præsbyter, de solo prẽsbytero loquatur, ij enim tres cultui Diuino mancipantur, qui ad Diuinas laudes constituti sunt, iuxta illud Isaiæ. 43. Omnem, qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui eum. Tenentur quoque omnes habẽtes beneficium Ecclesiasticum, & omnes professi, & professæ choro deputatæ ex antiquissima, & sãcta consuetudine religionum, & non ex ui professionis, alioquin professi societatis Iesu tenerentur, cum non obligentur, quo usque sacro ordine initiẽtur, neqꝫ ex ui præcepti, quia tale prẽceptum non reperitur, prẽter quam professi nostri, qui ex prẽcepto regulæ ad id etiam obligantur, quo etiam ligantur & laici nostri, nam tenentur certum numerum Pater noster pro qualibet hora canonica dicere. lege Can. sic uiue. & Can. si clericatus. 16. q. 1. & Nau. c. 7. num. 4 ubi supra. & ex rationabili causa possent aliquando moniales nostræ soluere horas per Pater noster, ut habetur in 1. regula. c. 3. & in 2. regula sanctæ Claræ, rubrica 5. Prima conclusione confutatur error Vuitcleuistarum, & Vualdensium, qui asserebant frustra tempus in horis canonicis cantandis consumi. Soto usi supra, & Castro uerbo, hora canonica. *Hæresis.*

3. Dif. *Quotnam sunt numero horæ canonicæ.*

Duæ sunt opiniones. Prima, quæ tenet esse septem numero Altera, quam defendit Nau. cum alijs, qui matutinum a laudibus seiparant, & dicunt esse octo. *Nauar. c. 3. sup. Soto ar. 1. e: Cast. uer Horæ canonicæ.*

CONCLVSIO.

Horę canonicæ septenario numero comprẽhenduntur. patet conclusio per Psalmum, ubi dicitur: Septies in die laudem dixi tibi, ubi dies pro naturali die accipitur, qui noctem etiã includit. Rationes item multas affert. glo. super c. præsbyter. sup. citatum. Item quia ijs horis Christi Iesu passionis memoriam recolimus,

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit, latius eius Nona bipertit
Vespera deponit tumulo, Completa reponit.

Et

Et tãdem Christus Redemptor noster easdem horas mysterijs consecrauit. Media siquidem nocte nascitur ex Virgine Maria. Hora prima mane surrexit ex sepulchro redimiuus. Tertia hora Spiritus sanctus uenit super Apostolos, & alios discipulos. Hora sexta crucifigitur. Hora nona mortuus est. Vespere cum discipulis cenat, illoscz suo sacratissimo corpore reficit. Completorio tempore, quod prima est noctis nigilia, in montem secessit solus orare, ut pararetur tentationi, quæ illa nocte erat superuentura.

Luc. 22.

4. *Diffic. An peccent qui septem horas, uel aliquot illarum singulis diebus non persoluunt.*

Silu. & Naua. c. 7. & 11. ubi supra Pala. est

Communis est opinio affirmans, licet Henricus Anglicus & Angelus de Clauasio dubitent.

CONCLVSIO.

Peccant quidem mortaliter, nulla interueniente iusta causa, si omnes septem, uel aliquam illarum omittant. Patet, quia tenentur ex præcepto Ecclesiæ, ut ex proxime dictis constat, illas recitare, quę sit autem iusta causa omittendi horas, Siluest. loco citato, & Naua. docent, & ex supra dictis colligitur.

CONCLVSIO.

Perinde etiam peccant mortaliter, qui notabilem partem illarum omittunt. Patet, quia quantum ad effectum peccandi mortaliter, idem communiter censetur, dimittere totam horam, uel notabilem partem illius, quemadmodum qui notabilem partem Missæ non audit, non satisfacit præcepto Ecclesiæ de audienda Missa. Intelligitur hęc conclusio, quando pars omittitur, puta negligentia interueniente uel ex conceptus nam si ex ignorantia, uel inaduertẽtia, aut obliuione dimittitur, non est nisi uenialis culpa, & quando in ignorantia non est culpa, neque in omissione erit.

5. *Diffic. Qui omittit septem horas uno die, quot peccata committet.*

CONCLVSIO.

Qui omittit septem horas una die, unum tantum peccatũ mortale committit, grauius tamen quam si tres, uel duas uel unam horam, uel partem notabilem omitteret, communis est opinio. Et ratio est, quia cum septem horę canonicæ sint una ratio in septem horas diuisa, omissio illarum erit unum peccatum, ut dictum est.

Et nota hanc conclusionem esse intelligendam, de peccato omissionis: nam, de peccato commissionis, perspicuum satis superque est, toties peccare mortaliter, quoties determinat

nat, & proponit non recitare omnes, uel aliquot illarum, uel notabilem alicuius horæ partem. & tenetur illas determinationes confiteri, licet deinde mutauerit sententiam, & illas, ut decebat, soluerit, quemadmodum peccant mortaliter, qui proponunt non ieiunare, quando tenentur, uel non soluere debitum, tempore præfixo, uel non seruare, quę iurarunt, siue promiserunt, & alia id genus, quanuis post ea ieiunent, uel soluant, siue iuramentum serpent. hęc notent diligenter confessores, & pœnitentes.

6. Dif. An in Ecclesia hæc septem horarum institutio sit antiqua.

CONCLVSIO.

Antiquissima est Ecclesiæ consuetudo dicendi huiusmodi horas canonicas. Patet primum de matutino, & laudibus testimonio Dauidis multis in Psalmis, Media nocte surgebam ad confitendum tibi, & Memor fui nocte nominis tui Domine. & Christus Redemptor noster Luc. 6. Erat pernoctans in oratione, & Mat. 26. legitur media nocte in montem Oliueti ad orandum exijsse, & Luc. 12. & Marc. 13. uigilandum præcepit: quæ omnia Christianum populum ad nocturnas orationes omnino excitare deberet: ne iure nobis, quod Apostolis a Christo dictum fuit, adscriberetur: Non potuistis una hora uigilare mecum. Deinde prima constat ex Psal. Ad annuncian dum mane misericordiam tuam, de tertia Actorum. 1. legitur, Apostolos unanimiter orasse, quod non solum cordium unitatem, uerum etiam uocum concordiam significat, ut modo fit in choro, quando oratio solennis celebratur: unde colligitur destinatos Psal. ab Apostolis fuisse tunc dictos & cum Spiritus Sanctus illis eadem hora apparuerit, hinc canit Ecclesia hymnum, Nunc sanctæ nobis spiritus, De sexta uero patet, Act. 10. ubi habetur D. Petrum circa horam sextã ascendisse, ut oret. De nona quoq; manifestum est Actuum. 3 ubi legitur, Petrum, & Ioan. ascendisse in templum ad horam orationis nonam, quas etiam horas apud Hœbreos obseruatas fuisse colligitur ex B. Cypria. & ex Isidoro. De uespertina hora & completorio extat testimonium D. Hier. dicentis. Nemine esse, qui nesciat, eo quod esset res antiquissima, quod & B. Ambro. super Psal. 118. Exemplo auium illustrat, quę semper mane, & in solis occasu, quo possunt modo, suum laudant creatorẽ, unde Psal. Vespere, & mane, & meridie, &c.

Hac conclusione refutata manet hæresis Vuitcleffistarum & Vigilantij hęretici, qui asserebant, nocte non esse orandũ' nec psalẽdum, eo quod nox quieti, & somno esset indulgẽda,

Psal. 118. *Psa.* 118 *Lucæ.* 4. *Mat.* 26. *Lucæ.* 12. *Mar.* 13. *Mar.* 14 *Psal.* 19. *Act.* 1. *Act.* 3. *Cypri. in Calce. li. de oratio ne Domi nica. Isi dor. lib. 1. de offic. c. 19. Hie. ad Eu.*

7. Dif.

Sil. ubi supra et Soto art. 1. & 4. Nauar. c. 3. loco citato.

7. Diffic. An fuerint semper determinata tempora ad horas psalendas.

CONCLVSIO.

Fuerunt semper determinata tempora ad horas canonicas persoluendas. Ratio est: nam si omnia tempus habent, & est tempus flendi, &c. oratio etiam suum tempus habebit, & cũ omnia honeste, & secundum ordinem fieri debeant, ut docet D. Paul. Et oratio fiet secundum ordinem, quæ si certum tempus non haberet, quo ad Ecclesiam conueniatur, ordine profecto careret tunc, & quia sine intermissione orandum est, ut idem Paul. admonuit, ideſt, nulla hora ad id constituta prętermissa: nõ enim intelligitur absolute ita, ut nullum refectioni, aut somno tempus concedatur, tandem quia ubi tempus determinatum non est, ibi nec ordo, nec ulla perpetuitas esse potest, quę quidẽ horæ iuxta diuisionem artificialis diei sunt accipiende, ita, ut quocunq; anni tempore hora officij horę diei respondeat. Cæterum, ut a multitudine, & uarietate opinionum, circa hanc difficultatem excitatarũ, liberemur seruanda erit loci consuetudo, uel religionis constitutio.

8. dif. Licebit ne statuta tempora horarium Canonicarum mutare.

CONCLVSIO.

Peccarent mortaliter Pręlati, qui sine iusta causa in suis Ecclesijs statuta tempora horarũ non seruarent. Ita deffinitur in Clement. 1. de celebr. Miss.

CONCLVSIO.

Idem iudicium est de horis Canonicis, quę priuatim dicuntur, & confirmatur in eadem Clement. Et ratio utriusq; conclusionis est, quia quod certo tempore debetur, non licet postea soluere, ut multis tex. Ciuil. & Canonicis constat, nec antea, quando tempus fuit assignatum in fauorem creditoris, uel in fauorem, creditoris, & debitoris, uel tertij, si illius præcipue habita fuit consideratio.

Et nota maiorem causam desiderari ad anteponendas, uel postponendas horas publicas, quam ad priuatas, ut talis causa iusta censeatur. Et ratio est, quia maior effectus maiorem causam requirit, & debet esse opus publicum ad mutandum horas publicas, ut est sermo publicus, receptio bullę, uel generalis processio, & id genus alia.

Ex ijs sequitur, rationabili, & iusta interueniente causa, posse nõ solum horas priuatim dicendas, anteponi, & postponi, uerum etiam publicas horas, de licentia tamen uel Prælati, si præsens est, uel eius Vicarij, si abest.

Hinc

Hinc etiam infertur, priuatim recitantes, sine iusta causa, non seruantes horas debitas, peccare, sed uenialiter tantum. Dummodo ante mediam noctem absoluant, quia tunc terminatur dies quoad horas recitandas, qui à primis uesperis inchoatur. Et ratio est, propterea quod, præceptum de horis dicendis non refertur ad tempus. Solum.n.in c. dolentes, de celeb. miss. præcipitur, ut nocturnum, & diurnum officium dicantur: non autem ut nocturnum nocte, & diurnum, dū dies est, recitetur: uide c. presbyter. de celeb. miss.

9. Diff. Peccatne, qui ordinem horarum transponit.

V.g. si dicat nonam ante sextam, &c.

CONCLVSIO.

Qui, iusta causa interueniente, dicit in choro Tertiã, non dicta Prima, non peccat, nec tenetur Tertiam reiterare, sed primam dicere. Et ratio est, quoniam ordo non est in præcepto: quid? quod, etiam si id faceret ex negligentia, uel obliuione, uel data opera, non esset mortale peccatum: propter rationem dictam, hæc est opi. B. Antonini. Angeli, Siluest. & Nauar. ubi sup. *Sylue. & So. ar. 4. & Nau. ubi sup.*

10. Diff. An peccet, qui pro arbitrio mutat officium.

V.g. si, cum sit dicendum officium feriæ recitet officium alicuius sancti. Aug. uer. hora cano. affirmat clericum præbendatum, & religiosum peccare mortaliter, non autem ordinatum ad suum patrimonium. *Sylue. & So. ar. 4. ubi sup.*

CONCLVSIO.

Si ex causa rationabili, ut, iusto impedimento interueniente, hæc mutatio fiat, non erit peccatum. Ratio est, quia dicere hoc officium, uel illud non est in præcepto, cū diuersi diuersa dicant officia, ut constat d. i. can. in die.

Hinc si ex inaduertentia, uel propter maiorem commoditatem, uel propterea q; officium, quod loco alterius, recitat, memoria retinet, officij mutatio fiat, uel nullum, uel ueniale duntaxat erit peccatum.

Hinc, qui in fraudem, ita soluit horas, ut breuius se expediat, peccabit uenialiter, & grauiter, uerum non mortaliter, & rō utriusq. appendicis est, quæ habetur in concl. s. quoniã determinatum officium non est sub præcepto.

11. Diff. Debet ne esse determinatus, & destinatus locus ad dictas horas psallendas. *Ale. 4 p. q. 94. m. 2. & Th. ubi supra ar. 12.*

CONCLVSIO.

Decet omnino esse loca destinata, & consecrata ad dictas horas publice soluendas: definita est in concil. Gangren.

c.55. Et ratio est, quia si reliquis publicis actibus sunt propria loca signata, ut forum Iudicibus, Senatus consiliarijs, literis exercendis scholæ: cur oblatione horarum sacrarum locus sacer non erit: unde Deus templum sibi Hierosolymis ædificari præcepit, quod Christus domum orationis uocauit, ut habetur in cle. graui. de celeb. miss.

1. Paral. 28
Mat. 21.

Notanter dicitur in concl. publicas: quia horis priuatis nō est locus præscriptus, ut supradiximus: esset tamen multo melius in templo, si commode fieri posset, quam alibi illas persoluere: præsertim hoc competit curis animarum uillarū, ubi sanctissimum eucharistię sacramentum est, aut in locis deccētibus, & semotis, ubi uix impedimentum orationi, & attētioni contrarium sese offerre posset.

Hac concl. euellitur hæresis Vvicletfistarum, & aliorū hæreticorum, qui templa abominabantur. lege Cast. ubi sup. uer. templum.

12. Diff. *Conueniat ne ecclesiæ decori, ut horæ canonicæ Psalmi, & Hymni alto cantu psalantur.*

CONCLVSIO.

Ric. ubi sup. ar. 4 q. 2.
So. ar. 2. ubi sup.
Psal. 118
Psal. 146
D. Aug. lib. 9. cōf. c. 7. & li. 10. c. 33.
& Vual. so. 5. ca. 10. &
Cas. uerb. horæ can.

Congruit quidem, & maxime decorum est, ut horæ canonicæ, hymnique, & psalmi, quatenus laudes Dei sunt, alto cātu persoluantur. hæc conclusio probatur uariis utriusque testamenti authoritatibus, ex quibus perspicuum fit, hanc psallendi horas canonicas cōsuetudinem uetustissimam esse: unde Psalter. Cantabiles mihi erant iustificationis tuæ in loco peregrinationis meæ, & ad id psalterium cum cithara cōponebat: & psallendo. 1. Reg. 16. dæmones fugabat, & in domo Dei. 1. Paral. 23. Quatuor millia psallentes constituit, canentes Domino in psalmis: & alibi omnes Dei sanctos admonet, ut hymnis, & canticis, &c. Deum laudent, & Angeli pastorib. nato Christo domino, cantantes intonuerunt, Gloria in excelsis Deo, &c. Apoc. 4. Sancta animalia clamabant dicentia, Sanctus, Sanctus, &c. ad Coloss. 3. 3. adhortatur, ut Deum cantando laudemus: cantus enim maximam habet uim ad excitandam deuotionem nostram, & eleuandam mentem nostrā in Deum.

Hac conclusione confutatur hæresis Arrianorum, & Vvitclefist. qui cantus ecclesiæ irridebant. lege D. Aug. & Cast.

De attentione uero in horis canonicis habenda supra egimus in hac materia. Præterea, quando teneantur, horas canonicas prætermittentes, ad restitutionem fructuum, habes in 2. p. florum in q. quando clerici teneantur ad restitutionem.

FLO-

FLORES TRACTATVS de ieiunio.

HActenus de oratione, nunc de ieiunio, quo homo ordinatur ad seipsum, uerba faciamus, & pro toto hoc trac. lege Alex. Alen. in 4. p. q. 97. & aliquot sequentibus, S. Tho. 2. 2. q. 147. scholasticos. d. 15. & 16. in 4. Ric. d. 15. ar. 2. Medi. tract. 4. de eodem ieiunio, Nau. in Manuali c. 21. Summistas uerb. ieiunium.

QVÆSTIO I.

De definitione, & qualitate ieiunij.

METhodum, quam seruauimus in trac. de oratione, quo ad fieri poterit, hic sequemur. Præponantur igitur diuisiones, ad definitionis ieiunij, & totius tract. maiorem intelligentiam.

Ale. qõ. 97. & 98. Tho. ar. 1. & 2 Med. q. 1. & pen. et reliqui ubi sup.

Propositio primæ.

Ieiunium trifariam dicitur. Primo abstinentia a p. M. Isaiæ 58. Hoc est ieiunium, quod elegi: dissolue colligationes impietatis. Secundo abstinentia a gaudio corporali, & uoluptate. Tob. 3. Nunquam cum ludentibus miscui me. Tertio abstinentia a cibo corporali. Psal. Ienua mea infirmata sunt a ieiunio. Ale. est. q. 97. m. 2. ar. 3.

Propositio secundæ.

Ieiunium, quod est abstinentia a cibo, uel fit propter immunditiam cauendam, uel propter infirmitatem corporis declinandam, & pertinet ad medicinam, uel propter concupiscentiam refrenandam, & hoc est uirtutis temperantiæ, & hoc ieiunium tertio modo factum referri possit ad legem rationis, & ad legem diuinam, & ad ecclesiasticam: lex secunda superaddit primæ, & tertia lex primæ, & secundæ: instructi lege rationis. Olim philosophi sensualitatem refrenabant, & medium in cibo, & potu inueniebant. Lex diuina docet insuper abstinendum esse, & ieiunandum, ut mens liberius, & expeditius, ad diuina contemplanda eleuetur. Lex autem ecclesiastica, quæ per pœnitentiæ sacramentum hominem spiritualiter sanat, imponit etiam secundum peccata diuersa, & secũdum, quod magis expedire uidetur, uni abstinentiam uini, alteri carnium, &c. hæc est Ale. q. 98. m. 1.

Propositio tertia.

Ieiunium dupliciter sumitur, uel generaliter, uel specialiter: rursus generaliter duobus modis. Primo pro abstinentia ab omni peccato: uide.c.ieiunium, de consec.d.5.& glo.super locum Matt.17. Hoc genus dæmoniorum, &c. Secundo generaliter, ut est abstinentia a cibo simpliciter, *non contrahēdo* ad tale tempus, uel ad talem cibum. Primo modo est actus omnis uirtutis, uel pertinet ad omnem uirtutem. Secūdo modo est generaliter omnis uirtutis, qua regitur os, & gubernatur, & ita conuenit illi diffinitio Isid. qua dicitur, parcimonia uictus, abstinentiaq; ciborum. Ale. est. q. 98. art. 3. §. 1.

Propositio quarta.

Ieiunium specialiter sumptum, quod est abstinētia a cibo, aliquo modo, & quantum ad tempus determinatum, quod dicitur ecclesiæ ieiunium, tribus modis accipitur: quia uel est assumptum, ut quando aliquis uoluntarie ieiunat: uel est iniūctum, ut quod imponitur pœnitenti in satisfactionē a confessore: uel est indictum, siue institutum ab ecclesia, ut ieiunium quadragesimale, quatuor temporum, &c. hæc quoque est Alex. q. 102. m. 2. ar. 1.

Propositio quinta.

Ieiunium tripliciter, dicitur. Primum ieiunium naturæ, siue ieiunium ieiunij, ut Alex. & S. Th. docent, hoc est abstinētia ab omni cibo, & potu: ita ut nihil cibi, uel *potus in stomachum intret*, & istud ieiunium non est actus uirtutis, quia est pura negotia, & est necessarium ad sumendam eucharistiam: ita, ut si aliquid ingrediatur, licet statim foras emittatur, nō licet celebrare, ut Alex. Alen. q. 104. m. 1. ar. 4 docet. Secundo modo sumitur, quatenus est actus uirtutis temperantiæ, & dicitur abstinentia a cibo, & potu, secundum regulam temperātiæ, quæ in mediocritate consistit: ita ut homo in comedēdo, & bibendo, neque ab eo, quod naturæ necessariū est deficiat, nec notabiliter excedat, sed id sumat, quod ad uitam, & debitam corporis ualetudinem conuenerit. Tertio prout est institutum ab ecclesia. lege Alex. q. 97. m. 2. ar. 2. & q. 104. m. 1. art. 3. & 4. D. Thom. art. 1. ad ultimum. Ric. q. 2. Medi. q. 1. ubi supra: uide etiam supra q. de suscipientibus eucharistiam articu. 6.

Propositio sexta.

Aliter etiam diuidi solet ieiunium, licet sub alijs diuisionibus comprehendatur, in naturale, & morale; primum importat subtractione alimenti necessarii ad uitam; uel ualetudinem

dinem animalium,& hoc potius habet rationem pœnæ corporis,quam uirtutis animi:unde non solum homini, uerum & brutis potest conuenire,& huius disputatio potius ad physicos,quam ad Theologos pertinet: uide aliquos effectus huius apud Cice. in fi. lib. de senectute,& Aristot. 37. sectione in problematibus: Ieiunium morale, est uoluntaria, & secundũ rationem subtractio alimenti, quod alias erat subiecto proportionatum.

Propositio septima.

Hoc rursus est duplex: unum, quod ratio naturalis, aut lumen diuinum singulis præscribit secundum euentus occurrentes: alterum, quod secundum communem legem omnib. constituitur, ut sunt ecclesiæ ieiunia,& in præsentia de utroque differimus: quoniam opus a lege humana præceptum ad eandem pertinet speciem, sicut opus naturæ consentaneum circa eandem materiam: leges namque humanæ, quẽadmodum,& artes naturam, ita etiam supra leges cõstitutas ductu rationis aliquando homines operantur.

Propositio octaua.

Ieiunium est triplex. Primum abstinẽtia a peccato, de quo c. ieiunium. de consec. d. 5. & soluitur per quodcunque peccatum mortale. Secundum est actus uirtutis abstinentiæ, de quo c. sit tibi. eadem dist. & soluitur per gulam, quando est peccatum mortale. Tertium est ieiunium ecclesiæ. hæc diuisio est Ric. q. 6. ubi supra,& coincidit cum alijs diuisionibus. Iis positis propositionib. quibus argumẽta etiam in contrarium soluentur, restat ut definiamus ieiuniũ ecclesiæ, de quo instituta præsens disputatio, & prætermissis uarijs doctorum descriptionibus, de quibus Ale. Alen. & alij ubi sup. sequentem amplectemur.

CONCLVSIO.

Ieiunium est abstinentia a cibo secundum formam ab ecclesia traditam: in hac definitione genus est, abstinentiam; nam ut ex diuisionibus constat, multo latius, quam ieiunium ecclesiæ patet; reliqua pars locum differentiæ tenet. illustro definitionem exemplo; nam hic modus præstantissimus est declarandi definitiones. Medicus, verbi gratia cum infirmum febri acuta laborantem curandum susciperit, quia nocte præterita ingurgitauit se, continuo illi abstinẽtiam, quæ dicta uulgo appellatur, indicit, præcipiens, ne comedat cibos citra decubitum, sed tales duntaxat, & tali hora,& non antea,& semel tantũ: uerum si noctu febri, uel calore urgeatur, poterit, in-

Alex. q. 98. m. 3. ar. 2. et 3

quit, lactucam coctam comedere, & cum illa sobrie bibere. Ita quoque mater nostra sancta ecclesia Romana catholica, cœlestis medici Christi Iesu sponsa, uidens, quasi ex adipe, prodire hominum iniquitates, induxit, instituitque abstinentiã, seu dietam, præcipiens sub pœna mortis æternæ, ne carnes, &c. manducent, & non nisi tali hora, & semel in die comedant, quod si calore fatigentur, ut collationem faciant permittit, & hæc est forma, siue regula ab ecclesia tradita, & in diffinitione posita. Cæterum cum sequentes quæst. ad maiorem huius diffinitionis declarationem, proponatur, ad illas properemus.

Alex. q. 98. m. 3. ar. i.

1. *Dif. Estne tale ieiunium bonum.*

CONCLVSIO.

Est non modo bonum, uerum optimum. Definita est in conc. Ganguens. ubi anathematizantur contemnentes ecclesiæ ieiunia, & in alijs concilijs, ubi ieiunia commendantur, tanquam bona, & ecclesia in ijs, quæ sunt fidei, & morũ, errare non potest. lege can. non mediocriter. de consecra. d. 5. & Cast. uerb. ieiunium contra hæreses.

2. *Dif. Estne ieiunium ab intrinseco bonum, & laudabile.*

CONCLVSIO.

Ieiunium ab intrinseco habet, quod sit bonum opus, & honestum, etiamsi ad extrinsecum finem alterius nõ ordinetur. Ratio est, quoniam ieiunium ex natura sua habet reprimere concupiscentias inferioris appetitus, & reddere animi tranquillitatem a perturbationibus, quod est intrinsece bonum, & non mendicatum ad extra: quare est intrinsece bonũ, licet ab alijs uirtutib. imperetur, & ad finem cuiuscunque uirtutis possit referri: atq; etiam ad temporalia bona quatenus spirituali saluti sint necessaria, ut patet exemplo Dauidis, qui pro salute paruuli ægrotantis ieiunauit, & Iudith, & Esther, quæ pro liberatione populi ieiunauerunt: nam uirtutes omnes tãquam membra corporis sese iuuant, & ideo opus unius uirtutis potest imperari ab alia, licet aliquando sit uirtus inferior, quæ imperat, sed de ijs infra.

Ale. ibi. ar. 2.

3. *Diff. Est bonum simpliciter, & principale.*

CONCLVSIO.

Proprie, & per se sumptum, non est bonum simpliciter, nec principale, sed medium inter bonum simpliciter, & simpliciter malum. Ratio est, propterea quod potest finibus diuersis, & quibusdam circunstantijs deprauari, & ex cõsequenti quibusdam priuari circunstantijs, quæ ad hoc,

ut

ut aliquid sit bonum simpliciter,& principale, desiderantur: quare, cum sit bonum, & non simpliciter, erit medium inter bonum simpliciter,& simpliciter malum.

Quarta diffic. Esne virtus, an virtutis actus?

Relegenda est propositio supra in principio posita, quæ est quinta. *Alex. Alen. ar. 3. §. 1. & reliqui ubi supra. q. pen. Med.*

CONCLVSIO.

Ieiunium Ecclesiæ est uirtutis actus. Patet. 2. ad Corin. ubi inter actus aliarum uirtutum connumeratur: dicit enim Apostolus, In ieiuniis multis, in sciētia, in castitate,&c. Daniel c. 10. Panē desiderabilem nō comedi: ubi a pane abstinuisse, dicitur esse uirtutis actus: tum etiam quia fit modo debito, & propter debitum finem, quæ actum studiosum reddunt: & ut noster Alexan. ibidem docet, nulla uirtus secundum habitū est in præcepto, sed potius secundum actum: atque ita cum de ieiunio sit præceptum, ut infra dicitur, erit non uirtus, sed uirtutis actus. lege Caie. ar. 2. S. Tho. *2. ad Cor. 6. Dan. 10.*

Quinta diffic. Ieiunium cuius uirtutis est actus.

CONCLVSIO.

Ieiunium est actus uirtutis temperantiæ. Ratio est: quia abstinere est actus temperantiæ: & ieiunium, ut ex diffinitione eius constat, abstinentia est: omnes enim uirtutes, quæ generandi & nutriendi facultatem regunt, & gubernant, ad temperantiam rediguntur. *Alex. §. 2 & ubi supra.*

Sexta diffic. Ieiunium potest ne esse multarum uirtutum actus.

CONCLVSIO.

Ieiunium, diuersimode consideratum, potest esse, & est diuersarum virtutum actus. Ratio est: propterea, quòd idem actus potest esse diuersarum uirtutum, quatenus, ad illarum fines ordinatur: unde ieiunium, si ut in proxima conclusione accipiatur, actus temperantiæ est; deinde, si ut per illud præceptum Ecclesiæ adimpletur, sumatur, actus obedientiæ est: si ut illo diuinæ iustitię pro peccatis debita satisfacimus, consideretur, actus iustitiæ est: si ut ordinatur contra radicem inclinantem ad peccatum, capiatur, actus pœnę est, quatenus pœna est uirtus, ordinans liberum arbitrium ad resistendum: & est actus fortitudinis, ut per illud debellantur uitia: & charitatis actus: quatenus per illud adhibetur medicina corpori, quæ est charitatis opus. *S. Th. ar. 2. ubi supra quæs. 100.*

Nota ad qualitatem ieiunij dignoscendam, diuersis intentionib. ieiunari: unde uersus, Abstinet, æger, egens, cupidus, gula, simia, uirtus: Æger, uel quia non potest comedere, uel pro- *Ang. ubi supra.*

pter medicinam; Ægens, quia nō habet; Cupidus uero ne expendat; Gula, ut postea auidius commendat; Simia. i. hypocrita, ut laudetur uirtus, i. studiosus, ut mereatur.

QVÆSTIO II.

Ieiunium est ne utile, & efficax.

Al. Alē. q. 101. S. Th. ar. i. Ric. q. 3. Med. qō. pen. ubi sup.

CONCLVSIO.

IEiunium maximæ utilitatis est: ex eo. n. innumeræ emanāt utilitates, cū per illud uitia comprimantur, mens eleuetur, uirtutes concedat, & præmia Deus, ut D. Greg. in præfat. quadragesimæ docuit, etsi uolueris populum amore ieiunij accēdere, enumeratis infinitis pene utilitatibus. lege Doct. modo citatos, & Cast. uer. ieiunium. contra hæreses, lege græcos, & latinos patres, qui de utilitate ieiunij copiosissime disputant. Basilium tom. 2. concione. i. & 2. de ieiun. Ambro. tom. 4. de Helia, & ieiunio per totum. D. Hier. tom. 2. lib. 2. circa finem. Chrys. tom. i. homil. i. in gene. & to. 5. hom. ūō. & 73. ad populum. B. Aug. tom. 9. trac. de utilitate ieiunij, & in 10. inter sermones de tempore. Leo. Papam ser. 4. de ieiun. & D. Greg. homil. i. Dom. in 40. & concordantias Bibliæ uerbo, ieiunare, & ieiunium, & inuenies facile loca, in quibus quanta *Moysi*, & Heliæ, & alijs seruis suis, & Niniuitis, medio ieiunio, Deus prosua misericordia concesserit, continentur.

1. *Diff. Sitne ieiunium meritorium.*

Al. Alē. q. 101. m. i

Memento propositionis quartæ in 1. q. positæ ad seq. difficultates.

CONCLVSIO.

Ieiunium charitate informatum, & debitis circumstantijs munitum, est meritorium. Et ratio est, illud, cui debetur præmium, est meritorium, & tali ieiunio debetur præmium. Mat. 6. Tu autem, cum ieiunas, &c. Pater tuus, qui uidet in abscondito, reddet tibi. Virtus etiam est meritoria, & ieiunium, cū sit uirtutis actus, ut supradictum est, erit meritorium.

2. *Dif. Ieiunium esne satisfactorium.*

Al. Alē. m. 2. ar. i

CONCLVSIO.

Ieiuniū ex charitate, & in charitate factū, est satisfactoriū. Probatur, quia per illud peccata diluuntur, & non quoad culpam, ergo quoad pœnam. Secundo, quia est pars satisfactionis, sicut oratio, & eleemosina, & tertio quoniā ex natura sua

est

est pœnale. quanuis ex feruore charitatis. uel ex complexione, uel assuefactione, & frequentatione, uel alia occasione fiat delectabile.

3. Diffic. Vtrum ieiunium iniunctum a Sacerdote sit satisfactorium.

CONCLVSIO.

Tale ieiunium est proprie, & realiter, & sacramentaliter satisfactorium, Ratio est, quoniam est pars satisfactionis: aliter enim Ecclesia deciperet pœnitentes, & licet contra uoluntatem naturalem esse uideatur, non tamen est contra uoluntatem rationis, quæ facit esse meritorium.

4. Diffic. Vtrum ieiunium inductum, siue institutum ab Ecclesia sit satisfactorium. Alb. ar. 3.

CONCLVSIO.

Ieiunium rite factum in charitate, est secundum fidem satisfactorium, & Deo acceptum. Patet authoritate Ecclesiæ, quæ in quadam oratione (& est D. Greg.) ait. Concede, ut hoc solemne ieiunium, quod animabus, corporibusque curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus, quare cum sit institutum ad salutem animarum, erit satisfactorium atque etiam cum sit pœnale, & charitate informatum, quæ duo sunt satis, ut opus satisfactorium esse dicatur, & Deo acceptum.

Huc accedit, quod Trident. Con. Sess. 14. Cam. 13. damnat eos, qui negant ieiunium, & alia opera pœnalia nõ esse apud Deum utilia. & in Sess. ultima circa finẽ præcepit, ut Prælati sedulo doceant plebem doctrinam de ieiunio, & abstinentijs iuxta morem Ecclesiæ Rom. & Patrum traditiones.

5. Dif. An ieiunium assumptum sit satisfactorium.

CONCLVSIO.

Tale ieiunium est satisfactorium, si in charitate fiat, non sacramentaliter, sed realiter, saltem præcedente contritione & confessione, non iniuncta satisfactione, uel ex indiscretione, siue negligentia, uel incuria Sacerdotis. Ratio est, propterea quod est opus pœnale, charitate informatum. Al. Alẽ. art. 4.

Hinc confessarij deberent semper pœnitentibus bona opera, quæ sunt facturi, & mala quæ pariter sunt passuri, in satisfactionem imponere.

6. Dif. Ieiunium factum in peccato mortali est ne alicuius uirtutis, & efficaciæ.

CONCLVSIO.

Tale ieiunium est aliquo modo utile, & efficax. Patet, quia prodest ad obedientiam mandati, si est præceptum ab Ecclesia,

Ecclesia, uel ex uoto, uel ex iuramento, prodest etiam ad macerationem carnis, & tandem ad omnia alia, ad quæ ualent opera extra charitatem facta.

Ex hac. q. conuincitur ineptissimus Vualdensis error, & Iouiniani, quem instauraruntVuitcleffistæ, & Lutherani, asserentes ieiunium nullius esse meriti apud Deum, quem eruditissimè Castro, ut solet, destruit. lege illum uerbo, Ieiuniũ. hæresi prima.

QVÆSTIO III.

De institutione ieiunij.

Al. Alē. q. 100. Medina. q. 2. vbi supra. Al. Alē. m. 1.

Finietur q. aliquibus difficultatibus enodatis. lege. 1. 2. & 3. propositionem in prima q. positam.

1. *diffic. Ieiunium in genere conueniemer ne institutum fuit.*

CONCLVSIO.

Generale ieiunium debuit institui. Ratio est, quia sicut omnes in Adam peccauerunt, omnes punientur. & sicut per gulam, quodammodo auersi sunt a Deo, & paradiso expulsi, ita per ieiunium decuit, & ut Deo reconciliari mererentur, & ad paradisum, a quo fuerunt eiecti, reuocarentur. hæc D. Aug. contra Iulianum.

Rom. 3.

Hinc fuerunt in lege ueteri ieiunia inter alias causas, ad expiationem peccatorũ, & ut Deo reconciliarentur, instituta.

B. Aug.

2 *Diffic. An sit quadragesimale ieiunium ab Ecclesia institutum.*

Ieiunium quatuor temporum, & uigiliarum, Apostolorũ, & solennitatum Ecclesiæ fuisse ab ipsa Ecclesia institutum, sicut alia particularia ieiunia sunt a Prælatis Ecclesię instituta & approbata, dubitat nemo. De ieiunio autem quadragesimali sunt duæ opiniones. Prima tenet esse de iure diuino, & a Deo institutum. Secunda esse de iure humano duntaxat, defendit.

CONCLVSIO.

Ieiunium quadragesimale eo modo, quo ab Ecclesia seruatur, nec fuit a Christo institutum, neq; ab eo iussum, sed ab hominibus, atq; ita nõ est de iure diuino, sed de humano dũtaxat. Probatur, quoniam Christus in lege Euangelica nec uerbo illud instituit, quia non induxit discretionem amborum, cum discipulis, Luc. 10 dixerit. In quamcunq; ciuitatem introieritis, quæcunque apposita fuerint uobis, comedite, neq; facto illam præcepit, nam ieiuniũ quadraginta dierum

rum Christi, potius quadragenaria dicta, quam Ecclesiasticum ieiunium quadragenarium appellandum est. Christus enim nec tempus talis ieiunij, nec modum, neq; cibos instituit: statim enim post baptismum in desertum secessit, & illic ieiunauit, Christus nullum diem a ieiunio excepit in illo quadragenario numero: Ecclesia uero dies dominicos excipit, Christus tunc semel, nec pluries comedit neque bibit. In Ecclesia uero una refectio tantum est concessa, & in potatione nulla est limitatio, quare cum nec uerbo, neq; facto hoc ieiunium instituerit, ab Ecclesia institutum erit. *Mat. c. 4.*

3. *Diffic. Quando hoc Quadragesimale ieiunium fuit institutum.*

CONCLVSIO. *Doct. ibi.*

In primitiua Ecclesia tempore Apostolorum. Putandum enim est Apostolos ad imitationem ieiunij Christi, ieiunium Ecclesiasticum instituisse, & sub præcepto tradidisse, & quando, & quomodo esset quadragesima ieiunanda. hæc conclusio probatur authoritate Ignatij Apostolis contemporanei, & Hiero. ad Marcellum, dicentis; Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno, tempore cõgruo, ieiunamus, & Theophili Alexandrini, qui ita ait: Habemus quadragesimam ab Apostolis institutam, & ordinatã. *Ignat. Hiero.*

4. *Diffic. Debuit ne tale ieiunium tempore gratiæ institui.*

CONCLVSIO. *Al. Alẽ. m. 2.*

Debuit, & conuenientissime tempore gratiæ institutum est. Ratio est, propterea quod conuenientissimum fuit, ut hoc tempore gratiæ medicina institueretur, quæ a peccatis præteritis purgaret, & a futuris præseruaret: tale est hoc ieiunium, cum per illud uitia comprimantur, & mens eleuetur.

5. *Dif. Debuit ne institui, ut certis temporibus, & non semper exerceretur.*

CONCLVSIO.

Debuit hoc ieiunium interpollatum, & non continuum, determinatum, & non perpetuum institui. Ratio est, quia cõtinuum, & perpetuum ieiunium fragilitas, & debilitas humana sustinere non potuisset; & discrimini exponeretur, & fastidio afflictionis nimis fatigaretur, & impotentia induceretur, & ieiunandi deuotio periret.

6. *Dif. Vtrum quadragesimale ieiunium debuit tempore ueris institui.*

CONCLVSIO.

Conuenienter, & competenter fuit tempore ueris institu-

rum.

tum. Ratio est, quia homo hoc tempore peccauit & hoc etiã tempore maxime insurgunt, & inualescunt carnales motus, in quorum remedium fuit ieiunium institutum.

Al. Alẽ. ar. 3. S. Th. ar. 5. ubi supra Exod. 35 & Deut. c. 10. 3. Reg. 19. Mat. c. 4

7. Dif. Debuit ne esse numerus dierum dicti ieiunij quadragenarius.

CONCLVSIO.

Conuenienter fuit tale ieiunium numeroquadraginta die rum institutũ, ita enim figuratus fuit numerus hic, quando data fuit lex Moysi, qui diebus quadraginta ieiunauit; & quãdo Helias totidem diebus ieiunauit, quem etiam numerum Christus Dominus suo sancto ieiuniuo consecrauit.

CONCLVSIO.

DVBIVM.

Cur fuerunt ieiunia quatuor temporum instituta.

Respondeo, Ieiunia quatuor temporum fuerunt instituta ad purgationem offensarum, quæ in quatuor quadris anni, siue quartis, committuntur, uel ut alij sentiunt, ad solutionẽ primitiarum. dist. 76. c. statuimus.

DVBIVM.

Sunt hęc ieiunia meroris, an exultationis.

Respondeo, Meroris sunt ieiunia, quia ut modo diximus ad expiationem offensarum sunt instituta.

DVBIVM.

Cur feria 4. 6. & Sabbatho fuerunt instituta.

Respondeo, habito respectu ad passionem Christi, unde pœnitentia habet uirtutem conuenientissime ijs dieb. instituta sunt: feria quarta, quia tunc Iudęi Christi perditionem molie bantur, feria sexta, propter Christi crucifixionem, & mortem & Sabbatho, quia tunc quieuit in sepulchro: feria autẽ quinta propter eius triumphantem ascensionem, & Eucharistiæ institutionem, & die Dominica propter gloriosissimam resurrectionem, non ieiunatur tunc, necq; in Dominicis quadrasimę, necq; per annum, ut sequenti. q. dicetur.

Notã a Deo instituta fuisse Iudęis ieiunia quatuor temporum: uerum non eisdem mensibus nec ob easdem causas, quibus fuerunt nostra ab Ecclesia instituta. Illi enim mense Iulio, Augusto, Octobri, & Ianuario, sua ieiunia celebrabant, Ecclesia uero in mense Martio, Iunio, Septembri, & Decembri hæc celebrat ieiunia: Illi propter pestem, & alios casus aduersos, qui illis accidebant ieiunabant: nos uero alias ob causas, ut dubio primo patet.

QVÆ-

QVÆSTIO IIII.

Verum ieiunium sit sub præcepto obligante ad mortale.

Primum lege propositionem. 4. in princ. positam, de ieiunio naturę, &c.

Secundo nota cum Alex. nostro, ibidem duplex esse præceptum, naturę, scilicet, & disciplinæ. Primum est ex instinctu naturæ, & animæ rationali impressum, de quo Mat. 7. Omnia quæcunq; uultis, ut faciant uobis homines, ea & uos facite illis. Et eius negatiuũ, quę non uultis fieri uobis, &c. ut Tob. 4. Quod ab alio oderis fieri tibi, uide tu ne aliquando alteri facias. Secundum est illud Gen. 2. De ligno scientiæ boni, & mali, &c. & huiusmodi præcepta non sunt naturaliter animę impressa, nec ex instinctu naturæ, sed ex authoritate præcipientis adimplenda.

Duę sunt opiniones. Vna Caieta. quem sequuti sunt alij, qui uidentur ad id declinare, ut dicant non esse peccatum mortale, non seruare præceptum ieiunij, nisi ex contemptu omittatur, quia in iure, inquiunt, respectu ieiunij Ecclesiastici nullum uerbum præceptiuum ponitur. Altera, & opposita opinio est communis.

Al. Alẽ. q. 102. m. 2. Sc. Th. ar. 3. Ric. q. 3. Castr. hę. re. 2. uer. ieiun. Med. q. 7 Nauar. et alij ubi supra. Mat. 7. Tob. 4. Gen. 2.

CONCLVSIO.

Ieiunium Ecclesiasticum est sub præcepto obligante ad mortale peccatum, & probatur. Propterea quod decreta Ecclesiæ, etiam si formaliter uerbis præceptiuis nõ utantur, utuntur tamen uerbis eisdem æquipollentibus quod apertissime constat Can. non licet. & Can. non oportet. de consec. d. 3. ubi uerba, non licet, non oportet, necessitatem importare uidentur. & c. quadragesima. de consecr. d. 5. ubi clare significatur, præceptum de ieiunio esse necessario seruandum. Et Clemens in Cle. exigui. loquens de ijs, quæ sub pœna peccati mortalis obligant, dicit, Minores fratres non Deo obligati propter ieiunia regulæ a ieiunijs Ecclesiasticis, quæ cæteri Christiani seruare tenentur.

Hinc fuit error dicentium, Ecclesiam non posse homines ad ieiunium obligare, sed potius liberum esse cuiq; cum uoluerit ieiunare. lege Castro ubi supra. hęresi. 2.

Prima diffic. Quibus diebus est tale ieiunium Ecclesiasticum sub præcepto.

CONCLVSIO.

Dies, quibus hoc ieiunium obseruandum est, uel in iure con-

continentur, uel ex generali fidelium consuetudine colligun tur. hæc conclusio inductione probatur. Et primo de ieiunio quadragesimę, & quatuor temporum constat ex proximè dictis. Ieiunium vigiliæ Pentecost. quidam ex c.de ieiunio.dist. 76. quidam verò ex generali consuetudine haberi tenent: ieiunium vigilię Natiuitatis Domini. Et Assumptionis Virginis Mariæ habetur.c.1.extra eo. in vigilia Ioan. Baptistæ, Laurentij, & omnium Sanctorum esse ieiunandum communis consuetudo docet.de ieiunio vigiliarum omnium Apostolorum,demptis vigilijs Philippi,& Iacobi,& Ioannis Euangelistæ, constat ex.c.consilium nostrum.extra eod.De ieiunio adueniens non extat Ecclesiæ præceptum, sed consilium,ut communis opinio docet: idem tenetur de ieiunio rogationum, ut c.rogationes.de cons.d.3.& de 4.& 6.feria, & de omnibus Sabbathis,ut in c.ieiunio,&in c.Sabbatho ead.d.uidere licet.

Secunda diffic. Est ne aliis diebus, præter iam dictos, sub præcepto ieiunandum.

Doct. & Med.q.4 assi. ubi supra.

CONCLVSIO.

Sunt alij quoque dies consuetudine introducti, quibus est sub pœna peccati mortalis ieiunandum. Et ratio est:quia minorem locum, & uim consuetudo non habet, quam ius. Cæterum cum consuetudo in diuersis regnis, religionibus, diœcesibus,& locis,diuersa sit, non potest de hoc ieiunio generalis regula tradi, sed recurrendum est ad patrię,uel loci consuetudinem,quā seruare tenētur omnes illius loci, siue diœcesis habitatores, &c. ubi talis consuetudo uiget. Lege c.consuetudo.d.1.& c.Ecclesiasticarum,& c.in ijs rebus.d.11.

Appen.

Hinc peregrini transeuntes,& reliqui,qui non animo habitandi in illum locum ueniunt, non tenentur illud ieiunium obseruare, quia, sicut non ligantur legibus illius loci, neque eiusdem consuetudinibus astringuntur, dempta tamen scandali occasione,uel alia urgente necessitate: nam ea interueniente obligarentur tales ad ieiunium: quoniam si scandalizat fratrem meum,&c.

1. Cor. 8.

Appen.

Hinc consuetudo secularium non ligat clericos,nec clericorum consuetudo religiosos,nec consuetudo loci uniuersitatem, nec è contra: quia sunt diuersi status,& diuersis statutis, & legibus,& consuetudinibus,gubernantur: nisi ut dixi,ratio euitandi scandalum oppositum exigeret.

CONCLVSIO.

Est quoque ieiunandum, quando aliquis nouit, uel iurauit ieiunare.Ratio est,quia redditio uoti, & iuramenti est in præcepto:

cepto: idē iudicium est de ieiunio a confessore iniuncto, uide in 2.p.flor.q.de clau.

3. *Dif. Est ne licitum diebus Dominicis ieiunare.* *Alex. A*

Circa hanc difficultatem, quidam partem negantem, alij uero aientem tuentur. *len quæs.* 100. *m.* 4. *ar.* 2. *Med. q.* 4. *a fi.* *S. Th. ubi supra.* *Esdræ.* 2. c. 8. *Hæresi.*

CONCLVSIO.

Diebus Dominicis, nec in quadragesima, neque; extra, licet ieiunare. Definita est a Melchiada Papa. de consec. d. 3. c. ieiunium, ubi prohibetur in diebus dominicis ieiunare. &. c. quadragesima. de consec. d. 5. Nam si apud Esdram, cum esset tunc tempus umbræ, in diebus, qui dies Domini uocabantur, non erat licitum ieiunare, dicit enim tex. Nolite lugere, sed comedite pinguia: quanto minus hoc tempore gratiæ, & ueritatis in diebus Dominicis, propter glorioſisſimam Christi resurrectionem, integrum erit ieiunare.

Nota hanc conclusionem esse definitam in Conc. Gangren. & Cesarauguſt. & alibi contra quosdam hæreticos, qui non credebant Christi Iesu resurrectionem: & uidentes Catholicos eius causa Dominicam diem celebrare, odio resurrectionis moti, & in contemptum diei Dominici, eodem die ieiunabant, & ideo Ecclesia statuit, ne Catholici tali die ieiunarent, ut hæreticorum, & Catholicorum ieiunia distinguerentur, atq; ita, uigente illa hæresi, habuit uim Ecclesiæ decretum, & hodie propter eandem causam esset illicitum ieiunare, quia superstitiosum, & hæreticum.

CONCLVSIO.

Licet tamen ijs diebus ieiunare ex deuotione, uel ad reprimendam carnem, uel propter salutem corporalem, seu aliam iustam causam. Patet, quia tale ieiunium de se nō est illicitū, nec secundum se prohibitum, sed propter causam modo dictam. & constat conclusio etiam ex decreto B. Hieron. & refertur. c. utinam. dist. 76. ubi ita legitur: Vtinam omni tempore ieiunare possemus, sicut Apostolos ieiuunasse etiam in diebus Dominicis in act. Apostolo. legimus. *Hiero.*

DVBIVM.

Licet ne prædictos ieiunij dies anteponere, uel postponere.

Propositio.

Licet aliquando ex causa talia ieiunia de die in diem transferre. v.g. si uigilia uenerit in Dominica, ieiunandum est Sabbatho præcedenti. extra. de obseru. ieiuni. cap. 1. & 2. idem fit si accidat in festo solenni propter uenerationem festi, ut fit in Francia, ubi ieiunatur die præcedente festum S. Quintini

rini, quod celebratur in uigilia omniũ Sanctorũ: fieri tamen hoc dẽt authoritate Episcopi. arg. c. 2. proximè citato in fine.

Propositio secunda.

Quando ieiunium est onus temporis præfiniti, non licet illud anteponere, uel postponere, & tali die ieiunij elapso reus est criminis, non tamen ad resumendum tale ieiunium tenetur: quemadmodum, qui dimisit hesternum officium, hodie non tenetur illud redicere.

Appen. Idem iudicium est de ieiunio ex uoto, uel iuramento, uel ex pœnitentia iniuncto, si sit onus temporis præfiniti.

Propositio tertia.

Quando ieiunium non est onus temporis præfiniti, potest, & debet de die in diem transferri. v. g. si ieiunium est a confessore impositum, ut ieiunet, exempli causa 7. dies indefinitè: tunc enim licet proposuerit hodie ieiunare, si frangit ieiunium, tenetur alia die adimplere confessoris præceptum: quoniam tale ieiunium non est onus temporis præfiniti, sed personæ.

DVBIVM.

Qui proposuit non ieiunare in quadragesima, ad quid tenebitur.

Propositio prima.

Qui proposuit non ieiunare in quadragesima, *peccauit* mortaliter, & tenetur singulis diebus sub pœna specialis peccati mortalis ieiunare. Ratio est: quoniam hæc obligatio singulis diebus ieiunii reuiuiscit.

Propositio secunda.

Si non posset integram ieiunare, posset autem alternis diebus, aut saltem bis in hebdomada, pro mensura ualetudinis tenetur ad hoc, & sub præcepto obligatur.

Hinc, qui uouit ieiunare omnibus sextis feriis, si natalis Domini in sexta feria uenerit, non poterit ieiunare, quia est onus temporis præfiniti. Ita fratres Minores tali die ieiunamus ex regulæ uoto.

Appen. *Intelligitur, ut in sequenti propos. 1.*

DVBIVM.

Quid si uouit eo die comedere, oua, an poterit in die Natalis carnes manducare.

Propositio prima.

Si tempore, quo uouit, intendebat in tali casu esu carnium priuare se, uel si memoriæ tunc occurrisset, intendisset, non posset illas comedere: si uerò non intendit, nec si occurrisset, intendisset, posset: quia non plus uoti obligatio extenditur, quam uouentis intentio.

Si

Propositio secunda.

Si uero sit dubius, quomodo uouerit, non debet carnes comedere, quia in dubijs tutior uia sequenda est de sponsione apparentis. non tamen est iudicandus reus mortalis peccati, illas tunc comedendo, quoniam satis est eligere uiam tutam, ni si forte esset mortale propter erroneam conscientiam.

4. *Dif. An cessante omni lege positiua, teneantur homines ad ieiunium, sola lege naturali.* *S. Th. Silueſtr. & Nauar. ubi supra.*

CONCLVSIO.

Nullo legis præcepto tenentur homines in communi ad seruandum ieiunium, ita quod sit a natura præscriptum tempus, quo teneantur homines ieiunare. Ratio est, quia præcepta naturæ non proponuntur uniuersis uoce sensibili, sed uniquique particulari instinctu, & ideo ad communem obseruantiã non tenentur, nisi quando publica uoce fuerit ab omnibus determinatum.

CONCLVSIO.

Si solã naturę legem attendamus, singuli tenentur in particulari abstinere a cibis, qui uel corpori, uel animæ detrimentum afferunt. Ratio est, propterea quod lumine naturæ abstinentiam agnoscere possumus, quia uirtus est in alimentis mediocritatem seruans, tum, etiam, quia ut gulæ peccatum est legi naturæ contrarium, ita præceptum de ieiunio est naturale, quoniam contrariorum eadem est disciplina, & quia peccatum nihil aliud est, quam præcepti præuaricatio.

5. *Diffic. Obligat ne aliquando sub mortali naturæ ieiunium.*

Tripliciter præceptum de naturali ieiunio obligat submortali. Primo ratione nocumenti corporalis. Secundo propter cauendum animę periculum. Tertio propter officia necessaria, quod sequentibus conclusionibus fiet perspicuum.

CONCLVSIO.

Quando aliquis præuidet, cibum aliquem ratione quantitatis, uel qualitatis corpori plurimum detrimenti allaturum, peccat mortaliter contra ius naturæ, non abstinendo. Ratio est, quia tenetur quisq; moderari alimenta, secundum quod uitę, & sanitati conueniunt, & hoc intelligo, etiam si cibus, secundum substantiam, esset homini permissus: arbitror enim iure naturali omnia, quæ sunt homini inferiora, eidem eodẽ iure esse concessa.

CONCLVSIO.

Quando aliquis iam experimento cõprobauit, cibis lautio

e ribus

ribus, & copiosis, ita libidine inflamari, ut resistere non possit proculdubio abstinere tenetur. Ratio est, quia omnia media necessaria ad cauēdum animæ periculum adhibere tenemur: in tali autem discrimine medium necessarium est abstinentia, ut præter Sanctorum authoritates, experientia docet: uide S. Hiero. in epistola ad Eustachium.

S. Hiero.

CONCLVSIO.

Quando ad opera iustitiæ, siue charitatis est sensuum integritas necessaria, lex naturę obligat sub præcepto. Patet. Lucæ 21. Vbi Christus Saluator noster Apostolis, & Ecclesiæ Prælatis maxime præcipit: Attendite, ne grauentur corda uestra crapula, &c. quod est contra illos, de quibus Isai. 5. dicitur: Vę qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. Hęc autem regula a propria ratione unicuiq; præfigitur, secundum negotiorum exigentiam.

Luc. 21

Isaiæ. c. 5

Hinc Sacerdotes, qui tenentur sacramenta ministrare, & confessiones audire, sobrietatem, & abstinentiam, & sensuū integritatem seruare tenentur.

CONCLVSIO.

Supposita fidei reuelatione, qua intelligimus Deum peccatis offendi, & pœnitētia placari, sine scripta lege, tenerētur homines ad ieiunium. Ratio est, quia natura duce, cognoscimus uindicandam esse offensam, idq; per opera pœnalia, inter quę statim occurit subtractio delectabilium, ad quæ natura maxime inclinatur, atq; naturę maxime consentaneum est ieiunium, tum, ut satisfaciamus pro culpa, tum ut misericordiā consequamur, quod fides docet. Patet exemplo Niniuitarum Ionę. c. 3. & Tobiæ. 12. & Daniel. 9.

Ionæ. 3. Tob. 12. Daniel. 9

QVÆSTIO. IX.

An obligatio præcepti ieiunandi aliquo modo tolli possit.

Cum ieiunij necessitas, & obligatio uarijs modis tollatur, uarijs etiam positis difficultatibus, quęstio proposita enodabitur.

Al. Alē. q. 102. m. 3. Medin q. 3. & 8. Sil. uel supra

1. *Dis. An per consuetudinem ieiunij obligatio dissoluatur.*

Ad huius difficultatis maiorem declarationem, quę sequuntur, sunt prænotanda. Consuetudo, quę est optima legum interpres, duplicem habet uim, nam potest nouam obligationē inducere, & priorem obligationem legis remouere, legem, scilicet, in ualidando, & homines ab obseruantia legis excusando.

Consuetudo, ut obligationem nouam inducat, debet esse rationa-

rationabilis,& præscripta, quę quidem æquiparatur legi,quæ nisi iusta sit, lex esse non potest, de hac consuetudine loquũtur sępe iura,& sancti,ut B. Aug. & habetur c.Ecclesiasticarũ. d.11. ubi dicit,Ecclesiasticarum institutionum,&c.Quasdam uero consuetudine roboratas approbauit usus. & sequitur ibidem;Quibus par ritus,& idem utrisque pietatis debetur effectus.hæc etiam consuetudo est,quæ dici solet ius quoddam esse in usu, non in literis contentum.

Cõsuetudo, ut priorem legis uim,& obligationem tollat, non oportet, ut sit rationabilis,& præscripta, sed satis est, ut sit per tãtum tempus inducta, & obseruata,ut ad notitiã maiorum peruenerit, qui cum eam sciant, minime contradicunt, cum commode, si uellent, & contradicere,& præuaricatores punire possent,quod cum non faciant,iuste eius legis rigorẽ uelle amouere presummitur,unde non tam consuetudo contraria, quam animus legislatori consuetudini consentiens efficit legis amotionem.

CONCLVSIO.

Consuetudo sępissime ab obseruantia ieiunij excusat. Ratio est, quia humanæ leges ex intentione legislatoris uim suam habent, & ideo si legislator,cum legem facit, animum obligandi non habet, uel si post legem institutam animum obligandi deponat, non amplius obligat lex. Quare consuetudine inducta lege contraria,sciente legislatore, & non contradicente, nec inobedientes puniente, homines a dictæ legis obseruantia excusantur, quoniam tunc uidetur dispensare,siue legem deponere, & confirmatur conclusio. c.in his.d. 2. ubi D. August. dicit: Quando aliquid in diuinis literis non traditur, mos populi Dei pro lege est habenda,& c. utrum.d. 76. hinc innumeri casus colliguntur,quibus homines a ieiunij præcepto liberantur, & conclusio fortius roboratur.

Nam hinc excusantur a Doctoribus, qui iuxta morem, & consuetudinem patriæ, in die ieiunij longiores collationes faciunt, siue olera, electuaria, uel fructus aliquos, uel panem solum, uel simul cum fructibus alicuius arboris sumunt. Appẽ.1.

Hinc etiam mediolanenses excusantur,non ieiunantes primis quatuor diebus quadragesimæ. Appẽ.2.

Hinc non ieiunatur in diebus rogationum,cum olim fuerit sub præcepto illis diebus ieiunium, ut constat. c. Rogationes. de consecr.dist.3. Appẽ.3.

Hinc multi absolutione decimarum quarundam rerum liberantur, secõdam diuersarum regionum,& locorum cõsuetudinem, Appẽ.4.

tudinem, quemadmodum alicubi a celebratione aliquorum festorum liberantur, qui alibi non excusantur.

Appē.5. Hinc etiam excusantur ante horam Vesperorum manducā tes, non enim adhuc sunt trecenti anni, ex quo hora prandij in ieiunio erat hora tertia post meridiem, & religiosi quoque liberantur, qui multum ante meridiem æstiuo tempore, & in quadragesima, ut scribit Caiet. uidentur comedere.

Appē.6. Hinc Britones excusantur, qui in quadragesima butyro utuntur, ubi talis uiget consuetudo, aut ouis, alijsque ex carne originem trahentibus, cum contrarium sit iure definitum. c. denique d. 4.

Appē.7. Hinc a peccato liberantur commedentes carnes in aliquibus locis in die Sabbathi, cum abstinendum tunc esse ab illis Græg or. instituerit, ut habetur capit. quia dies. de consecr. dist. 5. Hæc omnia, & ijs similia, non sunt seruanda, secundum legis rigorem, sed secundum patriæ, & loci consuetudinem; nam ut moribus utentium leges firmantur, ita quoque moribus utentium in ctrarium nonnulle leges hodie abrrogatæ sunt. Ita docet D. Aug. & habetur dist. 4. leges nō obligant, nisi sint utentium moribus approbatæ, ait enim, Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium, approbantur.

DE DISPENSATIONE.

2. Diffic. Vtrum summus Pontifex possit dispensare in lege ieiunij, ut aliquis ab eius obseruantia liberetur.

CONCLVSIO.

Summus Pont. potest dispensare in præcepto ieiunij, quan uis fuit ab Apostolis institutum. Ratio est, quia in hac lege ferenda Apostoli usi fuere potestate gubernādi sibi a Christo concessa, & in ijs, quæ pertinent ad gubernationem Ecclesiæ summus Pontifex habet æqualem potestatem, sicut Apostoli habuerunt, quare in legibus Apostolorum poterit dispensare, ut multi Papæ dispensarunt in legibus, & statutis Apostolorum. lege. c. lector. 34. d. & c super eo. de homagis & d. 82. c. præsbyter & ita dispensat absolute ne quis ieiunij lege teneatur, uel non illis diebus. argum. Clem. ne Romani. de elect. c. ex insinuatione, de appellat.

Hinc colligitur aliter posse dispensare Papam in præcepto ieiunij, aliter in uotis, quia primum competit illi, uelut ordinaria

dinaria potestate, quemadmodum Princeps potest in suis legibus dispensare: at uero secundum conuenit illi tanquam Christi uicario, ex speciali cõmissione, nõ tanquam superiori lege, sed tanquam dispensatori, qui authoritate Domini remittit obligationem, sibi factam, & ideo maior causa in uotis requiritur, & strictior est dispensandi potestas.

CONCLVSIO.

Etiam si non subsit probabilis causa, dispensatio in ieiunio est ualida, potest tamen esse, & cum peccato dispensantis, & etiam utentis dispensatione. Probatur prima pars, quia in humanis legibus rationabilis solum causa exigitur, ut dispensatio sit honesta, non autem, ut simpliciter sit ualida, ad hoc enim sufficit uoluntas Principis, & in lege ieiunij ut modo diximus est ueluti princeps. Secunda pars constat, quia Prælatus uniuersalis Ecclesiæ tenetur ex iustitia legali curam habere, ne communis obseruantia pęnitus destruatur, & per immoderatas dispensationes periret communis obseruantia, imo aliquando potest esse negligentia mortalis in Prælato, quando subditi uenialiter peccant, & nota in bulla Cruciatæ non esse uniuersalem dispensationem in ieiunio, sed in qualitate cibi, ad quam regulariter rationabiles causæ inueniuntur. Tertia pars conclusionis ita intelligenda est, nępe, is, qui sine causa dispensationem obtinuit, non peccat, saltem mortaliter cõtra legem; quia iam est a lege liber, uerum poterit esse mortale peccatum ratione scãdali, ubi quadrat maxime Apostolicũ præceptum, Videte ne hęc licentia uestra offendiculum, &c. &1. Cor.c.8. & ad Rom.4.

Hinc attendere debent, & cauere uiri religiosi, & literati coram infirmis, & rudibus in ijs, ne miseri scandalizentur. *Ad Ro. 1 Co.c.8 14.*

3. *Dif. An inferiores Prælati simpliciter in ieiunio dispensare possint.*

CONCLVSIO.

Inferiores Prælati in ieiunio simpliciter dispensare haud possunt. Ratio est, quoniam dispensatio propria est eiusdem potestatis, cuius est condere leges, & cum lex de ieiunio a suprema potestate sit condita, non poterunt inferiores Prælati, ut Episcopi, pro suo arbitrio dispensare, & aliquem a ieiunij præcepto liberare.

CONCLVSIO.

Poterunt inferiores Prælati legem interpretari, est intelligenda conclusio, ut competat Prælatis, non solum, ut Doctores sunt, legem exponere, uerumetiam, ut Pastores animarũ;

nam possunt, ut tales authoritatiuè interpretari legem, non obligare hunc, qui accedit ad dispensationem. Et ratio est; quia cum lex de ieiunio sit uniuersalissima, & in plerisque casibus non pateat accessus ad Summum Pontificem, non esset satis consultum Ecclesiæ, si inferiores Prælati non haberet hanc potestatem, quam credendum est ex permissione Summi Pontificis habere: & intellige singulariter cum isto, aut illo die ieiunent, iusta tamen causa interueniente, & in bonum aliud compensare.

S. Tho in 4. d. 15. q. 3. ar. 2 ad 1. & Silu. & Nauar. vbi supra & Caiet. loco citato. S. Th.

4. dif. An quilibet Prælatus cum suis subditis in ieiunio dispensare possit.

CONCLVSIO.

Possunt Prælati, quemadmodum & Episcopi, non uispensare, sed legem suis subditis declarare. Ratio est, quia tam frequenter sedes Apostolica consuli non potest: tum etiam quia uidetur consuetudine introductum, quæ potest dare iurisdictionem. c. cum contingat. de foro compet. & c. duo simul. de officio ordina.

Hinc Prælati debent compati subditis suis petentibus dispensationem in ieiunio, & benignè dispensando, a suis scrupulis eos liberare, aut ieiunium in aliud pium opus commutare, & non suis proprijs conscientijs eos relinquere.

Appē. 1.

Appē. 2

Hinc etiam parochis hoc idem esse concessum, quod Prælatis, quando ad Episcopum non potest esse recursus sine periculo: alioqui enim non esset subditis rectè consultum.

DVBIVM.

Poterit ne aliquis propria authoritate, causa interueniente, ieiunium dimittere.

Propositio prima.

Si certum sit quòd quis ieiunare non possit ex causæ euidentia, certumq; sit eam esse unam ex ijs, quæ a debito ieiunandi excusant, non opus est alterius licentia, aut dispensatione ad recedendum a ieiunio: communi opinione recepta est propositio. Sed est limitanda: dummodo scandalum non oriatur: nam tunc esset petenda dispensatio.

Limitatio

Propositio secunda.

Si certum non sit, causam sufficientem subsistere, satis erit homini, s. dubitanti uiros peritos & fide dignos audire: & rei illis exposita, si declarauerint causam sufficere, poterit sine superiorum dispensatione eorum iudicio se submittere: uiri autem fide digni, citra prelatum, quorum iudicio dubitans se poterit confirmare, sunt proprius sacerdos, si doctus sit, aut medicus,

dicus, si causa morbi sit, aut vir doctus, ac literatus in huiusmodi casibus instructus: caueat tamen medicus, ne sine causa rationabili, uel saltem dubia declaret: quoniam peccabit. arg. c. quid culpatur. 13. q. 1.

Propositio tertia.

Quando causa fuerit dubia, & non est recursus ad Prælatũ, uel ad parochum, &c ut dictum est in 2. propositione, est notanda regula, nempe in iis, quæ ad nos pertinent circa nos ipsos seuiores esse debemus, mitiores autem circa proximum: nã primum est spiritus prudentię uigilantis cõtra carnem, quod Pau. ad Rom. 13. probat, dicens: Induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Secũdum autem est fraternæ charitatis misericordiam: quod idem docuit Paul. c. 14. Infirmum autem in fide assumite. Rom. 13.

DVBIVM. Rom. 14.

An qui die, quo ieiunant se ad luxuriam, siue ex naturali conditione, siue ex uitio proclliores sentiunt: an etiam qui ex natura, uel uitio sa consuetudine sunt adeò ad comedendum inclinati, ut notabilem, & magnam difficultatem in ieiunando patiantur, ita ut facile ad assueta tunc redeant, ob has causas a ieiunio sint ne obligati?

Propositio prima.

Nullo modo sunt audiendi primi, neque cum illis est dispẽsandum: huiusmodi enim est carnis prudentia, aut dæmonum astutia, qui ea occasione abstinentiæ donum eripere satagũt.

Propositio secunda.

Neque prætextu magnæ difficultatis, quam imperfecti sentiunt, minuẽdum est ieiunium, aut cum illis dispensandũ. Ratio est, quoniam huiusmodi difficultates assiduitate mollescunt, & perseuerantia vincuntur. Medina tenet esse cum illis dispensandum.

DVBIVM.

Quid de dispensatione ieiunij ex uoto, uel ex pœnitentia iniuncti?

Propositio prima.

In ieiunijs, quibus se aliqui ex uoto obligarunt, dispensare potest Episcopus, & si causa non existat in uouente, dummodo illud, in quod fit cõmutatio, sit melius, & Deo acceptius, constat ex cap. 2. de uoto.

Propositio secunda.

Ieiunia in pœnitentia imposita authoritate superioris, uel æqualis confessoris redimi possunt. hæc patet ex superioribus.

Sunt,& aliæ causæ,quibus fideles ab obseruantia præcepti ieiunij excusantur:ut infirmitas,necessitas,pietas, de quibus quæstione sequenti copiosè disputabitur.

QVÆSTIO VI.

Ale. Alē.q.102. S. Thom. ar.4.Ricar. q.4. Med. q. 5.a fin. Nauar. & Sum. vbi sup. Alex. m. 2. ar. 1. vbi supr.

De ijs,qui ad obseruantiam præcepti de ieiunio Ecclesiastico tenentur?

QVæstio hæc nonnullis difficultatibus expositis patebit.

Prima diffi. An iusti ad præceptum ieiunij teneantur?

CONCLVSIO.

Tenentur iusti ad præcepti ieiunij obseruātiam.Ratio est: quia ieiunium est institutum,non solum ad satisfaciendum, verumetiam ad impetrandum,& iusti congruentius, quā alij impetrare possunt:tum etiam quia cum iustitia non excludat iustum ab obediētia Ecclesiæ,neque a ieiunio ab Ecclesia præcepto.Et tertio propterea quod,ieiunium est etiam institutū ad radicem peccati amputandam,ad meritum augendum,ad ampliorem gratiam assequendam, quæ omnia iusto maxime conueniunt:dicente scriptura Apoc.22.Qui iustus est,iustificetur adhuc,& Sanctus sanctificetur adhuc: & Christus,qui peccatum non nouerat,neque inuentus est dolus in ore eius, quadraginta diebus,& noctibus ieiunauit: nō quod ipse opus haberet ieiunio,sed quo nobis exemplum daret,ut quantumlibet perfectus quisque foret,agnosceret ieiunium esse sibi necessarium.

Apo.22. 1.Pet.2.

Hæresis.

Hinc error,& insania impiorum Begardorum,& libidinosarum Beginarum facile deprehenditur,qui dicebant hominem non obligari ad ieiunia Ecclesiæ,cum ad statum perfectionis peruenerit.lege Cast.contra hæreses,uerbo,ieiunium, hæresi 3.& c.ad nostrum.de hæreticis.

Ale. Alen.ar.3. & reliqui vbi supra.

Secunda dif. An pueri præcepto ieiunij Ecclesiastici teneantur?

CONCLVSIO.

Pueri præcepto ieiunii non obligantur.Ratio est:quia in illis est maxima naturæ debilitas,qua fit,ut frequenti cibo,& non multo,simul sumpto,indigeant:tum etiam quia egēt cibo frequenter sumpto,cum in eis sit materia duplicis operationis nutriendi,scilicet,& augendi.

Ale. Al. ar. 3. & alij vbi supra.

Tertia dif. Qua igitur ætate ieiunij præcepto astringentur?

Noster Alex.Alen.loco citato varias affert opiniones. Quidam dixerunt teneri ætate viginti annorum, quia in tali ætate sunt homines secundum leges apti ad bellum. Alij affirmarunt

runt in ætate quindecim annorum teneri ad ieiunium: quia tempore illo incipit libido inualescere, ad cuius motus compescendos, & refrenandos, ieiunium ab Ecclesia est institutũ. Alex. uero tempus ieiunij esse docuit ætate decem & octo annorum: quia hoc erat tempus, tunc ab Ecclesia intrandi religionem determinatum: ultima opinio sequenti conclusione continetur.

CONCLVSIO.

Ante 21. annum præcepto ieiunij Ecclesiæ non obligantur. hæc conclusio neque ex iure Canonico habetur, neq; cõmuni Doctorum consensu recipitur, ut ex uarietate opinionum constat: uerum cum sit grauissimorum Doctorum, tuto potest defendi. Et ratio est: quia sicut in alijs lex humana ea, quæ regulariter occurrunt, respicit: ita in hac parte ea mensura, & benignitate utendum est: quare, cum regulariter per illud tempus adolescentes ieiunare sine detrimento non possunt, quamquã sint aliqui robusti infra illam ætatem, possint frui legis benignitate, & quia, ut refert Alex. de sententia Philosophi tempus augmenti est usque ad finem trium septenariorum, quæ fuit una ex causis in proxima difficultate positis.

Hinc præceptã Synodalia, de ieiunio, & notiua ieiunia alicuius ciuitatis infra hanc ætatem non obligãt: nam si ab uniuersali præcepto, quod debet esse regula omnium, excusantur, & a lege inferiorum eximentur. Verum enimuero prædicatores caueant, ne, dum nimis Theologi esse uolunt, publice doceant eos ad nullum ieiunium obligari. Satis enim erit, dicãt nullum ab ea ætate excusari. Appẽ. 1.

CONCLVSIO II.

Pueri infra illam ætatem tenentur præceptis abstinentiæ, quæ est de iure naturali, & sub pœna peccati mortalis, quando aliud remedium, præter ieiunium, illis non uidetur superesse, constat hæc conclusio ex superibus: & tanto magis tenentur, quanto est feruẽtior ætas, & pronior ad libidinem, & hoc uisus est docere D. Ambr. serm. 34 ubi inuehitur in adolescentes, dicens: confusionem illorum esse, quod senes seruent ieiunia, & illi uiolent. D. Amb.

Hinc confessores deberent ieiunia moderata illis imponere, præsertim, si intellexerint, in illis, iam nimis carnem aduersus spiritum concupiscere. Appẽ. 2.

Hinc si non possunt propter causas dictas totã quadrageſimam Appẽ. 3.

mam continuam ieiunare, deberent saltem interpollatam, & temporum, & uigiliarum ieiunia obseruare. & carnis motus comprimere. quod D. Basilius tomo 2. serm 2. de ieiu. admonuit, dicēs, Pueros tanquā nouellas plantas esse irrigādos.

CONCLVSIO.

Aliquando, magna tribulatione imminente, in signum arctioris pœnitentiæ, etiam pueris sunt ieiunia indicenda. Patet Ionæ 3. ubi, homines & iumenta, legitur, nō gustent quicquam, nec aquam bibant.

4. *Diffic. Qui infra istam ætatem uouit ieiunare, tenebitur ad ieiunij obseruantiam.*

CONCLVSIO.

Qui 14. annum excedens infra dictam ætatem, sponte uouerit ieiunare, tenetur uotum implere. Ratio est, quia cum uotum propria sponte assumatur, potuit cedere iuri suo, dum modo sit absq; notabili detrimento.

5. *Diffic. Religiosi nostri Seraphici Ordinis erunt ne ui præcepti. & regulæ, infra istam ætatem ad ieiunium obligati.*

Doctor Med. Dominicanus in suis institutionibus confessorum, quę Hispano sermone scriptæ circunferuntur, affirmat, non teneri exui præcepti regulę infra istam ætatem professornostri ordinis ad ieiunium.

CONCLVSIO.

Tenentur professi nostræ religionis diebus in regula præceptis, sub pena peccati mortalis ex ui regulæ, & præcepti, ieiunare. Probatur primo, quia quemadmodum decimum quartum annum excedentes, possunt se uoto obligare, & cedunt iuri suo, ita etiam professi nostri, qui iam decimum septimum iuxta Concilij Trid. decretum agunt annum, potuerunt se uoto ligare, & iuri suo cedere, quod autem uoto sint astricti, patet ex forma profitendi: nam dicunt, Voueo, & promitto seruare regulam, &c. & esse regulæ præceptum de ieiunio obligans ad mortale, constat ex declarationibus super eandem regulam Nicolai 3. & Clementis 5. quæ fuerunt postea in Cōcil. Viennen. approbatę, & continentur in extrau. exijt qui seminat. & in Cl. exiui de paradiso. de uerb. sig. Secūdo cōfirmatur cōclusio, quia si constitutio Ordinis sancti Dominici, quę nō obligat ad mortale, de sententia eiusdem Medinæ loco citato, constringit fratres suos, vt in die natalis Domini nō possint carnes comedere, si venerit in feria sexta, multo magis profecto præceptum de ieiunio regulæ nostrę obligās ad mortale, ligabit fratres meos ad ieiunium, quare ex ui præcepti, & regu-

regulæ sub pœna peccati mortalis tenentur diebus ibi præceptis ieiunare: tenentur quoque quadragesimam ieiunare, cũ in regula contineatur: Sed aliam vsque ad resurrectionem Domini ieiunent. lege Cordubensem in expositione nostræ regulæ. c. 3. q. 1. Silvest. tenet hanc conclusionem. ubi supra. numero 18.

Sexta diffic. Vtrum senes ad ieiunium teneantur?

Dum senectus non sit euidenter omnibus una (sunt enim aliqui sesagenarij, ita fortes, sicut alij quinquagenarij) nõ est determinatum tempus, quando homines propter senectutem a ieiunio excusentur. *Doct. vbi sup.*

CONCLVSIO.

Senes post 60. annum non tenetur ieiunare. hęc conclusio est probabilis. Et ratio est: quia vt plurimum tunc incipit deficere humana natura; & ideo eget pauco alimento, sed multiplicato, uirtus enim debilis recipere non potest quantum est necessarium: propter quod, si qui inueniantur firmiores post dictam ætatem, ea indulgentia uti poterunt.

Hinc etiam, qui ante illam ętatem sunt debiles a prȩcepto excusantur, ut alij infirmi. *Appen.*

Notet autem confessor, quod cum fuerit dubium, de impotentia in remittendo ieiunium, tantum attendat, ut necessitati prouideat, cum minima legis iactura, ut si satis fuerit, ut horam prȩueniat, uel uespertinam refectiunculam indulgentius faciat concedere, non ex toto ieiunium relaxet.

Notet etiam ille, cui propter debilitatem pluries commedere conceditur, quod non intelligitur excusari a carnium abstinentia, ad quam etiam pueri tenentur. statim post usum rationis, & senes usque ap ultimam ætatem, ut Ecclesię usus probat, & ante usum rationis pueris, uel amẽti carnem ministrare, nullum est peccatum, quia nullum nobis, aut illis impositũ est præceptum, quod tamen non est faciendum sine causa.

Septima diffic. Prægnantes fœminæ tenentur ne ieiunium Ecclesiasticum seruare?

Caietanus, & Paludanus distin. quodammodo utuntur. *Doct. vbi sup.*

CONCLVSIO.

Prægnantes fœminæ, eo tempore, ieiunij præcepto non tenentur. hanc conclusionem usus Ecclesiæ approbat. Et ratio est, quia debent accipere cibum, non solum pro se, uerumetiã pro fœtu, atque ita regulariter indigent multiplicato alimento, ut sibi, & fœtui sufficere possit, & si aliquæ robustiores inueniantur, eodem fauore, ut antea diximus, uti possunt, tum etiam.

etiam, probatur cõclusio cum Ricar. propterea quod, sæpe est illis desiderium uarium, & inordinatum diuersorum ciborum & ita intensum aliquando, ut nisi aliquo modo possent appetitui satisfacere, periclitaretur fœtus

Appẽ. 1. Hinc etiam excusantur a ieiunio lactantes, siue nutrices, cum sibi, & proli commedere debeant, & sibi una commestio non sufficiat.

Appẽ. 2. Hinc peccarent pregnantes, & nutrices ieiunando, nisi ita robustę essent, ut una comestione sibi, & infantibus satisfacere possent: quia esset periculum periclitationis infantis.

Limitatio. Cæterum non subinde excusantur a delectu ciborum: nam licet propter alendam prolem sit necessaria maior quãtitas, non tamen est ita necessaria qualitas, nisi forte detrimentum infantulo timeretur, in quo casu facilime debet cum eiusmodi dispensari.

Octaua dissc. Vtrum infirmi, & debiles ieiunij præcepto ligentur?

CONCLVSIO.

Infirmi, & debiles a præcepto ieiunij sunt soluti, expresse habetur. c. 2. de obseruat. ieiunij. ubi dicitur necessitatem nõ esse legi subditam, & in eis natura est debilis, & grauaretur, si totum, quod sustentationi naturæ necessarium est, assumeretur: uerum enimuero ad decernendum in particulari de hac re, prudentia, & integritate est opus: quare notandæ sunt sequentes propositiones.

PROPOSITIO I.

Morbus, aut debilitas, quæ impedit, ne statutis horis, debita quantitas possit summi, a præcepto ieiunij excusat. Et ratio est: quoniam esset magnum detrimentum tunc homines ad ieiunium obligari.

Appen. Hinc excusantur, qui multo alimento grauari solent, paruo deficere, & noctes fere insomnes ducere.

Nona dissc. Vtrum pauperes ieiunare teneantur?

Ale. Alen. ar. 4. & alij vbi supr.

CONCLVSIO.

Pauperes, qui habent sufficientem cibum ad unicam comestionem, ieiunare tenentur. Ratio est: quia præceptum de ieiunio neminem excipit.

CONCLVSIO.

Illi, qui propter aliquod impedimentum, non potuerunt summere uictum uni prandio sufficientem, pro illa die a ieiunio excusantur. Ratio est: quoniam esset illis nimis graue, cũ tam paruo alimento seruare ieiunium: necessitate enim tũc,

quæ

quæ non subiacet legi, excusantur. lege. c consilium. de obser ua. ieiunij, & c. quadragesima. de cons. dist. 5. & de consec. distin. 1. c. alij.

Hinc mendici, qui hostiatim, & frustratim petunt eleemo synam, & non habent sufficientem cibum uni prandio, a ieiunio sunt liberi. Appē. 1.

Hinc famuli, quibus tam tenua portio statuta est, ut ieiunium ferre non possint, etiam sunt exempti: tenentur tamen domini, si possunt, prandium augere. Appē. 2.

Hinc etiam excusantur itinerantes, qui in paruulis opidis sufficientem cibum sibi, non possunt comparare, & licet panem, & fructus habeant, uidetur cum huiusmodi uictu nō teneri ad ieiunium. quia, ut plurimum ijs sufficiēter nutriri nō possunt. Verum nota, quod cum hæc impotentia sit ab extrinseco, solum excusat, quando actu est, & pro illo solum tempore. Quamobrem mēdici, aut famuli alioqui ualentes, si semel in quadragesima uictum habeant sufficientē, peccabunt mortaliter, illo die non ieiunantes: propterea quod, singulis diebus est singulare præceptum. Appē. 3.

Quando autem liceat propter defectum cibi, in ijs diebus, carnes manducare infra dicetur.

Decima dif. An propter laborem homines a præcepto ieiunij excusentur?

CONCLVSIO.

Ale. Al. ar. 5. & alij ubi supra.

Labor necessarius, siue ad corporalem uitam, siue ad cōporalem conseruandam ratione ieiunij non est minuendus, atque ita laborantes præcepto ieiunij non obligātur. Ratio est: quia lex de ieiunio est suauis, & non obligat cum notabili detrimento: esset autem detrimentum, iacturam patiin commuui, ut paterentur, si a consuetis operibus uacarent.

Hinc agricolæ etiam prediuites, aut fabriferrarij, qui labore incompassibili cum ieiunio, fatigantur, si bona fide, diebus ieiunij consueta opera faciāt, a ieiunij præcepto excusantur: & illos Eugenius IIII. eximit: ut uidere licet apud Siluestrum ubi supra nu. 24. ubi non eximuntur, qui artes sedentarias, uel parum laboriosas exercent, sicut scriptores, sutores, sartores, &c. scriptores autem, qui ex officio scribere habent, ut Regū secretarij, & alij, qui ex hoc labore uiuunt, quando temporis angustia, & negotij necessitate coguntur, arbitror esse a ieiunio liberos: nam scribere qui nesciunt, nullum putant esse laborem, tres digiti scribunt, cætera membra dolent. Appē. 1.

Hinc etiam famuli a dominis compulsi ad laborandum, Appē. 2.

& si

& si labor non sit necessarius,& domini peccent,ultra modũ illos onerando,a ieiunio excusan ur.

Hinc,qui suis dominis prandentibus assistere,& ex officio credentiam facere tenentur, a ieiunio liberantur,si quid ciborum prægustant,& etiam si prægustent carnes,& si domini peccent non seruando ieiunia: quoniam ad eorum statum est hoc necessarium:quemadmodum etiam, excusantur illi, qui tali certa hora habent prandium alias non habituri.

DVBIVM I.

Laborantes in die festo,si est dies ieiunij,in quo non laborant, eruminc liberi a ieiunio.

Respondeo:si laborans in die festo est fatigatus ex labore præterito,ita quod si ieiunaret,sequenti die non posset, præ uirum debilitate,laborare,est liber a ieiunio,at uero teneretur ieiunare si in se uires,& robur,animumq. ad ieiunandum sentiret.

Duo tamen hic sunt notanda. Vnum est, q; si commode posset minuere laborem,debet hoc facere, & simul ieiunare, sine detrimento sui status. Alterum est, ne labor sit omnino uoluntarius,uel in fraudem ieiunij;nam tunc ex Alexã. & S. Th.ubi sup.non essent a ieiunio liberi.Idemq. sentiendũ est de peregrinantibus,& iter agentibus.

DVBIVM II.

Quid,si aliquis nolit conducere operarios, nisi ieiunium frangant.

Respondeo.Non sunt a culpa immunes, nisi eos forte causa necessaria,quæ festinationem operis expoſcat,excuſet.

DVBIVM III.

Peccabunt ne,conducentes operarios,quos probabiliter credunt non ieiunaturos.

Respondeo.Non peccant.Ratio est,quia præsumere tenẽtur,illos necessitate cogi ad laborandum:dubia.n.sunt in meliorem partem interpretanda.

DVBIVM IIII.

Debent ne conductores inquirere eorum necessitatem.

Resp.Nequaquam.Et ratio est, quia huiusmodi inquisitio multis posset fieri scandali occasio.

11.Diff.*Vtrum peregrini teneantur ieiunare.*

CONCLVSIO.

Si peregrinatio est uoluntaria,& peregrinus ratione dignitatis personæ suæ peregrinatione plurimum ædificat, & devotionem auget, & peregrinando non potest ieiunare, est a

ieiunio

ieiunio liber. Et ratio est, quia tunc per ieiunium maius bonũ nempe multorum ædificatio impediretur.

CONCLVSIO.

Quando peregrinus intelligeret, se multo magis, pędester peregrinando, carnem domare, & in spiritu proficere, quam ieiunando; esset quoque liber a ieiunio. Probatur ea ratione, qua prima conclusio.

CONCLVSIO.

Quando peregrinatio est ex uoto, uel præcepto, uel iniuncta in pęnitentia, & differri commode non potest, eo ꝙ tempus implẽdi accedit, & socijs, qui tunc ad id se offerũt necessarij, postea deerunt, poterit in diebus ieiunii peregrinari, & non erit transgressionis ieiunij reus, si utrumque. s. ieiunare, & peregrinari commode facere non potest. Gab. in 4. d. 15. q. 3. & Sylu. ubi sup.

CONCLVSIO.

Quando peregrinatio non est necessaria, peccat illã aggrediens indiscrete. i. tempore ieiunij, ea tamen aggressa, integrum est incompossibile ieiunium frangere. Patet a simili, sicut licet infirmanti ex culpa sua, durante infirmitate, non ieiunare; uide duo notab. in fi. prox. difficultatis posita.

DVBIVM V.

Tenentur ne cursores ieiunij præceptum seruare.

Propositio prima. *Sylu.*

Si cursus præteritus, uel futurus exposcit, ut non ieiunent, non tenentur ieiunij præceptum obseruare. Ratio est eadem quæ delaborantibus, quia lex de ieiunio est suauis, & cum tãto detrimento minime obligat, & intelligitur propositio nõ solum, quando sine tali officio uiuere non possent, uerumetiam quando non æque bene.

Propositio secunda.

Cursor, qui ad diem se locat, & alias habet, unde uiuat, ieiunij præcepto ligatur. Ratio est, quia non debet tunc se locare, nisi ieiunare ualeat, uel timeat postea se non inuenturũ conductorem.

Propositio tertia.

Cursor, qui se locat ad totum annum, & ad totale seruitiũ, & si cursus exigit, &c. ut in prima propositione continetur, erit tunc liber a ieiunio, & probatur omissa ratione primæ propositionis, qua potest confirmari. Propterea quod si exciperet, ut diebus ieiunii iter non ageret, conductorem non inueniret. *Doct. sup.*

12. *Dis. Exercentes opera suo statui utilissima, & maxime conuenientia, tenentur ne ieiunare.*

CONCLVSIO.

Propter illa, quæ utilissima sunt, & maxime conuenientia ad statum, licitum est aliquando ieiunium soluere. Ratio est, propterea quod hæc, & alia id genus, quę utilissima sunt, & raro eueniunt, inter necessaria computantur.

REGVLA.

Hinc regula Caiet. non displicet, uidelicet, id, quod ab obseruatione festi suo modo excusat, etiam a ieiunij obseruatione, quoniam grauius præceptum de obseruatione festi quam ieiunorum est, quamobrem, si licet non obseruare festum, quando ob illius obseruantiam, uel damnum paterentur, uel lucrum amitterent, ut constat c. licet, de ferijs, ubi conceditur tralecia capere in diebus festiuis, oblata opportunitate, qualis nõ semper habetur: & iudicibus, si res de qua iudicatur talis sit, quę alioquin esset peritura, non obstante prohibitione, conceditur, ut in die feriato iudicent: similiter, & habentibus triticum in area, integum est illud colligere in die festo si timeant alioquin triticum perituum, licebit quoq; *iuniũ* soluere, quando hoc necessarium est ad sui, & suorum sustentationem, uel ad famæ, honoris, status, rerumq; *habitarum* conseruationem, aut etiam ad bonum aliquod *notabile* adquirendum iustum, & honestum, *ad quod non alias* opportunitas speratur. Et ratio est, quoniam *Ecclesia instituens* ieiunij, uel damna notabilia sentiant, uel lucra, alioquin licita, & iusta, amittant.

Appē. 1.

Appē. 2. Hinc mercatores, & alij nobiles, quando se offert occasio ingentis lucri, possunt laboriosa itinera conficere, etiam cum ieiunij dispendio.

Appē. 3. Hinc, cum ad statum coniugum maxime conueniat mutua officia, imo etiam necessaria iudicentur, excusatur uir a ieiunio præcepto, si propter illud redditur impotens ad p rsoluendum coniugale debitum, & non potest aliter uxori satisfacere.

Appē. 4. Hinc uxor a ieiunijs uoluntarijs excusatur, si maritus repugnat. c. manifestum. c. noluit. 33 q. 5.

Hinc a ieiunijs Ecclesiæ erit quoq; libera uxor, si propter ieiunium adeo efficitur macilenta, & debilis, quod probabiliter timet, se uiro inuisam, aut ingratam fore, accedente præ

sertim

sertim confessoris consilio,& si ieiunia commutantur in alia pia opera,uel si forte mariti scandalum timetur,uel notabilis discordia, odium, rixa,percussio,aut blasphemia consequeretur,& si inuitatur a uiro ,ut cœnet, & timet prædicta mala, si non pareat,consulendum est illi,ut pareat. Lege c.Iulianus. 11.q.3. & quia præceptum iuris positiui non obligat cum scãdalo. c. nihil. de prescrip. Ratio est: quia hoc detrimentum existimatur, cum quo lex diuina obligare non censetur, & quia Deo gratius est conseruare pacem, & impedire præfata mala,quam ieiunare. Appẽ. 5.

Hinc tandem, quando aliquis non poterit commode debitum siue reale,siue personale persoluere sine ieiunii fractione, erit liber a præcepto ieiunii. Et ratio est,quia Ecclesia nõ ita obligare intendit, cum damno notabili proximi, quale fieret in hoc casu creditori,& ualet hæc appendix pro filijs & parentibus, uiris, & uxoribus, dominis, & seruis, cæterisq; officialibus, aut hominibus Reipub. obligatis, & pro cathedraticis, & doctoribus conductis, siue obligatis.

13. *Diffic. An pietatis opera exercentes præcepto ieiunij comprehendantur.* *Doct. ubi supra.*

CONCLVSIO.

Propter officia charitatis, quæ multis manifestam afferũt utilitatem, integrum est ieiunia dimittere. Et ratio est,quia lex de ieiunio non arctius obligat omnes, quam particulare uotum singulos, & cum particulare uotum non obliget, quãdo manifeste impedit maius bonum, cuiusmodi sunt charitatis officia, neque lex de ieiunio tunc obligabit,tum etiã quia leges humanæ, & diuinæ, ordinantur ad charitatem conseruandam, & promerendam, & quod ad finem est ordinatum, non debet esse finis impedimentum,unde eos errare dicit B. Hier. qui ieiunia preferunt charitati.c. non mediocriter. de cons.d. 5.

Est intelligendum hoc, præsupposito quod bona illa non poterunt per alium æque cõmode procurari, quodque opus ad id oppositum tale sit, quod ieiunium secum non compatiatur. Appẽ. 1.

Hinc licitum erit soluere ieiunium facienti aliquid ob publicam utilitatem, ut est prædicare, peregrinari, pro publica pace procuranda, uel inimicis reconciliandis: pel alio notabili bono procurando, seruata limitatione dicta. Appẽ. 2.

Hinc quando prædicationes alicuius, qui ad hoc ex officio non tenetur, sunt fidelibus utilissimæ,proculdubio potest

ieiunium dimittere, & prædicationi vacare: alioquin ieiunium esset charitatis impedimentum. Idem dicendum esset de egregio aliquo doctore.

14. diffic. Exercens opera, etiam opera publica, quorum non apparet necessitas, aut insignis vtilitas, tenebitur ad præceptum ieiunij.

CONCLVSIO.

Opera etiam publica, quorum uel non apparet necessitas, aut insignis utilitas a præcepto ieiunij nõ excusãt. Ratio est, quia huiusmodi opera uoluntaria prorsus censentur: propter quæ nemo a communi onere excipitur.

Appẽ.1. Hinc si multi adsint cõcionatores, quorum doctrina æquè vtilis est populo, sicut mea, v.g. quãdo non teneor ex officio, ea occasione non possum soluere ieiunium. Idem iudico de lectoribus uoluntariis, quorum lectio potius priuatæ, quàm publicæ vtilitati congruit.

Limitatio Secus esset, quando uoluntaria lectio esset necessaria ad ostensionem suæ eruditionis in oblata occasione. hæc est sententia S. Th. in 4. d. 15. q. 3. art. 2.

Appẽ.2. Hinc studentes, qui propria sponte adeò laborant in priuatis studiis, ut simul ieiunare non possint, tenentur laborem remittere, & ieiunia seruare. Ratio est, quia publica obseruantia non est facilè omittenda.

Appẽ.3. Hinc tamen non colligitur Prædicatores, & Doctores, qui mercede conducti exercent hæc officia, teneri ad ieiunia. Ratio est, quoniam si aliàs fructus ex eorum doctrina sperarur, proculdubio poterunt ieiunia dimittere, quamuis uoluntariè suas locauerint operas.

15. dif. Prætextu vtilitatis spiritualis, quam vnusquisque percipit ex priuatis exercitijs licebitne ieiunia omittere?

CONCLVSIO.

Nullo modo talis utilitatis prætextu licebit non ieiunare. v.g. si excusaretur quis, se diuturnas, & feruẽtes orationes habere non posse, seruando ieiunia. Probatur conclusio, quia religio secundum se est uirtus præstantior, quàm pietas: & tamẽ quando est necessarium exercere opera pietatis, nemo prætextu religionis excusatur: & oppositum est error, de quo redarguitur Christus Pharisæos, Matt. 15. qui, non esse opus charitatis in parentes exercendum, affirmabant: tum etiam quia opera excellentioris uirtutis non semper sunt respectu cuiusque operantis meliora: nam continentia simpliciter est melior, quàm usus coniugii. at uerò coniux, qui tenetur reddere

Mat. 15.

debi-

debitum, non est melior, neque hac ratione se potest excusare: quare neque a ieiunio debito occasione contemplationis potest quis se excusare: quòd, si talis excusatio admitteretur, patentissima uia negligentibus, & otiosis aperiretur, excusandi se a communibus præceptis: & religiosi licitè possent se excusare a præceptis superiorum, quando opera corporalia illis imponerentur; excusarentur enim se a melioribus operibus impediri.

Hinc prętextu peregrinationis, ut S. Tho ad 3. docet, nemo excipitur a ieiunio, nisi ut supra diximus, quando propter exemplum eminentis personæ cederet in magnam Ecclesiæ utilitatem. Appen.

16. diffic. Exercentes officia ad rationalem uitam necessaria, teneantur'ne ieiunare.

CONCLVSIO.

Ab omni ieiunio excusantur fideles propter officia ad rationalem uitam necessaria. Ratio est, quia opera rationalis uitæ sunt homini magis propria, & necessaria, quàm quę pertinent ad uitam corporalem, aut temporalem statum: & cum propter labores necessarios ad corporalem uitam, liceat non ieiunare, ut modò diximus, licebit multo melius propter labores ad rationalem uitam necessarios:

Hinc si Episcopus non potest simul ferre labores uisitationis, aut futuræ ordinationis cum ieiunio, licitum illi erit ieiunium omittere. Appē. 1.

Hinc Parochus, qui non potest sufficere ad tot confessiones audiendas, & simul in crastinum expectare ad multam horam, poterit ieiunium soluere. Idem dicendum de Prædicatore, qui ex officio, aut ex obedientia tenetur publicas habere conciones, & de publicis lectoribus, qui ad hoc ex officio tenentur, idem est censendum. Appē. 2.

Limitandum tamen hoc est, ut intelligatur, quando ieiunij hęc officia commodè exercere non possunt; quoniam si possent, licet non æquè benè, a ieiunio non excusarentur. *Limitatio*

Hinc, quando occurrit opportunitas publici laboris, non quidem necessarii, sed conuenientis officii, uel statui, erit sufficiens ratio excusandi a ieiunio, ut exempli gratia. Si quis sit habiturus lectionem publicam examinis, uel quando occurrit solennis disputatio, proculdubio poterit a ieiunio excusari, si hora prandii non potest tantum prandium, quantum soleat sumere. Ex superioribus de uitæ corporalis operibus patet hęc appendix: hæc enim spiritualia non minus necessaria Appē. 3.

Reipublicæ,& minus propria statui sunt, quam illa.

Hinc quoq; cum detrimentum corporale, aut temporale sit sufficiens causa excusandi a ieiunio, quando aliter caueri non potest,fit,ut propter metum extrinsece alicuius notabilis detrimenti excusetur aliquis a ieiunio,dummodo non sit metus incussus in odium, uel contemptum legis Ecclesiæ, quoniam tunc potius esset moriendum, quam cedendum: alias autem propter graue periculum, quod impendet ab intrinseco, licebit soluere ieiunium.

DVBIVM

Vtrum propter laborem rei indifferenti,uel illicitæ impensum, liberentur aliquando laborantes a præcepto ieiunij.

Exempli gratia, qui iter facit, etiam causa uisendi concubinam, & latro exercens latrocinia, & ludentes pila, & nobiles exercentes præludia ad solennem ludũ, & uenationi operam nauantes propter exercitium si isti propter huiusmodi exercitia sint uespere admodum debiles,liberentur a præcepto ieiunij.

Aliqui Doct. graues tenent, istos esse a præcepto ieiunij liberos in tali casu:nã peccarunt, inquiunt, contra præceptũ, quo res illicita prohibebatur, constituentes se in tali discrimine: at uero cœnando non peccabunt contra præceptũ ieiunij, quoniam censentur bene impotentes secundum præsentem statum,quemadmodum constituto in extrema necessitate alii ubuenire tenentur: & quia præceptum ieiunij solum obligat potentes ieiunare, quod isti,ut aiunt efficere non possunt, cum sint admodum debiles.

Ego uero huic opinioni non possum subscribere:nam si laborantes, & peregrini, & iter agentes, si commode possunt minuere laborem, & qui opera pietatis uoluntarie exercent, non liberantur a ieiunio,ut ex difficultatibus in hac quæstio. positis constat,quo modo isti a ieiuni lege erunt liberi. Ego enim hanc opinionem populum in publica concione non auderem docere,& multo minus Hispano sermone typis mãdare, quomodo ad omnium aures posset peruenire: saltem sentio, si uera est eorum opinio,quod magis agrauabit eorũ peccatum, sicut homicidium ab ebrio commissum,licet non sit nouum peccatum, agrauat tamen magis ebrietatis peccatum, quamobrem oro & obtestor per Christum Dominum omnes prædicatores, & confessores, ut hanc opinionem si illo placet sibi, & pœnitentibus ad eorum conscientias exonerandas

randas seruent.

Limitat tamen suam opinionem, dummodo hæc isti non faciana in fraudem legis ieiunij, quoniam tũc peccarent, quod quidem manifestum satis est, propterea quod legem frangit, qui in fraudem legis aliquid facit.

QVÆSTIO.

An cooperantes ijs, qui ieiunia frangunt, mortaliter peccent.

Doct. ubi sup. Medi. q. 3. a fi.

Ad maiores huius quæstionis, & sequentis explicationem nota, ieiunium frangi, uel uoluntate, uel opere uoluntate frangit, qui seruans omnia, quæ de ratione ieiunij sunt, comederet pluries, si haberet, & carnes etiam, si posset, quod quidem scienter, uel ignoranter fieri potest. Opere autem frãgitur ieiunium tribus modis. Primo quo ad meritum, ut quãdo quis omnia requisita ad ieiunium seruat, sed ut uideatur ab hominibus ieiunat: ale erat ieiunium Pharisæorum, qui exterminabant facies, ut uiderentur ad hominibus, & receperunt mercedem suam. Secundo quad intentionem præcipientis, ut quando aliquis, quę sunt de essentia ieiunij, seruat: ueruntamen comedit pisces exquisitos, qui magis ad carnis incendium conducunt: aut in collationibus electuaria ea lide, quæ erunt ad ipsum conducentia, & cum intentio pręcipientis non cadat sub præcepro qui hæc sumit, alioqui licita, contra intentionem Ecclesiæ, non peccat contra pręceptum ieiunij, quanuis posset alia uia peccare contra legem diuinã, aut naturalem, qua omnes turpes circunstantiæ in opere prohibentur. Tertio frangit ieiunium quoad substantiam actus, qui aliquid ex tribus, quę sunt de essentia ieiunij, non seruat, ut qui uel pluries commedit, uel cibis uetitis utitur, uel horã notabiliter præuenit, & hic mortaliter, ut q. sequenti explicabitur, peccat.

Nota secundo, aliud esse facere contra legem, aliud uero facere in fraudem legis: nam facere contra legem, est facere quod lex prohibet, ut qui commedit bis in die ieiunij, &c. facere autem in fraudem legis, est, cum quis, saluis uerbis legis, eius sententiam circunuenit: fraus enim legi fit, cũ quid fit, quod fieri noluit, fieri autem non uetuit, ut si monachus habitum suæ professionis non dimittat, sed superius illum habitu clericali tegat, & ita incedat, non minus apostata est, quam si habitum ex toto dimitteret: nam facit in fraudem legis. Tutor etiam, cui prohibitum est rem pupilli emere, si aliam personam summittat, ut emat, agit in fraudem legis: per-

inde etiam facere uidetur in fraudem legis, qui ultra unam refectionem, alia comestibilia licita, per uiam comestionis, aut refectionis sumit. Is prænotatis, absoluenda est quæstio posita, aliquot difficultatibus declaratis.

1. Diffic. Prælati Ecclesiastici tenentur, ne dare operam, ut ieunia seruentur, ne tacendo consentire uideantur.

CONCLVSIO.

Tenentur Prælati Ecclesiastici dare operam, ut abstinentia, & Ecclesię ieiunia ab omnibus seruentur. *Ratio est*, quia Ecclesiæ Prælati sunt executores, & iudices istarum legum, & ideo ex iustitia ratione sui officij tenentur docere omnem obligationem istarum legum, uel per se ipsos, uel per doctores idoneos.

Appen.

Hinc debent cauere censuris, ne cibi prohibiti passim omnibus exponantur, in quod tenentur eis obsequiciues magistratus, & suas operas impendere, propterea quod ordinantur ad finem spiritualem.

Hinc etiam ne ijs diebus, solennia conuiuia celebrentur, & ne sint cœnæ publicæ in scandalum infirmorum, cauere debent, non autem debent excommunicare transgressores, aut iudicialiter contra illos procedere, quoniam esset in communi ea seueritas intolerabilis.

2. Dif. Ad quid tenetur paterfamilias circa obseruantiam ieiuniorum a suis domesticis seruandam, ne peccet, &c.

CONCLVSIO.

Paterfamilias tenetur suos domesticos, ut ieiunent admonere, & illis alimenta necessaria præbere. *Ratio est*, quia charitas magis obligat circa personas magis coniunctas, & domestici adeo coniuncti sunt, ut dicat B. Pau. 1 ad Tim. 5. Qui suorum curam non habet, & maxime domesticorum, fidem negauit, & est in fideli deterior, tenetur enim, & suos domesticos admonere & fraterna charitate corripere.

Limitatio

Quod dictum est in conclusione de alimentis, intelligitur de illis, qui alias tenentur de uictu prouidere, quamobrem, si de portione quotidiana facta fuit conuentio, ratione ieiunij non tenetur augere illam, nõ enim obligatus est prouidere de uictu simpliciter, sed iuxta pactũ, & conuentionẽ factã.

Appẽ. 1

Hinc pater familias nõ tenetur, etiam si dies sit, minuere laborem seruorum, uel operariorum, quos cõduxit, sed potest consueta opera exigere.

Appẽ. 2

CONCLVSIO.

Pater familias nõ tenetur, aut è domo pellere, aut alimẽta sub-

subtrahere, si non ieiunant. Ratio est: quia hęc, & id genus similia pertinent ad genus quodam uindictæ, hæc autem patrifamilias non proprie cõuenit, sed Prælatis: tum etiam quia esset graue imponere illis hanc obligationem, & conquererentur, dicentes, quod hoc faceret auaritia magis quam zelo legis motus; uerum enimuero circa filios, & personas sanguine coniunctas, deberet paterna correctione uti: si quem haberet legum cõtemptorem, domo pellere, sicut faciebat Dauid: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. *Psa. 100*

Peccabit tamen dominus, si compellit famulos ad ieiunandum obligatos in diebus ieiunij ad opera ieiunio incompatibilia, quæ commode in alium diem fieri possunt. Palud. in 4. dist. 25. q. 5. & Gabr. ibid q. 3. *Appẽ. 2.*

3. Dif. *An cooperemur peccato, non ieiunantium, institores publici.*

Quando institores ignorant bene, aut male usuri sint, accedentes alimentis omnes tenent, non cooperari. Et ratio est quia uacant officio Reipublicæ necessario, exibentes alimenta; at uero quãdo præuidet alios præcepta transgressuros, Medina tenet consentire tũc peccatis aliorum: quemadmodum si quis gladium præberet furioso, esset reus homicidij.

CONCLVSIO.

Publici institores possunt uendere omnibus alimenta, etiã si aliquos ieiunia uiolaturos præuideant. Probatur: publici ministri, qui omnibus offerunt alimenta per se, deseruiunt necessitati, quod per se bonum est, igitur non peccant huiusmodi.

Hinc cum amicus petit ab amico, uel a uicino alimenta, quanquam præuideat eum cœnaturum cõtra legem Ecclesiæ, non peccat ministrando. Ratio est, quia per se opus amicitiæ & urbanitatis exequitur, & ex malitia alterius per accidens consequitur transgressio, & simile de gladio Medinę non uaret, quoniam iure defensionis teneor cauere nocumentum proximi, quod tunc impediet, ad quod quidem medium necessarium, & efficax est, non dare arma, imo posset per uim eripere, si haberet; at uero ad cauendum peccata intemperantiæ, medium optimum est admonitio, & correctio, & sicut nõ teneor subtrahere cibos, quos habet, ita neque negare, quos amicabiliter petit, & constat, quoniam ex ista opinione sequeretur maxima perturbatio publicorum officiorum, scandala, & iurgia, ut patet manifeste, quamobrem nõ tenetur aut examen facere, aut alimentum detrahere.

4. Diffic. An peccent inuitantes ad comedendum, nolentes ieiunare.

CONCLVSIO.

Inuitans amicum die ieiunij, prębens occasionem frangendi pręceptum, peccat mortaliter Et ratio est, quoniam hoc est præbere scandalum, scilicet, ruinæ occasionem, tum etiam, quia cooperari ad peccatum fratris, peccatum est, ad Rom. 1. Non solum qui mala faciunt, sed qui facientibus consentiũt, digni morte sunt. ergo & qui illis occasionem peccandi ministrando cibos, præbent.

CONCLVSIO.

At uero si ratione amicitiæ, & urbanitatis inuitat, non peccant. Probatur, quia unusquisq; præsumendus est habere curã propriæ conscięti æ, & ideo qui bona fide amicabiliter offert prandium, etiam si alius interim peccet, excusatur. & confirmatur, nam etiam si aliquis suspicetur, quod ille inuitatus extra dies ieiunii peccat contra abstinentiam naturalem, si est famulus, tenetur obsequi. si amicus poterit inuitare, ergo etiã in diebus ieiunii utrumq; erit licitum.

Hinc publici hospites non peccant, offerentes peregrinis cœnam diebus prohibitis, relinquendo unumquemque suæ propriæ conscientię, & proprium munus exequentes.

Hinc, quãdo aliquis paratus erat uiolare ieiunium, *nõ erit* peccatum inuitare ad cœnam magis quam a parato usurario petere usuram, non enim inducit ad peccandum, *sed inuitat* ad amicabile opus. nide Naua. ubi supra, & Caiet. art. 4. S. Th. neque non consentiens in illud, quatenus est *fractio* ieiunij, sed ut est actus sustentandi naturam, & de se bonus, uel indiferens.

Hinc uidentes aliquem socium, uel amicum plus æquo sibi indulgentem in collatione, non debemus statim eum corripere, sed sicut ait Apost. Is, qui non manducat, manducantẽ non iudicet.

Quinta diffic. Ministri, qui assistunt dominis ieiunia frangentibus, cooperantur ne illorum peccatis.

Nota, Dominũ posse a famulis duplicia obsequia exigere: quędam enim sunt quę intrinsece ordinantur ad flagitiũ, & ista, metu etiã mortis non tenentur facere, neq; possunt, quoniã sunt intrinsece mala, sicut & ipsum opus, ad quod per se ordinantur. Alia autem sunt obsequia communia, quibus dominus potest bene, aut male uti, ut præparare equum, eum incedentem prosequi, & expectare, hęc potest præstare famulus, etiam si sciat, dominum peccare.

Mi-

CONCLVSIO.

Ministri, qui assistunt dominis ieiunia frangẽtibus, eorum transgressioni non participant. Probatur, quia non tenentur famuli, imo neque debent iudicare dominos suos, utrum bene, uel male faciant, sed præstare cõsutea obsequia, & officia; nam subtrahere propria authoritate, esset scandalum manifestum, cum ille iuste possit præcipere, & id quod præceptũ est, non sit obsequium intrinsece malum, quare, cum præparare cibos, ministrare mẽsæ, sint communia obsequia, quæ per se ordinantur ad subueniendum corpori, non cẽsentur famuli participare in crimine domini, illa præstantes, & mensæ assistentes, & ministrantes.

Hinc licitum non erit famulo obsequi domino præcipienti, ut amicam ad se adducat, quoniam est intrinsece malum. Appẽ. 1.

Hinc etiam non tenebitur famulus domino, qui uult inimicum inuadere, præbere auxilium, quoniam hoc est manifeste peccatum mortale. Appẽ. 2.

Poterit tamen, si uideat dominum in periculo cõstitutum, iure defensionis illi auxilium præstare. Victoria in relectione de temperantia ad finem. *Limitatio*

QVÆSTIO VIII. *Med. q. ultim.*

An sine peccato possit quis per ieiunium uitam minuere?

CONCLVSIO.

Non est licitum homini abstinere a cibo uitæ necessario, neque eis uti, quæ uitæ seu naturæ humanæ non conueniũt. Ratio utriusque partis huius conclusionis est, propterea quod uita commissa est homini ad usum rationalem, non prorsus donata, ac proinde naturali iure tenetur curam illius gerere, unde naturæ inclinatio, & obligatio est illa, quam Apost. ad Ephes. 5. expressit, Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam. *Ephes. 5.*

Hinc, qui se inedia conficeret, non minus esset homicidij reus, quam qui se gladio perimeret: esset tamen differentia, quod iste directe, ille uero indirecte, causa propriæ mortis esset. Appẽ. 1.

Hinc abstinentiam Domini nostri Iesu Christi 40. dierum mirari possumus, imitari autem minime: fuit enim supra naturæ uirtutem, quemadmodum Moyses, & Eliæ ieiunium; nã 40. illis diebus, nec cibum sumpsit, nec somnum cœpit, ut ex sacris Euangelistis colligitur. Appẽ. 2.

Et

Appē. 3. Et idem dicendum est de uictu Ioannis Baptistæ: nam fuit priuilegium precursoris, quod cibis non humanis aleretur: vt de Saluator dixit, quod non manducabat, nec bibebat.

CONCLVSIO.

Homo non tenetur omne studium adhibere ad producendam uitam, uel tuendam ualetudinem, imò ea solicitudo nō
Mat. c.6 est Christiano pectore digna. cōstat authoritate Christi Matthę. c.6. ubi prohibet etiam solicitudinem de uictu, & potu ad uitam necessario, dicens: Gentes hęc omnia inquirunt: nolite soliciti esse animæ uestræ, dicentes, quid manducabimus, &c.
1. Tim. 6. & Paul. ad Tim. 6. Habentes alimenta, & quibus regamur, his
Hier. 35 contenti sumus. lege. c. 35. apud Hier. de Rhecabitis, qui nec
Ad Heb. 11. uino utebantur, nec in domibus habitabāt. c. 11. ad Hæbreos
D. Bern. de ueteribus sanctis, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, & D. Bern. serm. 30. super cantica, dicente: scholam Epicurij studere uoluptati, Hypocratis sanitati, Christū uero utrā negligendam esse tradidisse: quod magis conuenit religiosis, quibus Ecclesia multa circa cibum, & uestitum, & lectos statuta approbauit, quæ bonæ ualetudini aduersantur, in quibus Ecclesia proponens talem uitam fidelibus, errare haud potest.

CONCLVSIO.

Non est licitum ex intentione per ieiunia uitam minuere: sensus est, quod si quis per indiscreta ieiunia intēderet uitam finire, proculdubio mortaliter peccaret contra charitatem sibi debitam. Et ratio est: quia illud nocumentum est insigne, estq; præuisum, & intentum, & ex consequenti est ad mortalem culpam imputandum: in quo casu, & sensu est intelligen-
D. Hier. dum. c. non mediocriter. de consecr. dist. 3. ut D. Hier. ait, Nihil refert quanto tempore interimas te.

CONCLVSIO.

Licitum tamen est per ieiunia ægritudinē permittere. hanc
D. Hier. conclusionem sanctorum exempla probant: D. Hiero. tom. 1. ad Eustachium ait, Pallebant ora ieiunio, & ossa nix coherentia humi collidebant, & Dauid Psal. 108. Genua mea infirmata sunt a ieiunio: tādem omnes fundatores religionum in parsimonia fuerunt præcipui & insignes.
Ps. 102.

Limitatio Est hoc intelligendum de illo detrimēto salutis, quod nec admodum conficit corpus, nec retardat spiritum a contemplatione, aut aliis officijs necessarijs: quoniam si alterum eorum eueniat indiscreta, & culpabilia sunt talia ieiunia: est enim cō tra finem abstinentiæ, quod spiritus opera impediantur. unde
B. Hiero. D. Hieron. ubi supra, ait: Perdit rationalem dignitatem, qui

præfert

præfert ieiunium charitati.

CONCLVSIO.

Etiam si quis probabiliter existimet breuiorem uitam futuram, si ieiunia obseruet, aut in infirmitate incidat, nō semper est criminis reus. Prima pars conclusionis ex eo constat, quod eorum, qui frugaliter uiuunt, uita solet esse & iocundior, & longior. ut D. Chrisost. c. nihil enim, & B. Hieron. in duobus sequentibus cap. de consecr. dist. 5. docent: ac proinde potest probabiliter censere contrarium. Secunda, quia præstat secundum spiritum breuiori tempore uiuere, quam longiori secundum carnem. Sapien. c. 4. Consumatus in breui, explenit tempora multa. Tertio, quia licitum est Christiano laboriosas artes exercere, in quibus uita, u plurimum est breuior, ut nauigantium, & ferrariorum, & eorum qui ultra conficiunt: nare si licitum est propter lucrum temporale tali detrimento se exponere, multo magis licitum est abstinentiam, & communia ieiunia seruare: quoniam hoc est uitam potius colere rationalem, quam desideria carnis perficere. Secunda pars conclusionis posita est ad excusãda multa sanctorum exempla, qui propter abstinentiam in graues langores inciderunt: nam ferme spiritus non attendebant infirmitatem carnis, & licet illa reclamaret, semper illis erant suspecta uox. ut D. Bern. ubi sup. ait & ad hoc est optimum exemplum Esau. Gen. 27. deinde excusantur: quia existimabant, illud detrimentum, quanuis alio qui graue, ferendum esse pro aliorum ędificatione, præsertim qui aliorum debebant esse uiuendi forma.

Chrisost. Hieron.

Sap. 4.

Bernar. Gen. 27.

Hinc propter illatum detrimentum, ieiunium non est peccatum mortale, nisi in duobus casib. Primus est, quando quis ex intentione uitam breuiare intendit. Secundus, quando de graui detrimento admonitus, ob duritiam, aut temere periculo se exponit: pertinet autem ad Prælatorum, & confessorum prudentiam ijs modum imponere. Appen.

Prima diffi. Possunt ne prælati tam acerba ieiunia subditis imponere, qualia ipsi, ut dictum est, p. ssunt sua sponte assumere?

CONCLVSIO.

Non licet Prælatis tam acerba subditis ieiunia imponere, qualia ipsi, sua sponte poterant assumere. Ratio est, quia leges Prælatorum debent esse tolerabiles, & conditæ discretionis sale. Vnde lex etiam diuina non præcipit omnia ardua, quæ unusquisque licite potest adire: sæpe enim potest aliquis ex charitate res suas, & uitam etiam exponere pro patre, quando præcepto diuinæ legis non obligatur.

Hinc

Appē. 1. Hinc non tenetur aliquis seruare ieiunia quadragesimę cū illo detrimento corporis, quod licitum esse diximus in 4. conclusione. Et ratio est, quia lex in communi posita, id, quod cōmuniter est possibile, respicit, & possibile in præsentia secundum morales regulas, & non secundum physicas æstimatur, & non est moraliter possibile, quod ægre fieri potest.

Appē. 2. Hinc confessarij, qui in particulari decernunt, abstinētias acerbiores præcipere possunt, tamen eo moderamine seruato, ut in mitiorem partem declinent, & consensum pœnitentis requirant, ne iudicium misericordiæ, aut odiosum, aut periculosum fiat.

Appē. 3. Hinc si abstinentiæ in foro pœnitentiæ a confessore impositæ, uel alia opera pœnalia sint indiscreta, & exorbitantia, ut sint scandalum aliorum, aut uitæ periculum, seu salutis, aut famæ dispendium cedant, nō sunt obligatoria, sed prætermittenda, & ieiunia non ad necandum carnem, sed ad domandū sunt instituta: secus autem est de abstinentia, & pœnitentia a Prælato in foro iudiciali, quia talia forte homo delicta commisit, ob quæ mortem merebatur, & ita si uita delinquentis per talem abstinentiam notabiliter abbreuietur, nullum est inconueniens.

QVÆSTIO IX.

De modo ieiunandi?

Al. Alē. q. 99. & alij locis infra citandis.

HAc in quæstione, declaranda est forma, siue regula ieiunandi ab Ecclesia tradita, quam in 1. q. huius tract. dictā nominauimus, cōstat hæc forma tribus partibus, quæ sunt de essentia ieiunij, nempe, abstinentia a cibo, refectione unica, & determinata hora talis refectionis, & de singulis singuli proponentur articuli, quibus absolutis q. erit perspicua, & tractatus de ieiunio ad laudem omnipotentis Dei finitus.

Cast. ver. cibus cō tra hæres. & lib. de diuinis tradic. 3. p. tit. de ciborum delectu.

ARTICVLVS I.

An conuenienter fuerit abstinentia a cibo ab Ecclesia imposita?

CONCLVSIO.

Conuenientissime fuit ciborum abstinētia ab Ecclesia præcepta

Genes. 2. & 3.

Ratio est, quia primū præceptum diuinitus homini propositum, fuit de ciborum delectu, ut patet Gen. 2. & 3. fuerunt quidem

quidem naturalia præcepta in corde primum descripta: item supernaturalia diuinitus inspirata: sed inter leges positiuas, præceptum de abstinentia primum sibi uendicat locum: nam in hoc genere est omnium antiquissimum, ut D. Basil. in sermo.2.de ieiunio.& B Hiero.2.lib. contra Iouianum, circa fi. adnotarunt. *Basil. Hieron.*

Prima dif. A quibus cibis tempore ieiunij est abstinendum? *Al. Alē. m. 2. S. Th. ar. 8. Ric. q 5. & 6. & raliqui vbi sup.*

CONCLVSIO.

Abstinendum est tempore ieiunij ab illis, qui corpori uires minus ministrant, ut suam possit exercere tyrannidem. Et patet: quia cum ieiunium institutum sit ad carnem domādam, ne illicitis seruiat: ad personam affligendam contra delectationem in peccatis habitam, ad uitia resecanda, & tollēda, ut fiat reconciliatio cum Deo peccatis offenso, erit ab illis cibis abstinendum, qui ad lasciuiam nimis prouocant, & inordinate hominem delectant, & resecationem peccatorum impediunt, & peccatorum causas alunt: tales sunt carnes, & quæ illis coniuncta sunt, lac, &c. nam escæ quæ nō solum corpus nutriunt ad uitam, sed inflamant ad libidinem sunt prohibitæ: equorum enim domitores nō solum uerbera adhibent ad domandum, sed cibum etiā, aut cibi fortioris genus subtrahunt, fęnum pro ordeo tribuentes, ut fame debilitetur equorum nimis effrenata uis. ita Ecclesia uoluit, ut pabulo nimis nutriente corpori sublato, cogeretur animæ nutui deseruire.

Secunda dif. An fuerit conuenienter abstinentia a carnibus ieiunantibus imposita? *Doct. ubi supra.*

CONCLVSIO.

Quanquam iure naturali nulla caro animalium fuerit hominibus prohibita, probabile tamen est, ante diluuium non fuisse carnium usum. Prima pars manifeste patet ex eo, quod omnia animalia iure dominij homini subduntur: & ideo ea potest in proprios usus siue ad cibum, siue ad ornatum conuertere.

Est autem sermo de irrationabilibus: nam uesci carnib. humanis immane semper, & efferatum fuit. Secunda pars est S. Tho.1.2.q.102.art.6.ad 2.& illum sequitur Victoria in relectione de temperantia. Oppositum tamē probabile censet Soto lib.5.de Iustitia & iure.q.1.art.1. & probatur conclusionis pars secunda, ex illo loco Gen.9. Omne, quod mouetur, & uiuit, erit uobis in cibum, &c. *Limitatio* *Gen.9.*

CONCLVSIO.

In statu legis antiquæ, imo & in Ecclesia primitiua, nō fuit

in

in præcepto aliorum ciborum delectus in diebus ieiunij magis, quam in aliis. Et ratio est, quia ieiunium tũc potissime indicebatur per detractionem, & dilationem prandij; nam delectus, qui Leui. 11. præcipiebatur, erat æqualiter omni tempore seruandus, adde etiam quod illa abstinentia de quibusdã speciebus piscium, sicuti, & a carnibus præcipiebatur, *in herbis autem*, & fructibus nullum fuit impositum præceptum, ut per hoc ostenderet lex simplicitatem uictus homini esse conuenientem, & ideo gratam hanc rationem insinuat S. Thom. 1. 2. ubi supra.

Leui. 11.

CONCLVSIO.

Abstinentia a carnibus, alijsq; cibis cultioribus, familiaris fuit Apostolis, & uiris Apostolicis, imo & olim Prophetis. Et primo de Apostolis ex Euangelio ducimus argumenta, ubi sæpe fit mentio de eorum prandio, nusquam tamen inuenimus carnes præparasse, sed piscibus usos fuisse, ita tradit Cle. Alexan. lib. 1. Pedagogij c. 1. ubi & refert specialiter de Matthæo, quod baccis, & seminib. uictitabat. & de discipulis Marci refert Philo ad Eusebium ubi supra, quod eorum potus erat aqua, cibus panis cum sale, uel hysopo. & de Prophetis habemus conuiuium 4. Reg 4. & Daniel. c. 1.

Clemens Alex. Philo.

4. Reg. 4. Dan. 1. 1.

CONCLVSIO.

Diebus quadragesimæ in omni loco præceptum est abstinere a carnibus, & ab ijs, quæ carni coniunguntur; *in alijs autem* ieiunij diebus seruanda est ubique patriæ cõsuetudo. hæc conclusio fuit definita in Conc. Tolet. 8. c. 9 & fuit præceptũ, de abstinentia a carnibus, primum Clericis impositum, deinde ad fideles omnes fuit diffusum, in omni autem loco cibus quadragesimalis intelligitur absq; ouis, & lacticinijs, iam uero est communissima dispensatio, quam qui obtinuerũt sine scrupulo possunt uti præmissis, in reliquis uero ieiunijs, & sextis feriis est eadem abstinẽtia per consuetudinem recepta in Hispania, non autem in aliis prouinciis, quam ob causam nõ potest certior tradi regula, quam quod morem prouinciæ inuiolabiliter obseruemus, & uotum, si quis si illis diebus uouit, non comederet illa. lege ad hãc conclusionem. c. utinam. 76. d. & c. ieiunia. de consec. d. 3. & c. denique. d. 4.

Hæreses.

Hinc confutatur hæresis Tatiani, & discipulorum eius Enratitarum, dicentium non licere uesci carnibus, quam suscitarunt Manichæi, & alii, & error Chatarorum, qui superiorem hæresim auxerunt, dicentes, neque licere comedere oua, caseum, lac, etiam si necessitas adsit, eũ Dominus præceperit per

Moysem

Moysem Israelitis Exo. 12. ut unusquisq; decima mensis tolleret agnum, &c. & Leuit. 11. c. & Deuter. 14. Quæ animalia comedere deberent, lege præscripserit, & Christus Redemptor noster in cęna agnum cum discipulis manducauerit. Atq; etiã expugnatur error Iouiniani, qui quoslibet cibos, quolibet ẽt die oĩbus sine discrimine esse licitos, cõtendebat quãtũlibet per ecclesiasticas sanctiones fuerint prohibiti & Vualdensiũ qui tempore quadragesimæ carnem, & oua, & reliqua prohibita commedebant, dicentes, nullum esse peccatum hoc facere, & Ecclesiam non posse talem ciborum abstinentiam pręcipere, & in tali abstinentia a carnibus nullum inesse meritũ Castrum lege contra hæreses uerbo, cibus. hæresi. 1. & 2. ubi istos errores destruit.

3. *Diffic. An magis abstinendum sit a quanto, uel a quali.* *Al. 1. m. 2 ub. supra*

Noster Alexander hanc proponit difficultatem, & est sensus. Vtrum magis abstinendum sit a quantitate ciborum, uel a cibarijs delicatis.

CONCLVSIO.

Iuxta constitutionem Ecclesiasticam magis abstinendum est in die ieiunij a quali, quam a quãto. Et ratio est, Primum, quia periculum est minus; nam quantum ad sustentationem naturæ, & nutritionem parum refert cuiusmodi summantur alimenta, dummodo natura substentetur. Secundo, quia iudicium est certius, Ecclesia enim non potest iudicare quantum deberet unicuiq; sufficere, quia quod parum est uni, multum est alteri: sed circa qualitatem potuit diffinire, dicendo talia cibaria non esse sumenda tali tempore. Et tertio, quia commodum est maius, propterea quod ieiunium institutum est etiam, propter pauperes, & circa magis delectabilia maiores fiunt expensæ, quę expensæ erãt in eleemosynas pauperũ erogandæ, & plus pauperes de residuo quanti. quam de residuo delectabilis sustentantur. *42. d. c. non c[illegible] tur. S. Leo [illegible] pa & [illegible] gitur [illegible] mibi [illegible] adu[illegible]*

Secundum legem uirtutis sobrietatis est distinguendum: nam uel quęritur de quanto, & quali licito, uel illicito.

CONCLVSIO.

De illicito magis abstinendum est a quali, quam a quanto. Ratio est, quia maius peccatum esset tempore ieiunij comedere buccelam carnis, quam comedere multa de licitis.

CONCLVSIO.

De quali, & quanto licito, non potest dari generalis regula, neque Ecclesia a quo magis esset abstinendum potuit diffinire; alij enim in quãto, alij uero in quali magis delectãtur.

edaces

edaces quærunt superfluitatem: alij paruo, modo sit delectabile, recreantur: istis maior uirtus est abstinere a quali, quam a quanto: alijs a quanto quam a quali.

DVBIVM.

Ric. q. 6. vbi supr.

An diuites diebus ieiunij teneantur cibis pauperum vesci?

Respondeo; Non tenentur, & patet c. non cogantur. d. 41. ubi habetur; Non cogantur diuites cibis pauperum uesci, utantur consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant se aliter abstinere non posse.

Castro vbi supr. hæres 2.

Quarta dif. Licebit ne aliquando diebus quadragesimæ carnibus vesci?

CONCLVSIO.

Propter ineuitabilem necessitatem, atque fragilitatem, & euidentem languorem, uel impossibilitatem ætatis, licebit carnes tunc comedere. Definita est conclusio in Conc. Toleta. 8. c. 9. ubi ita legitur, Quisquis sine euitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti lãguore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, uerum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione, &c.

Appẽ. 1. Hinc propter ineuitabilem necessitatem poterunt in illa constituti, carnibus uesci, & tenentur ad hoc in casu extremæ necessitatis, quando non suppetunt alia alimenta, & quia hoc est medium legitimum ad conseruandam uitam.

Limitatio. Arbitror tamen, quod si nullus alius cibus esset, nisi panis cibarius, non liceret carnibus uesci, nisi per plures dies duraret inedia, ut in longa nauigatione, & in atroci bello, vbi deest uictus.

Appẽ. 2. Hinc propter fragilitatem licet carnes manducare causa metus residui, ut illis, qui paulo ante morbogallico, uel alia infirmitate laborauerunt, & sunt admodum fragiles: uerum in ijs, & sequentibus, est consulendus medicus, & confessor.

Appẽ. 3. Hinc propter euidentem languorem instanter ægrotantibus integrum est carnibus uesci.

Appẽ. 4. Hinc propter impossibilitatem ætatis est licitum pueris ante usum rationis, & in senibus in ultima ætate constitutis carnes ministrare, hoc probat Ecclesiæ usus, quæ ut ex superioribus constat, nunquam uoluit homines cum tanto detrimento ad ieiunium obligare.

Verum enimuero pueri statim post usum rationis, & senes ante ultimam ætatem ad abstinentiam carnium tenentur, licet a ieiunio sint liberi; nam quibus cõceditur propter debilitatem

tatem pluries comedere, nõ subinde ab abstinentia carnium excusantur, cum abstinentia a carnibus semper fuerit in Ecclesia maxime uenerabilis.

5. Diffic. *Qui a ieiunio iusta causa interueniente, est liber, & potest sustentari escis ieiunio congruentibus, poterit ne ouis, & lacticinijs uesci.* S. Anto. 2. p. tit. 7 c. 20. §. 2 & Nauar. ubi supra.

CONCLVSIO.

Peccabit mortaliter, si illis escis prohibitis utatur. Ratio est, quia dispensatus, ut ante horam iustam prandeat, non uidetur a ieiunio liberatus: nec iusta causa, quæ excusat ab integro ieiunio, uidetur excusare ab omni parte illius ieiuniare enim prout potest, tenetur. præceptum namq; Ecclesiæ licet in totum seruari non possit, seruandum tamen est, quoad illam partem, quoad seruari potest: atq; ita dispensatus, ut in die ieiunii pluries, quam semel, comedat, non uidetur dispensatus, ut carnes, & ouа, uel lacticinia manducet. facit text. in c. cum dilecti. de dolo, & contum. uide ibi glo.

6. diffic. *Cui licet in diebus ieiunij uesci carne, ouis, lacticinijs, integrum ne etiam erit piscibus, & oleribus uti.*

CONCLVSIO.

Illi, quibus propter ægritudinem esus carnium conceditur, non peccant mortaliter, si piscibus, & oleribus simul uescantur. Ratio est, quia nullo iure hoc prohibetur, nec interdictũ illis est, uesci piscibus, simul cum illis.

Cauendum tamen semper est pusillorum scandalum, cauẽdum & proprium nocumentum, nam tunc esset mortale, licet ex natura sua nullum sit peccatum, quod infirmus cibis quadragesimę uescatur.

CONCLVSIO.

Si lege aliqua speciali esset prohibitum simul illa commedere, esset tunc peccatum mortale. Et ratio est, quia ageret cõtra legem iustam talia prohibentem.

Nota quod, stante hac lege, si infirmus non posset quidquã deglutire, & commederet parum piscis, loco condimenti, ut appetitum excitaret, dicens (*Veamos si con esto podre comer algo*) non peccaret, secus si ut nutrimẽtum, uel sine causa dicta etiã parum piscis comederet, nam tunc, quia prohibitũ est, peccaret, quemadmodum peccaret, qui, sine sufficienti necessitate, parum carnis cum ouis, uel piscibus in diebus prohibitis, aut sine illis, manducaret.

7. *Diffic. An diebus Dominicis quadragesimæ, sine, bullæ, uel alia concessione, liceat ouis, & lacticinijs uesci.*

Duę sunt opiniones. Vna affirmans noua, altera negans an-

tiquissima,& securior.

CONCLVSIO.

Nequaquam possunt sine bulla, uel alia concessione parti culari in Dominicis quadragesimę oua, uel lacticinia mandu cari. Ratio est: quia non est lex particularis, quæ solis diebus ieiunij quadragesimæ præcipiat abstinentiam ab huiusmodi escis: imo est lex, quæ generaliter præcipit ad uerbum abstinentiam ab ijs:& habetur dist.4 c.deniq;,& est D. Greg. & ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus.

D. Greg.

Appen.

Hinc neq; licebit religiosis, & sacerdotibus secularibus in diebus Dominicis quadragesimæ uirtute bullæ oua, uel lacticinia comedere:nam in bulla dicitur in diebus quadragesimę etiam sine distinctione dierum ieiunii,& Dominicarum.

DVBIVM II.

Quid de illis, qui uouerint ieiunare quadragesimam.

Propositio prima.

Si quando uouit, habuit mentionem seruãdi ieiunium, ut ab Ecclesia præceptum est, tenebitur abstinere, ut dictum est in prima conclusione, si non habet bullam,& si habet sequatur alios suæ qualitatis,& status.

Silu. ubi supr. nu. 27.

Propositio secunda.

Si quando emisit uotum, habuit aliam intentionem actualem, aut uirtualem, debet iuxta illam intentionem seruare uotum:tantum enim obligatur, quantùm intendebat.

Propositio tertia.

Si autem dubius est, quomodo uouerit, cum necessarium non sit, in dubiis securiorem partem tueri, quoniam satis est eligere tutam:contrafaciens non erit de mortali peccato iudicandus, nisi fortè propter conscientiam erroneam.

8. *dist. Carnes die Sabbathi comedere est ne mortale peccatum?*

CONCLVSIO I.

Vbi non est consuetudo comedendi carnes die Sabbathi, mortale peccatum est. Definita est c. quia dies. de consecra. dist. 5.

CONCLVSIO II.

Vbi est consuetudo, non erit mortale, ut in Insula Maioricarum,& Minoricarum, & aliis in locis. Ratio est, quoniam standum est consuetudini. lege c.illa autem.dist.12.

DVBIVM III.

Qui in sua patria carnes, ut dictum est, die Sabbathi comedebat, ubi hoc non est consuetum, poterit ne illis uesci.

Respondeo. Nequaquam, quia peccabunt mortaliter.

lege

lege c. quia dies: citatum, & c. illa. distinct. 12. qui uero ueniunt de nouo ad patriam, ubi est talis consuetudo, animo taliter habitandi, manducando illas non peccant, nisi uoto uel regulari obseruantia sint obligati. uide c. fi. extra eod.

9. *Diffic. Illi, cui integrum est, in die ieiunij carnes comedere, erune liber omnino a ieiunio.* Cordoua in q. Hispana. 167.

Tres sunt opiniones. Prima est Caieta. ubi supra. S. Tho. art. 7. & 8. & Naua. c. 21. supra citato, ij affirmant esse liberũ a precepto ieiunij.

Secunda opinio est Medi. q. 5. & 12. ubi supra, qui tenet esse obligatum ad seruandum ieiunium in eo, quod potest, & in quantum potest; unde de sententia eiusdem non est omnino a ieiunio liber, cui licet carnes manducare.

Tertia opinio est media. Victoriæ ubi supra S. Th. art. 4. & Pedraza cap. 3. sui confessionarij.

CONCLVSIO.

Qui in diebus ieiunij iuste carnes manducare possunt, ut ab aliqua infirmitate præseruentur, & uires corporis, & salutẽ, quam modo habent, non amittant, non possunt pluries comedere, uel cœnare, nisi hoc expresse illis concedatur, uel iustam ad id etiam causam habeant, hoc modo sunt aliqui Principes, & Magnates, qui cum corpore ualeant, carnibus ex dispensatione uescuntur, quoniam illis piscis continuus plurimum nocet, qui cœnare non possunt, & probatur conclusio regula celebri, quam affert Medina, quę communiter approbatur, nempe, cum alieni fideli ob causam aliquã permittitur in die ieiunij ab Ecclesiastica regula in aliquo recedere, *in tã tum illi id permittitur, in quantum se extendit ipsius causæ indigentia.* Appen.

Hinc si qui habeant iustam causam pluries comedendi, absque hoc, quod carnes comedant ut laborantes, tenentur abstinere a carnibus, perinde si habeant iustam causam, & sufficientem ad comedendum carnes, & non ad pluries comedendũ, abstinere tenentur a pluritate refectionũ: quid? quod multoties ijs priuilegiatis, multo salubrius esset, & saluti magis cõsentaneum, si semel tantum in die comederent, & nocte collationem facerent, & in hoc sensu est uerissima Medinæ opinio.

CONCLVSIO.

Qui ratione præsentis infirmitatis iustam habet causã uescendi carnibus, ut salutem, & uires deperditas recuperet, est omnino liber a ieiunio, & potest cænare: & si opus fuerit, pluries comedere. Ratio ex regula primæ conclusionis pro-

ximæ colligitur, quia ad hoc se extendit causæ indigentia, propter quam esus carnium fuit illi concessus.

DVBIVM. IIII.

An, qui uirtute bullæ quadrageſimæ ueſcitur ouis, uel carnibus ſatisfaciat præcepto ieiunij ſeruando alias ieiunij circunſtantias.

Respondeo, bulla expresse dicit, comedentem oua, & lacticinia satisfacere præcepto ieiunij, si alias circunstantias necessarias seruauerit, at uero de eo, qui uescitur carnibus, nihil

Appē. 1. dicit.

Hinc colligitur comedentem carnes non satisfacere integre præcepto ieiunij, quoad meritum, & omnimodam ieiunij obseruantiam, licet non peccet, nec teneatur illud integre obseruare, nisi eo modo quē proxima difficultate declarauimus.

Appē. 2. Hinc neq; satisfaceret eidem præcepto comedens oua, si per bullam illi non concederetur: propter eandem rationem, qua comedens carnes non satisfacit. quoniam eodem præcepto tempore quadrageſimæ carnes, & oua prohibentur: aliudnam que est satisfacere præcepto, aliud excusari a culpa transgressionis necessitate, uel impossibilitate, uel ignorantia interueniente.

DVBIVM V.

Quando in iubileo ponitur ieiunium 3 dierum, poterunt habentes bullas lucrari indulgentias ieiunando cum ouis, & lacticinijs, ſicut in quadrageſima.

Sunt qui dicant ieiunandum esse, sicut ius commune præcipit.

Propoſitio.

Possunt lucrari, & lucrantur indulgentias, ieiunando cum ouis, & lacticinijs, sicut in quadrageſima habentes bullam. Ratio est, quia habens priuilegium comedendi oua, lac, & lacticinia, uere ieiunat, & satisfacit præcepto Ecclesiæ de ieiunio quadrageſimæ: quare eodem modo, si ieiunet, lucrabitur *iubileum*, cum in iubileo solum præcipiatur absolute, quod tribus diebus ieiunet, quod confirmatur antiquisima Ecclesię consuetudine, quæ nullum discrimen inter ieiunium *iubilei*, & quadrageſimæ constituit, nisi quod habens bullam manducat oua & consequitur iubileum, & non habens *bullam* uescitur piscibus & rigorose seruat Ecclesiasticum ieiunium.

Est tamen diligenter notandum, aliud esse excusari a trāsgresione præcepti de ieiunio, & aliud consequi plenariam indulgentiam, quę ieiunantibus conceditur, fieri enim potest, ut qui facultatem habet sumendi copiam frugum, & electua-

riorum, excusetur a transgressione ieiuniorum, qui tamē non consequatur indulgentiam. Ratio est: quia in communi non existimatur ieiunare,

ARTICVLVS II.

An sit de necessitate ieiunij unica comestio. Al. Alē. q. 102. m. 3. et q. 104 S. Th. ar. 6. Med. q. 5 & 11. ex alij ubi supra.

Siluester num. 9. duas affert opiniones. Prima dicit nullo iure caueri, ne pluries in die ieiunij comedatur, & ex consequenti licere pluries comedere sine fractione ieiunij, modo ex causa rationabili; & secundum consuetudinem eorum quibus cum uiuitur, fiat. Secunda tenet, geminata comestione ieiunium solui, quia Ecclesiæ consuetudo hoc obtinuit, ut semel tantum in die comedatur.

CONCLVSIO.

Vnica comestio est de necessitate ieiunij, & in præcepto. Probatur conclusio, non solum communi consuetudine populi Christiani, uerumetiam ex eo, quod Ecclesia ieiunium indixit, tanquam a Patribus ueteris testamenti acceptum, qui semel in die ieiunij comedebant, idq; ad uesperam, & cōfirmatur per c. quadragesima de cōsecr. dis. 5. ubi dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, quæ subtractio, cum non sit inqualitate ciborum, ut supradiximus, erit in multiplicata comestione, quę licita est in diebus Dominicis, & ex cōsequenti in diebus ieiunij prohibita.

Prima diffic. Vtrum cibi quantitate in unica comestione ieiunium soluatur. Al. Alē. q. 104. m. 1. ar. 2 S. Th. & reliqui ubi supra

CONCLVSIO.

Si homo fercula multiplicat, ut detineat tempus, ne ieiunio affligatur, is decipit se ipsum, & ieiunium soluit, quia ut superioribus constat, hoc facit in fraudem legis ieiunij.

CONCLVSIO.

Excedens in quantitate cibi, utrumq; recedens ab æqualitate quantitatis determinatæ, nō frangit ieiunium. Ratio est: quia non potuit determinari ab Ecclesia, quantum debeat sumi in communi, propter diuersitatem locorum, & varietatem complexionis hominum, & ciborum distinctionem, excessus tamen manifestus minuit frequenter meritum.

Nota tamen diligenter hanc unitatem prandij nō esse futuram physicam, sed moralem, quia non est tempus aliquod præfinitum, in quo oporteat seruare unitatem prandij.

Hinc cum aliquis in solenni cōuiuio a principio comedit, quod sibi satis esse ui debatur, quāuis multum temporis durec conuiuium, licebit postea uelaria sumere.

Appē.2. Hinc quando aliquis coactus est surgere a mensa, inf cto prandio, licet temporis mora notabilis intercesserit, licitè potest resumere, quod deerat, seruata ieiunii integritate: quemadmodum interpositio, quæ fit in mensa, uel inter fercula, non impedit ieiunii integritatem.

Limitatio Alex. noster ubi supra, art. 3. limitat, dummodo non surgat a mensa, ut interim ludat, inquit, ne tale, uel uacet rebus impertinentibus: nam tūc solueret ieiunium: similiter frangeret ieiunium, qui cum intentione non iterum comedendi, uel actis gratiis, a mensa surgeret, si rursus comederet.

Appē.3. Hinc etiam religiosi, qui tenentur, aut legere, aut ministrare in mensa, si aliquid interim præsumant, excusantur: iam enim censetur prandium pro omnibus inceptum: mihi tamen magis placet huiusmodi excusari ratione laboris futuri, cui sine magno labore ieiunii non sufficient, qua ratione famuli seculares ministraturi in solenni conuiuio, si aliquid præsumant, excusari possunt: in regularibus autem prandiis famuli ea licentia uti non possunt.

Doct. ubi supra. 2. *dif. An potus frangat Ecclesiæ ieiunium?*

CONCLVSIO.

Nihil eorum, quæ per modum potus, regulariter accipi solet, violat Ecclesiæ ieiunium: patet ex definitione ieiunii, qđ solum dicitur abstinentia cibi, non potus; & quia ut S. Tho. loco citato ait: potus magis sumitur ad alterationem corporis, & ciborum assumptorum digestionem, quàm ad nutritionem: licet aliquo modo nutriat: quare licebit sæpius bibere uinum, aut aquam inter uescendum, & mane, & uespere, quantuis ad sustentandum se, & famen sedandam, bibatur: quicquid alii sine tex. & ratione ad id idonea, ut Nau. scribit, dicant: esto, venialiter peccaret, qui cœpta, & nondum finita digestione, biberet: non quòd ieiunium frangat, sed quia meritum ieiunij perdit: sicut qui immoderatè in una comestione cibum assumit; agit enim actū inordinatum, nisi iusta causa, s. charitatis, pacis, societatis, sitis, aut alia similis actū reformet.

Notanter dicitur in conclusione, regulariter accipi solent; quoniam sunt quædam condimenta sorbilia, quibus potius, tāquam cibis, quàm per modum potus, utimur, & horum haustus proculdubio non est licitus; nam solueret ieiunium, ut si quis sorbere uellet ius, amilium, &c.

Appē.1. Hinc ad uidendum, an Ecclesiæ ieiunium soluatur, non est aspiciendum, an id confortet, aut nutriat; sed actum, sit ne comestio, an non.

Hinc

Hinc intulit S. Th. in 4. ubi supra, quod licet odor confortet, & etiam nutriat, quæ fuit quorundam medicorũ opinio, neque soluit ieiunium Ecclesiæ, neque naturæ, utsic etiam cõfortatus possit accedere ad altare.. Appẽ. 2.

Tertia diffic. An usus comestibilium per modum medicinæ frangat Ecclesiæ ieiunium. *Doct. ubi supra.*

CONCLVSIO.

Ea, quæ per modum medicinæ tradi solent, quanquam sæpe accipiantur, Ecclesiæ ieiunium minime soluunt. hæc conclusio intelligitur non solum de syruppis, & pharmachis, uerumetiam de quibuscunq; alijs condimentis, & electuarijs quæ uere per modum medicinæ assumuntur: omnium enim, una est ratio: nam licet hæc palatum alliciant, & nutriant, præcipuus tamen usus eorum non est ad nutriendum institutus, sed ad subueniendum alicui incommodo.

Est autem in ijs omnibus tanquam certum statuendum, quod exigua quantitas, quæ pro nihilo reputatur, etiam absquæ necessitate sumpta non uiolat ieiunium.

Hinc prædicatores, lectores, imo etiam cantores insignes pro conseruanda uoce, aut gutture purificando, si aliquid mane accipiant, fraude cessante, non uiolant ieiunij præceptũ. Ratio est, quoniam præterquam quod illud est conueniens statui illorum, per modum medicinæ assumuntur. Appẽ. 1.

Hinc si quis oris grauiolentiam laboret ieiunus, & oportet eum cum primatibus negotia gerere, absq; scrupulo potest aliquid præsumere: nam huiusmodi intra latitudinem medicinę computantur. Appẽ. 2.

Hinc non frangunt ieiunium Ecclesiæ, qui faciunt credentiam & præguttãt cibos dominorum suorum, uel infirmorũ, quibus inseruiunt, etiam mane, & etiam si cibi sint carnes uel oua, & in quadragesima. Ratio est, quia hæc non in cibũ sumunt, sed ut debito officio suis dominis seruiant, hoc enim eorum statui competit. Appẽ. 3.

4. Diffic. An per uespertinam collationem Ecclesiæ ieiunium frangatur.

CONCLVSIO.

Vespertina collatio non frangit Ecclesiæ ieiunium, & integrum est illam sumere eo modo, quo Ecclesia permittit, quando uis nulla sit necessitas, itaq; licet aliquis secundum legẽ naturæ sub nocte deberet abstinere a cibo, & potu, si collationem faciat, solito more, non uiolat Ecclesiæ ieiunium: nam siue per modum generalis dispensationis, siue interpretatio-

nis, ab uniuersali Ecclesia, uidentibus, & probantibus prælatis, hæc consuetudo iam recepta est.

Hinc non oportet omnino habere, aut intentionem sumendi per modum medicinæ, ne noceat potus: aut etiam quòd non nutriatur corpus, sed satis est uelle assumere id, quod tradit Ecclesia.

Appen. Nota diligenter duo esse hic cauenda. Primum, circa qualitatem, ne illa sumantur, quæ per se ad nutriendum ordinantur: quales cibi sunt pisces, oua, &c. nam in ijs, quanquam similis quantitas non uiolaret ieiunium, ratione tamen qualitatis, uiolaret. Secundum est cauendum, ne sit tanta quantitas, qua corpus sufficienter posit refici: nam id in fraudem ieiunij assumeretur, & proculdubio esset mortale peccatum.

Animaduerte etiam non esse doctrinæ communis præfigere ijs mensuram, sed prudentiæ timoratæ, particularium: hoc tamen certissimum omnibus esse debet, quantitatem, scilicet, futuram esse exiguam, & nihil referre unius, aut plurium esse specierum: neque est habendus scrupulus, si panis bucella interponatur.

DVBIVM I.

In vigilia Natiuitatis Domini potest fieri collatio sine violatione ieiunij cum quacunque quantitate fructuum.

Quidam Doctor tenet posse tali die collationem fieri cum quantacunque quantitate fructuum. Et ratio illius est, quia iam consuetudine receptum, & Prælati non solùm uident, & consentiunt, uerùm etiam talem collationem faciunt.

Nauar. oppositum tenet c. 21. in Manuali, ubi dicit, peccare mortaliter huiusmodi homines: nam ita scribit: Idem uidetur de illo qui, facta meridie cœna, sub noctem symbolo, seu collatione notabiliter immoderatè utitur (quod frequenter fit in vigilia Natalis Domini, præsertim in Lusitania, ubi multa ex saccharo confecta, & condita propinantur, quo reuerà fraudatur ieiunium) & admittit ueram cœnam nomine collationis tectam, seu palliatam. arg. c. 2. iuncta glo. de consuetu. lib. 6. hęc Naua. & uide quæ immediatè præcedunt, ubi dicit, peccare mortaliter, qui surgens a mensa cum uoluntate amplius non comedendi, iterum reddit, & comedit, & consuetudo, quam author contrariæ sententiæ allegat, non est mos populi Dei, ut dicit B. August. supra citato: sed est mos populi, cuius Deus uenter est, contra regulam Ecclesiasticam inductus, irrationabilis, uitiosus, & a uitiosis, & gulosis introductus, & est potius corruptela, quàm consuetudo; & hac, stante

eadem

eadem legis ratione, iuri positiuo, præiudicare haud potest, uide c. ex parte, & c. cum quanto, extra de consuet.

DIVBIVM II.

Qui semel collationem fecit, & rogatus ab amico iterum facit collationem, frangit ne ieiunium.

Idem Doctor cum alio doctissimo uiro perpetuæ memoriæ digno opinatur, quod si hoc facit ad libitum sine aliqua occasione peccabit uenialiter: at uero ieiunij præceptum non uiolabit. Et ratio illius est, quia semel tantum in die comedit, cæterum si rogatus ab amico sumit iterum bucellam panis ad bibendum, ratione amicitiæ, non erit peccatum: hæc ille.

Ego uero, ut supra de alia opinione non auderem hoc consulere, nec publice docere, & multo minus Hispano sermone prælo tradere: nam si non licet immoderatam collationem facere, ut modo diximus, & quantitas collationis debet esse parua, & exigua, quomodo licebit pluries collationē facere. unde ex multis collationibus immoderata quātitas sumetur: tum si sumatur, aliquid, & non ratione medicinæ, frangit ieiunium, cur iste qui toties collationem facit, non frangeret? præterea neq; ratione amicitiæ hoc licet, quoniam Ecclesia Christi Iesu sponsa, cuius amicitia est nobis ad salutem per necessaria, præcipit, ut semel tantum comedamus, & ut semel collationē faciamus, permittit. quamobrem magis Ecclesiæ præcepto, & amicitiæ parendum est, quam cuiusuis? hominis amicitiæ obsequendum quid: quod daretur occasio gulosis, ut passim ad collationem se inuitarent, & periculo frangēdi ieiunium se exponerent, tandem quia satis amicitiæ lex tunc seruaretur, si rogatus ab amico solum biberit, & non comederet, quoniam potu ieiunium non frangitur, & circunstātias uisa ieiunij obseruantia, ædificarentur.

5. *Diffic. Integrum ne erit hora prandij consueta collationem sumere, & prandium in uesperam differre.*

CONCLVSIO.

Est quidem integrum. hanc conclusionem mihi persuadeo, quoniam isto modo seruantur omnes illæ conditiones, quæ ad ieiunium, & ad unitatem prandij sunt necessariæ: imo iste modus ieiunandi, secundum se conuenientius est ad corporis afflictionem, quamuis alicui particulari forte sit minus molestus.

Nota non licere summo mane iantaculum sumere, & prādium referre in noctem: propterea quod isto modo plurimū labori ieiunij detraheretur. Cæterum si ad commoditatem

itineris

itineris faciendi, aut gerendi negotij, illud fuerit necessariũ, poterit illud sine scrupulo fieri.

DVBIVM III.

Qui mane comedit die ieiunij, tenetur ne illo die ieiunare.

Propositio prima.

Qui ignoranter comedit, & inaduertenter, tali ignorantia & inaduertentia, quæ a uiolando ieiunio excusat, tenetur illo die ieiunare. Et ratio est, quia non obstante tali esu, perinde poterat ieiunare, & hora consueta uesci, ac si nihil comedisset. Nauar. ubi sup.

Propositio secunda.

Si talis ignorantia, aut inaduertentia non excusaret, nõ teneretur, mane ita comedens, ieiunare. Et ratio est, quia iam fractum ieiunium recuperare non potest illo die, & alio non tenetur: quemadmodũ, qui omittit uno die preces horarias, non tenetur altera die recitare, ut ex superioribus constat.

6. Diff. An qui pluries in die ieiunij comedunt, toties peccent, quoties ultra semel comedunt.

Medina, & alij ubi supra.

Et intelligitur titulus de refectionibus alijs a prima, quarũ quælibet per se sufficeret ad frangendum ieiunium.

Duæ sunt opin. Prima dicit, quod toties homo peccat, quoties ultra semel comedit. Secunda opi. tenet, quod non peccatur contra præceptum de ieiunando, nisi per secundam comestionem, & non per alias subsequentes: dicitur contra præceptum de ieiunando, quia & per primam, & per alias refectiones subsequentes potest homo per intemperantiam, ut patet, peccare.

CONCLVSIO.

In casu posito solum per secundam comestionem, & non per alias subsequentes contra præceptum ieiunij peccatur. Patet primo, quia sola secunda refectio est, quæ ieiuniũ frangit, non tertia, nec aliæ subsequentes: nam quando istæ sumũtur, iam ieiunium erat per secundam refectionem fractum. Secundo, quia si detur homini præceptum de non transgrediendo aliquem limitem signatum, & transgrediatur, nõ solum uno, sed multis passibus, ultra limitem progrediendo, talis non peccat, quoties passum passui addit ultra limitẽ præscriptum: sed in primo passu, quo limitem transit, peccat: ergo similiter in proposito peccabit, quam primum, ultra limitẽ unius refectionis comedet, qui fuit præfixus, & nõ toties, quoties ultra comederit, & intentionem ecclesiæ non tendere nisi in refectionem solam, qua ieiunium frangitur, pie credendum

dum est: non. n. sunt iuta amare interpretanda, nec pœnalia sunt amplianda, sed restringenda.

DVBIVM IIII.

Cur igitur, quoties caro in die ieiunij comeditur, peccatur, & non quoties pisces comeduntur.

Respon. in præcepto ieiunij duo includuntur. Primum est simpliciter negatiuum. s. abstinentia a certo genere ciborum vtpote, carnium: & quoties hæc uiolatur distinctis actibus, toties committitur nouum peccatum mortale, ut qui pluries in die comedit carnes. Secundum de unitate prandij est quidē negatiuum, non simpliciter, sed in ordine ad integritatē ecclesiastici ieiunij, qua sublata, non erit postea nouum peccatum, ut si pluries comedat: quemadmodum præceptū de castitate seruanda est simpliciter negatiuum: præceptum vero de uirginitate est quidem negatiuum, sed in ordine ad integritatem carnis tuendam, qua semel sublata, non est postea speciale peccatum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum debeat esse determinata hora comedendi in die ieiunij. *Ale. qō. 103. Th. ār. 7. Medi. q. 6. et reliqui, ubi sup. Ale. m. i.*

CONCLVSIO.

Conuenientissime fuit in ieiunio hora determinata. Rō est, quia, ut sunt determinatæ horæ horis canonicis, ita & ieiunio: debet. n. esse conformitas in rebus ad diuinum cultum pertinentibus: nam si unusquisque horam sibi determinaret, esset profecto confusio, & deformitas maxima, quæ ieiunij honestatem maxime diminueret.

1. *Diff. Vtrum hora nona conuenienter ieiunantibus assignetur.* *Al. Alē. m. 2. & S. Th. & reliqui, ubi sup.*

Primum nota, in principio nascentis ecclesiæ ieiunium, usque ad solis occasum tendebatur. Et ratio est, quia ut supra diximus Apostoli formam ieiunandi acceperunt ab antiquis patribus, quibus præceptum erat usque ad uesperam ieiunū seruare, & ita discipuli Apostolorum per multa tempora seruauerunt: lege Eusebium lib. 2. histor. Ecclesiast. 17. & Basil. sermo. 1. de ieiunio, & D. Ambro. sermo. 33. & B. August. epist. 86.

Secundo nota diem ieiunij computari a media nocte prioti in mediam noctem sequentem; communi sententia, probatur iux. definitionem I. more Romano. ff. de fer.

Tertio nota horas numerandas esse non secundum modū occidentalium, sed Palestinorum, qui computabant diem artificialem ab ortu solis, & ideo in horas inæquales distribuebatur in æstiuales, & hiemales.

Magis

CONCLVSIO.

Magis congrua fuit hora nona ieiunio determinata. Probatur cum Ale. nostro, & cum S. Th. loco citato: quia ieiunij est institutum ad carnis afflictionem pro satisfactione culpę, & cum homines communiter hora sexta tunc manducarent, erat tempus protrahendum usque ad horam nonam, uel circa illam, ut maiorem afflictionem ieiunantes sentirent: tum etiam ut Christi Domini passioni conformaremur, quiusque ad horam nonam, quãdo inclinato capite emisit spiritũ, fuit afflictus: nam qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cũ vitijs, & concupiscentijs, atque ita hora nona debuit cessare ieiunij afflictio, & fuit confirmata hæc hora. c. solent, de cons. d. i. ubi dicitur: non ante soluendum esse ieiunium, quã horæ uespertinæ essent celebratæ, & tunc hora tertia post meridiem, quæ erat nona ab ortu solis, soluebatur.

Appen. Hinc displicet sententia Sylu. ubi sup. nu. 11. dicentis, horã sextam finiri in pũcto meridiei, & ibi incipere horam nonã. legimus. n. in Euangelio Io. 4. horam septimam: nam in ea reliquit febris reguli filium.

CONCLVSIO.

Modo apud nos sine scrupulo hora undecima possumus prandere. Probatur: quia Romæ, & fere ubique, nõ solũ apud seculares, uerum & apud aliquos religiosos obseruatur: nam cum hæc materia sit iuris positiui, sicut utentium consensu firmatur, ita contraria consuetudine infirmatur, & tollitur: unde efficitur, ut quod prius erat ius, non sit amplius de iuris necessitate: & quod prius, nefas erat, postmodum licitum reddatur.

Appẽ. 1. Hinc, qui horam absque ulla causa notabiliter præueniret, ut si hora octaua, aut nona prandet, ieiunium uiolaret, & mortaliter peccaret. Ratio est, quia eadem consuetudo, tãquam necessarium ad integritatem ieiunij tradidit: ut hora debita seruetur.

Appẽ. 2. Hinc, iusta causa interueniente, utpote, necessitate urgente, poterit absque periculo hora præueniri. exẽpli gratia, quia si ea hora non comedirur, uel non suppetet prandium, uel nõ erit aptus locus ad prandendum, uel perdetur itineris, uel societatis commoditas, uel propter aliam iustam causam, similiter quando præ debilitate stomachi graue reputatur expectare horam, posset tunc hora aliquantulum præueniri.

Appẽ. 3. Hinc ex sententia nostri Ale. loco citato. nu. 3. si religiosi surgerent multo mane, & fatigarentur, possent ex dispẽsatione

ne ordinis horam communem anticipare. & ratio quoq. harum appendicum communis dari hæc potest. s. q. ex tribus, quæ ad ieiunium exiguntur, inter cætera, horæ determinatio est minus principalis, & ita, necessitate interueniente, ut dictum est, poterit absque periculo hora præueniri.

DVBIVM I.

Virum frangant ieiunium, qui ante dictas uesperas in quadragesima, vel in alijs diebus ieiunij, ante recitatam nonam, comedunt. Nau. ubi sup. & alij aute illum.

Propositio.

Non frangunt ieiunium, quamuis officijs diurnis addicti, id sine iusta causa, facere non debent, ut in c. solent, de cons. dist. i. insinuatur: neque ad dicendam nonã, uel uesperas tunc lege aliqua scripta, uel consuetudine obligantur singuli, qui ad horas canonicas tenentur.

2. Diff. An sit refectio differenda in die ieiunij, quousque homo per esuriem, aut naturæ defectum, affligatur. Med. n sup.

CONCLVSIO.

Non est hora ob talem causam, sed quando uenit hora, est refectio sumenda, etiam si homo non esuriat. Ratio est, quia hoc modo melius, & commodius parsimonia uictus seruatur quam refectionem usq. ad esuriem differendo: quoniã in magna esurie auidius, ac minus temperate refectio sumitur, hoc est consilium Cassiani. Secundo, quia tunc nullus ordo tẽporis seruaretur: quoniam iuxta diuersam hominum complexionem, & naturalis caloris dissimilem actionem, alij alijs tardius famæ affliguntur, & quidam totam diem sine esurie trã figunt, atque ita isti tenerentur illa die nihil comedere, quod est manifeste falsum. Et ultimo, quia tria, quę diximus esse de integritate ieiunij: abstinentia a cibis: unica refectio: & quod hora comestionis non præueniatur, notab. possunt seruari, ut constat, sine esuriæ, & naturæ defectu.

Est regula sequens ad totam hanc materiam de ieiunio diligentissime notanda: quemadmodum in alijs diuinis præceptis, etiam si aliquid uideatur præter legem, aut contrarium illi, non subinde incurritur reatus mortalis culpæ, sed quando lex frangitur contra ipsius intẽtionem: ita præcepto ieiunij accidit, quod mitius interpretandum est: propterea quod, licet sit aliquando excessus aliquis in collationib. aut defectus circa tempus definitum, non semper est mortale peccatum: hoc præsertim dico pro timoratis conscientijs eorum, qui firmiter decreuerunt seruare leges diuinas, & ecclesia-

clesiasticas: hi quando ratione aliqua probabili ducuntur, ut aliquid remittant de ieiunio, non peccant mortaliter, licet aliquando uenialiter decipiantur.

FLORES TRACT. DE ELEEMOSYNA.

HActenus de duobus partibus satisfactionis, restat, ut de tertia, quæ est eleemosyna, disseramus, & pro totius tractatus maiori intelligentia legendi sunt Docto. sancti, quos infra citabimus, & scholast. Doct. dist. 15. & 16. & S. Th. in eadem dist. & in 2. 2. q. 32. & etiam distin. 45. ubi agit. de suffragijs, & in decreto, dist. 45. c. & qui, & seq. & dist. 86. c. nõ satis, & d. 3. de pœnit. & D. Aug. in Inchiridion a c. 70. usque ad c. 76. & Summistæ omnes uer. eleemosyna. Med. C. de eleemosyna. trac. 5. Naua. in Manua. c. 24.

In hac materia methodũ, quæ in alijs seruata est, sequemur,

QVÆSTIO I.

Al. Alẽ. qõ. 105. m. i. ar. i. S. Th. ar. i. & 2. Ri. ar 2. q i Med q. i. Sylu. nu. i. ubi sup.

Quid, & quotuplex est eleemosyna.

Proponendæ primum sunt duæ prop. quibus duæ diuisiones continentur.

Propositio prima.

Eleemosyna, uel sumitur pro re spirituali, siue temporali, qua alicui necessitati, & miseriæ subuenitur: siue pro obiecto, uel re tradita, ut Sylu. docet, nempe, pro uestimẽto, cibo, &c. ut in c. tria, & in c. duæ. 45. dist. & Mat. 6. Cum facis eleemosynam, &c. & Luc. 11. Date eleemosynam, &c. uel secundo accipitur pro actu uirtutis, quo fit illa subuentio, ut S. Th. ubi supra, & D. Bon. docent. hoc secundo modo sumpta eleemosyna, subdiuiditur sequenti modo.

Propositio secunda.

D. Bon. art. 2. q. 4. dist 15. 4. dicit eleemosynam tribus modis sumi: primo proprie, & dicitur opus pietatis impensum proximo ad releuandam eius indigentiam corporalẽ. secundo sumitur communiter, quale est omne opus pietatis proximo impensum, sit e corporale, siue spirituale. tertio accipitur communissime pro omni opere misericordiæ, siue proximo siue sibi impenso, dicẽte D. Aug. Eleemosyna hominis debet incipere a semetipso, iux. illud Eccl. 30. Miserere animæ tuæ, placens Deo. hac diuisione posita, respondetur i. par. tit. q. sequen. concl.

Elee-

CONCLVSIO.

Eleemosina est opus, siue largitio rei necessariæ, facta indigenti propter Deum, ex compassione. hęc est difinirio eleemosynę, quam tradit noster Alex. quam etiam amplexi sunt. S.Th. & reliqui, in hac definitione insinuatur causa efficiens, operans, cum dicitur, opus, nam opus ab operante efficitur, & materia ex qua, cum dicitur, rei, & materia circa quam, cum apponitur, indigenti, & causa motiua, ubi dicitur, ex cõpassione, & formalis, cum dicitur, necessaria; & finalis, uoce, propter Deum, qua etiam uoce colligitur hanc diffinitionem non competere cuicunq; eleemosynę, sed perfectę duntaxat, quæ meritoria est apud Deum. ex hac definitione colligit Medina sequentes appendices.

Hinc non erit proprię eleemosyna id, quod Clericis pro celebratione Missæ, uel pro sepultura, atq; alijs officijs exercendis, exhibetur. Et ratio est, quia, omnium ministrorum Ecclesię, indigentia secluſa, debetur eis propter huiusmodi officia, siue ministeria stipendium suum, ut patet Luc. c. 10. Dignus est operarius cibo suo, & Paul. 1. Cor. 9. Neq; enim alligandum est os boui trituranti.

Hinc clerici, licet sufficiens patrimonium habeant, non tenentur gratis Ecclesiæ ministrare, & possunt completo ministerio, iudicis officium implorando, & actione utendo, quam habent contra eos, ad quorum instantiam officium fecere, iuras eis debita exigere.

Hinc beneficiati, Ecclesiæ ministrantes, dominium acquirunt fructuum, & oblationum, aliarumq: rerum, quas ob præfatum ministerium accipiunt.

In explicatione generis, & differentiæ huius diffinitionis, non est, quod immoremur, sed secundam partem tituli quæstionis declaremus.

CONCLVSIO.

Eleemosyna est uel corporalis, uel spiritualis, & utraque in alias septem diuiditur. Prima pars probatur ex diffinitione posita: nam cum eleemosyna fiat ad releuandam hominis indigentiam, & miseria, & indigentia sit duplex, una corporalis, alia spiritualis, duplex quoq; erit eleemosyna, una corporalis, alia spiritualis. Probatur secunda pars conclusionis, nempe, esse septem eleemosynas spirituales, & totidem corporales. nam, cum, eleemosyna sit opus misericordiæ, quę respicit miseriam, ut illam releuet, & sint septem numero miseriæ corporales, erunt eleemosynæ septem, & omnes sequẽ-

tibus

tibus uersibus comprehenduntur, quos Ale.noster,& S.Th. art.2.& alij afferunt.

Corporales. *Visito,poto,cibo,redimo,tego,colligo,condo.*

Spirituales. *Consule,castiga,solare,remitte,fer,ora.*

Miseriarum autem,tam corporalium,quam spiritualiũ rerum mirabiliter, ut solent, colligunt, Ale.& S.Th. *ubi sup.* & cum istæ omnibus sint satis pernotæ,& perspicuæ, non opus est,in ijs diutius immorari, & nota omnes alias miserias, & defectus,ratione quorum miserendum est,ad dictas septẽ miserias reuocari,tanquam ad ea,quæ frequentiora,& communiora sunt.

Ale.m.3. ar.3. reliqui, ubi sup.

1. Diff. Cuius uirtutis eleemosynæ est actus.

CONCLVSIO.

Est actus,siue opus misericordiæ.Et ratio est, quia misericordia est uirtus moralis inclinans ad miserendum ordinate patientis aliquod malum,uel defectum,& ei subueniẽdum, & eleemosyna talis est,ut ex diffinitione posita constat,quod etiam ex nominis ethimologia confirmatur:nam uerbũ,eleemosyna,idem sonat,quod miseratio,ut enim miseratio latine a uerbo misereor deducitur: ita etiam græce eleemosyna, ideſt, eleemosyna a uerbo græco, eleos, ideſt, misereor derivatur.

2. Diff. Potest ne esse aliarum quoque uirtutum actus.

CONCLVSIO.

Potest quoque esse aliarum uirtutum actus.Ratio est,nam ut dictum est de oratione,& de ieiunio, quæ secundum diuersas considerationes diuersis uirtutibus adscribuntur:ita Theologandum est de eleemosyna:nã, ut misericordia est effectus charitatis,& eleemosyna, mediante misericordia, effectus charitatis est:dicitur quoque actus iustitiæ, quatenus misereri ad puniendum ordinate,ad iustitiam pertinet,& quatenus per ipsam subuenitur in extrema necessitate existenti,actus iustitię legalis est,legẽ.c.omnis,& c.qui emendat.45.dist. est et actus uirtutis pœnitentiæ,nam est pars satisfactionis, quatenus per illam satisfacimus pro peccatis,&c.

3. Diff. Estne eleemosyna spiritualis præstantior,quam corporalis.

CONCLVSIO.

S.Th.ar.3. Ri.q.i. & reliqui ubi sup.

Si eleemosyna simpliciter consideretur, eleemosyna spiritualis potior est corporali:ratio sumitur ex parte finis,ad quẽ ordinatur,quoniam spiritualis ordinantur ad salutem animę quæ est multo præstantior corpore, ad cuius salutem corporalis

talis eleemosina refertur,& actus,siue effectus spirituales sunt multo præstantiores corporalibus, qui sunt quodam modo seruiles,& confirmatur authoritate D.Aug.& habetur c.duæ. 45.dist.

CONCLVSIO.

Si secundum aliquem particularem casum comparentur, quædam eleemosina corporalis erit spirituali anteponenda. Ratio est, quia magis est iam morienti subueniendũ, quam docendum,& egenti,ut inquit Arist.3.lib.Topic.c.2. Melius est ditari, quam philosophari, licet philosophari sit simpliciter melius: etiam melior est continentia, quam uxori commiscerii:& tamen,uxore petente,continentia est dimittenda,& uxori satisfaciendum. Præterea uita contemplatiua melior est,quam actiua,dicente Christo Iesu, Maria optimam partẽ elegit:& tamen,si necessitas postulauerit,relicta contemplatiua uita,actiua est exercenda. Similiter iudicãdum est de eleemosina corporali. Et ratio est,quia quæ sunt de consilio,prætermittenda sunt:præterea,quæ sunt de præcepto,quando nõ possunt se simul compati:siquidem consilia intelligũtur,saluis præceptis,etiamsi alioquin consilia sint de meliori bono, & quando necessitas exigit minus bonum exerceri debet:nã, quod tunc prætermittitur,non est bonum, sed illicitum. *Luc.10*

QVÆSTIO II.

Alex. q. 114. Tho ar.4.Ru. ar.q.3. Med.q.2 & reliqui ubi sup.

De utilitate,& efficacia eleemosinæ.

AD publicas conciones habendas,& populum excitandũ ut largas eleemosinas pauperibus largiãtur,præter doct. scholasticos citatos,lege sanctos Patres,qui de dignitate,utilitate,necessitate,& efficacia de laudibus eleemosinæ mirabilia memoriæ tradiderunt.Præsertim sequentes D.Basilium in homil.de diuite epulone, Chrys.super Matt. 25. ubi Christus numerat opera misericordiæ,& homil.21.& homil.32.& sequen ad populum Antiochenum Cypr.ser.1. & in lib. contra iudæos colligit ferme omnia loca sacræ Scripturæ,ubi agitur de laudibus,& utilitate eleemosinæ,& Ambr.ser.30.& 31.& alios Patres.

1.*Diff. An eleemosina sit utilis.*

Alex.& reliqui, ubi sup.

CONCLVSIO.

Innumerabiles fere sunt eleemosinæ fructus,& utilitates.hæc cõclusio,enumeratis aliquot utilitatibus,patebit.Pri-

mo temporaliter ui tam conseruat, quæ omnibus est in uotis. Psal. 40. Beatus uir, qui intelligit super egenum, & pauperem, &c. Dominus conseruet eum, & uiuificet eum, & beatum faciat eum in terra, &c. Dominus opem ferat illi super lectũ doloris eius. Secundo auget temporalia, quæ nemo spernit, nõ attendens cœlestia. Prouerb. 11. Alij diuidũt propria, & ditiores sunt, alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Tertio liberat a culpa. Luc. 11. Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Quarto liberatum a culpa contra diabolum defendit. Eccles. 29. Eleemosyna super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit. Quinto protegit a peccato. Eccle. 3. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Sexto, illuminat intellectum, & sanat affectum. Isa. 58. Frange esurienti panem tuum, &c. tunc erumpet quasi mane lumen tuum: ecce illuminatio intellectus, & sanitas, tua citius orietur: en tibi sanationem affectus. Septimo, gratiam conseruat. Eccl. 29. Eleemosina uiri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit. Octauo, liberat a morte. Tob. 4. Eleemosina ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animas ire in tenebras. Nono, perducit ad gloriam. Mat. 25. Venite benedicti, &c. esurini, &c. Isa. 59. Frange esurienti, &c. & gloria Domini colliget hæc. Et alia multa effecta, quæ ex sacris literis poteris facile colligere, producit eleemosina, si fiat cum debitis circunstantiis in charitate: est quoque utilis non solum hic uerum & in futuro. 1. ad Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens uitæ, quæ nunc est, & futuræ, & Eccl. 20. Est datum cuius retributio duplex: hic. s. & in futuro.

41. d. c. p symoniã.

2. Dif. Estne utilis existenti in mortali, & mortuis, qui sunt in purgatorio, & damnatis.

Propositio.

L. 13. q. 2 c. nõ existimemus & c. animæ, & c. tempus, et 24. q. 2. c. sane.

Omnino idem dicendum est, quod de orationis utilitate, & efficacia circa eosdem supra scripsimus: relege illa, & statim omnia habebis ad manum.

3. Diff. Eleemosyna est ne efficax ad comparandum gratiæ, & gloriæ, augmentum.

CONCLVSIO.

Est quidem maximæ efficaciæ ad cumulum gratiæ, & gloriæ augendum, si cum debitis circunstantijs fiat: est namque opus uirtutis debitis circunstantijs munitum cui debetur præmium, & Christus Redemptor noster, Math. 25. promittit re-

gnum

gnum cœlorum impedientibus sibi prædicta misericordiæ opera: sibi, inquam. i. suis pauperibus: hic. n. ibidem Dominus dixit: Quod uni ex minimis his feciſtis, mihi feciſtis, &c. Matt. 10. Quicunque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli: amen dico uobis non perdet mercedem ſuam. l. c. 4. Tob.

4. Diff. Quænam ſunt circunſtantiæ, quæ ad ſupradictum effectum deſiderantur. *Alex. ubi ſup. m. 5. ar. i.*

CONCLVSIO.

Sequentes circunſtantiæ præcipue deſiderãtur. ſ. ut in charitate, & continue, & occulte, & diſcrete, & ſuauiter, & uelociter, atque etiam abundanter fiat: probatis ſingulis circunſtantijs, clara erit concluſio. Primam circunſtantiam, nempe, ut fiat in charitate probat B. Pau. i. ad Cor. 13. Si diſtribuero, in cibos pauperum, omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Secunda, ſcilicet continue, probatur Eccle. 11. Mitte panem ſuper tranſeuntes aquas, & poſtea ſemina ſemen tuum, & neſpere ne ceſſet manus tua. & Prouerb. 21. Qui iuſtus eſt, retribuet, & non ceſſabit. Tertia occulte, hæc conſtat Prouerb. 21. Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam. & Eccleſ. 29. Conclude eleemoſinam in ſinu pauperis. Et Matth. 6. Cum facis eleemoſinam, noli tuba canere ante te, &c. ut ſit eleemoſina tua in abſcondito, &c. Quarta diſcrete, hæc colligitur ex c. 12. Eccleſ. Si bene feceris, ſcito cui feceris, &c. bene fac humili, & non dederis impio, &c. Quinta eſt ſuauiter, hæc quoque eligitur ex c. 18. Eccleſ. Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des triſtitiam uerbi mali, & c. 4. de clina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & ad Rom. 12. Qui miſeretur, in hilaritate, & 2. ad Cor. 9. Hilarem enim datorẽ diligit Deus. Sexta eſt uelociter, quam etiam ſacra Scriptura docet. Eccle. 4. Fili eleeemoſinam pauperis ne defraudes, &c. & ſequitur, Cor inopis, ne affigeris, & non protrahas datũ angu ſtianti, & Prou. 3. Non dicas amico, uade, & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare: unde qui cito dat, bis dicitur dare Vltima circunſtantia eſt abundanter, iuxta poſſibilitatem, & conſtat Tob. capitu. 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude: propter hanc ultimam circunſtantiam, erit ſequens difficultas declaranda, quæ ex ijs, quæ infra dicentur latius patebit.

Thear.ul. ubi sup.

5. Diff. Estne eleemosyna abundanter facienda.

Ex parte dantis,& ex parte recipientis est eleemosyna consideranda.

CONCLVSIO.

Eleemosyna abundanter iuxta proportionem facultatis ipsius dantis est facienda,& est laude digna.patet ex Tob.4.modo citato.& Luc. 21. ubi laudauit Christus Iesus uiduæ eleemosynam,quæ ex eo,quod deerat illi,omnem uictum,quem habuit,misit in gazophylatium.

Sunt tamen obseruanda, quæ infra dicentur de eleemosyna facienda ex necessarijs.

CONCLVSIO.

Dare eleemosynam indigenti abundanter ad superfluitatem,ut sit diues,malum,& peccatum est.Ratio est, quia finis eleemosynæ tunc est indebitus:finis.n. proprius, & debitus eleemosynæ est subuentio, non superfluitas, & cuius rei finis malus est,res quoque ipsa mala est.

Appē. 1. Hinc si detur indigenti talis eleemosyna, ut ex superfluis eleemosynam alijs tribuat,& ut sit eorum,quæ supersunt,fidelis dispensator,non erit talis eleemosyna uitio danda: quemadmodum multa ecclesiis hoc modo abundantissime legata sunt:melius tamen multo esset pluribus indigentibus subuenire:iuxta gl.1.Cor. 13.Si distribuero in cibos pauperum, &c. quod experientia in ecclesiarum diuitijs satis,superque confirmat.

Appē. 2. Hinc si detur siue consanguineo,siue alteri abundanter,solum ex liberalitate,nec erit uituperabile,neque peccatū,dum modo fiat hoc sine scandalo:hoc dixerim propter episcopos, & clericos.

6. Diff. *An eleemosyna paruæ cum magna charitate sit magis meritoria, quam eleemosyna magnæ cum minore charitate.*

CONCLVSIO I.

Cæteris paribus, maior eleemosyna est magis meritoria. Ratio est,quia,ut, qui infert maius incommodum proximo, cæteris paribus,magis peccat,ita a contrario sensu, qui maiorem confert eleemosynam,magis meretur. Secundo,quoniam qui habet melius obiectum,cæteris paribus,melius operatur, & qui magis dat,habet melius obiectum, & tandē quia maior eleemosyna,cæteris paribus,est magis pœnalis,& ex consequenti magis meritoria.

Com-

CONCLVSIO.

Comparando istam maiorem quantitatem non secũdum se, sed per comparationem ad dantem. v.g. si dat diues multũ iuxta in eleemosinam, alius uero pauper dimidiam partẽ dat, tunc pauperis eleemosina melior est. Patet a contrario, quia furari a rege 10. talenta, non est maius peccatum, quam furari a plebeio 5. talenta, & confirmatur Luc. 21. Vidua hæc pauper, dixit Iesus, plusquam omnes misit: nam omnes hi ex abũdanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem uictum suum, quem habuit, misit.

CONCLVSIO.

Si sit excessus in charitate, meritum est maius, etiamsi datum sit minus. Ratio est, quia charitas est radix meriti, & magis debemus considerare quantitatem charitatis, quã eleemosinæ quantitatem. v.g. dat aliquis eleemosinam, ut duo, cum charitate ut quinq;, alius contra eleemosinam ut quinq;, cũ charitate, ut duo: magis meritoria est prima, quam secunda eleemosina, & confirmatur authoritate D. Aug. super Ps. 125. dicentis: Deus magis respicit affectum, quam centum. & Beda lib. 3. super Luc. c. ul. & B Amb. lib. off. c. 3. Affectus tuus operi tuo nomen imponit, & propterea affectus tuus orationẽ tuã diuitem, uel pauperem facit.

Hinc, cæteris parib. ex parte charitatis maior eleemosina maius meritum habet: neq. n. id negarunt præfati sancti, qđ docet B. Pau. 2. Cor. 8 Si enim uoluntas prompta est, secundũ id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod nõ habet. Appẽ. 1.

Hinc, quando aliquis, sine charitate, dat eleemosinam, tanto magis prouocat Dei misericordiam, de congruo, quanto magis dat ex uisceribus naturalibus misericordiæ, propter Christum. Appẽ. 2.

7. Diff. *Monachi, & moniales, & pauperes priuantur ne merito istarum eleemosinarum.*

Hanc difficultatem proposui, ut consolarer prędictos: nam religiosi, & religiosę abnegarunt proprias uoluntates, & uouerunt paupertatem, nec possunt eleemosinam, ut infra dicetur, sine licentia suorum superiorum elargiri, & pauperes unde eleemosinam dent, non habent; cum necessaria illis deficiant.

CONCLVSIO.

Nullus ijs operib. misericordiæ priuatur: tam enim monachi, quam clerici, tam diuites, quam pauperes, omnes possunt facere magnas misericordias, si magnam habẽt charitatem:

dicit.n.D.Aug.super Psal.36.in uersu,Iustus autem miseretur, & cõmodat: Habet semper,unde det,cuius pectus est plenus charitate:si externam substantiam dat,si non habet, uoto adiuuat:item dicit,uoluntatem bonam,& charitatem idem esse:uoluntas.n.bona thesaurus pauperum.

Appē.1. Hinc.n. si aliquis habuit uoluntatem efficacem ad dandũ centum,& non dedit:quia non potuit,tantum meretur, ac si

Appē.2. dederit centum.

Hinc B.Petrus dixit. Ecce nos reliquimus omnia,& Chri-

Matt.19. stus eius confirmat dictum:Vos qui reliquistis omnia:propterea quod, qua uoluntate pauca, quæ habebant,reliquerunt,

Appē.3. reliquissent,& omnia, si rerum omnium domini fuissent.

Hinc religiosi,& cæteri supradicti multa merita congregarent sibi,si quoties uident pauperes, actum misericordiæ, & charitatis elicerent, dicentes ex corde intra se; utinam ego possem tuas indigentias,ut decet releuare; quod cum non faciant,incredibile meritorum thesauro priuantur.

8. *Diff. An eleemosina sit efficax ad satisfaciendum pro peccatis.*

CONCLVSIO.

Valet,& est efficax eleemosina ad satisfaciendũ pro peccatis.Et ratio est,quia est opus pœnale factum cum charitate,& tertia pars,ut constat satisfactionis,quæ imponitur a confessario in satisfactionem pro peccatis;patet etiam ex sacra Scriptura Daniel. c.4.Peccata tua eleemosinis redime,ubi peccatum,pro pœna peccatis debita accipitur,ut 2.Mac.c.12.Sãcta & salubris,&c.ut a peccatis.i.a pœna pro peccatis debita, soluantur.

9. *Diff. An qui pauperi extremam necessitatem patienti eleemosinam tribuit,pro peccatis satisfaciat.*

Ratio dubitandi est,quoniam non uoluntate,sed ex necessitate,& præcepto talis eleemosyna fit.

CONCLVSIO.

Talis eleemosyna est satisfactoria,& ex eo,q̃ sit in præcepto,non perdit suam utilitatem.Et ratio est,quia hæc melior esse uidetur,quam quæ sit citra necessitatem extremam;nam hæc secunda est propter primam omittenda, & quia omittẽs primam grauius peccat,quam omittens secundam;quare magis merebitur,& satisfaciet,faciens primam,quam secũdam, etiam si ratione præcepti,ut infra dicetur, debeatur; quoniã Deus,non solum acceptare dignatur,quæ homo ex uoluntate facit;uerum etiam uitam æternam ijs,qui mandata eius seruauerint, sæpe in sacris literis promisit.

Mat.19.

10.*Diff.*

10. dif. An eleemosyna corporalis habeat effectum spiritualem?

CONCLVSIO.

Si corporalis eleemosyna, secundum suam substantiam cõsideretur, non producit spiritualem effectum. Ratio est, quia tantum supplet corporales proximorum defectus: tum etiam, cum spirituale sit nobilius corporali, tunc effectus esset sua causa nobilior, quod philosophia non patitur.

CONCLVSIO.

Talis eleemosyna ex parte suæ causæ benè producit effectum spiritualem, ut quando propter Dei, & proximi dilectionem fit. Et ratio est, quia habet meritum coram Deo. unde Eccle. 29. legitur. Perde pecuniam propter fratrem, pone thesaurum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis, quàm aurum. *Eccle. 29*

CONCLVSIO.

Si secundum suum effectum consideretur, producit quoq; fructum spiritualem. Ratio est, quia pauper, cui fit subuentio, mouetur ad orandum pro benefactore: unde ibidem subiungitur. Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. *Eccles. 29*

11. dif. An eleemosyna habeat efficaciam ad remittenda peccata, & conferendam gratiam eo modo, quo sacramenta?

Sunt quædam prætermittenda: primum est, eleemosyna, uel sumitur secundum substantiam, siue materialiter, quod idem est: uel secundò sumitur formaliter: primo modo potest esse in homine existente in peccato mortali: secundo modo præsupponit pœnitentiam, & charitatem, est enim charitas forma pœnitentiæ.

Secundo nota diuersimodè posse intelligi per eleemosynam remitti peccata. Primò, ex opere operato, sicut per sacra mẽta. Secundò, formaliter, sicut lux expellit tenebras, calor, frigiditatem, & contritio expellit peccatum. Tertiò, quòd ex pellat peccata, ideſt, peccatorum pœnam, ita intelligitur lo. 2. Machab. 12. Vt a peccatis soluantur. Quartò & ultimo, quòd eleemosyna remittat peccatum, tanquam motiuum, in quantum inclinat Dei misericordiam ad remissionem peccatorum, ijs positis, sit. *2. Mach. 12.*

CONCLVSIO.

Hæreticum est dicere per eleemosynam remitti peccatum, tanquam motiuum, ideſt in quantum inclinat Dei misericordiam ad remittenda peccata sine pœnitentia; hæresis ista est per se manifestissima, iuxta illud ad Galat. 5. Manifesta *Galat. 5.*

sunt opera carnis,&c. Quæ prædico uobis,sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur:scriptũ
Luc. 13. est enim *Luc.13*.Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.lege D.Aug.infra in fine difficultatis,& S.Tho. in 4.dis.
D. Aug. 46.q.2.art.3.q.4.

CONCLVSIO.

Eleemosyna secundum substantiam suam nõ remittit peccata,sed sacramentum.Ratio est,quia hoc priui legium est sa-
Dubium. cramentorum: & in Ecclesia Dei non sunt nisi septem sacramenta. Dices, remittit peccata,sicut martyrium?hoc non solum falsum, & temerarium est, uerumetiam erroneum:quoniam de martyrio hoc est speciale, quia baptismus sanguinis est.

CONCLVSIO.

Eleemosyna,siue materialiter, siue formaliter sumatur, nõ remittit peccata, patet ex primo notabili: non materialiter, quoniam hoc modo potest esse in homine existenti in peccato mortali:formaliter verò præsupponit pœnitentiam, & charitatem,quæ operit multitudinem peccatorum.

CONCLVSIO.

Eleemosyna formaliter sumpta, & purgat peccata, quo ad pœnam, & gratiam auget,& conseruat, & licet hoc commune sit omnibus operibus meritorijs, specialius tamen operibus misericordiæ, & de quibus modò disputatur, competit. hæc conclusio est communis omnium sanctorum: propterea
Daniel c. enim commendatur eleemosyna. Daniel.4. *Peccata tua* elee
4. mosynis redime.lege D.August.Psal.*36.concione* secunda, in
D. Aug. uerba:Iustus miseretur,& retribuet,& super *Psalm.* 125. Qui seminant in lachrymis, & super Psalm. 102.& confirmatur
Prouerb. Prouerb.19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.lege
19. etiam S.Th.in 4.dist. 15.q.2.art.2.q.2.

CONCLVSIO.

Eleemosyna quocunque modo sumatur,siue materialiter, siue formaliter, non est infallibilis dispositio, ut faciens eleemosynam, saluetur.Ratio est,quia licet eleemosyna sit motiuum ad hoc,quòd Deus misereatur, tamen ex sacra Scriptura infallibiliter non habemus talem regulam:multi enim facientes eleemosynam, damnantur: deinde, quia sicut loquitur scriptura de fide, ita loquitur de eleemosyna, ut Marci vlti.
Marci vlti. Qui crediderit,& baptizatus fuerit, saluus erit: & quemadmodum iste locus intelligitur,seruatis seruandis, nempe, si non ponat obicem peccati mortalis, saluabitur:ita etiam loca sa-

cræ

cræ scripturæ, quæ de eleemosyna loquuntur, intelligenda sunt, seruatis seruandis, scilicet, quòd non ponat obicem peccati mortalis.

CONCLVSIO.

Viri misericordes, qui ex pietate maxime propter Deum, faciunt crebras misericordię operas, ut plurimum saluantur, & ante mortem accipiunt pœnitentias, siue faciant eleemosynas existentes in gratia, siue in peccato: dummodo peccent ex fragilitate, & non ex contemptu. hęc conclusio meo iudicio est communis omnium Sanctorum, & Theologorum omnium, patet Matth. 5. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, & Prouerb. 14. Qui miseretur pauperis, beatus erit.

Hac difficultate destruitur hęresis eorum, qui tempore D. Aug affirmant, homines quantūcūq; essent peccatis referti, saluari per opera misericordiæ sine pœnitentia, contra quos agit D. Aug. lib. 21. de ciuitate Dei c. 22. & c. ultimo. & in Enchiridion. c. 73 & 6. & 7. uide Castrum uerbo, eleemosyna, cōtra hæreses.

QVÆSTIO. III.

De necessitate distribuendi eleemosynam.

Al Alē. q. 13. S. Th. Ri. q. 2. Med. q. 3. & reliqui ubi supra.

¶ Hæc q. absoluetur, positis aliquot difficultatibus.

Prima diffic. An eleemosyna sit sub præcepto.

CONCLVSIO.

Eleemosyna est sub præcepto legis naturę, diuinę, & humanæ. Probatur prima pars de lege naturę, quia lex naturæ præcipit, ut fratres uere diligamus, nō tantum affectu, uerumetiā effectu, iuxta illud 1. Ioan. 3. Filioli, non diligamus, uerbo, nec lingua tantum, sed opere, & ueritate: & eadem lege, quæ nobis in necesitate existentibus iuste fieri uolumus, debemus & alijs similiter facere. Secunda pars de lege diuina constat Deut. 15. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum uersatur in terra, & Matt. 25. ubi improperauit Dominus malis defectus operum misericordiæ, & ultima pars est definita in iure Canonico, cap. fratrem nostrum, & c. non satis, 86. dist. & c. omnis, 7. q. 1.

Hinc, qui assereret nunquam hominem obligari ad dandā

eleē-

eleemosynam esset hæreticus.

2. *Diffi. Quando hoc præceptum obligat sub reatu peccati mortalis.*

Cum hoc præceptum sit affirmans, merito hoc quæritur, & sunt primo ad meliorem explicationem eorum quæ in tota hac q. sequuntur, aliqua præmittenda.

Tria sunt genera bonorum ex parte dantis eleemosynam; nã quædam sunt necessaria ad sustentandum dantis, & familiæ suæ naturã: alia uero sunt necessaria ad sustentandũ statũ.

Tertio sunt quędam nec ad primum nec ad secundum necessaria: & dicuntur superflua. Primo modo necessaria sunt illa, sine quibus uitam suam, & suorum nemo conseruare potest; & quod, ijs demptis, supereſt, superfluũ naturæ uocatur. Secundo modo necessaria dicuntur omnia, quę desiderantur ad uitam statumq; decentem suum, suorumq;: habita ratione casuum eorum duntaxat, qui probabiliter timeri, uel expecta ri debent: atq; etiam eorum, quæ pertinent ad sustentandos filios, & filias, mancipia, famulos, hospites, conuiuia, munera honesta, magnificẽtias moderatas, & hæc non consistunt in puncto indiuisibili, sed habent latitudinem, eo maiorem quo maior est status: in uno enim plus, in alio autem minus sufficit. quod istis deductis supereſt superflum status, siue personæ, nuncupatur: quod sub tertio membro diuisionis positæ continetur.

Triplex est indigentia, siue necessitas ex parte pauperis, cui dãda est eleemosyna, una extrema, altera citra extremam, sed licet, arcta necessitas, & tertia communis. Prima est, non solũ quando pauper animam illico exhalaret, *si illi non* subueniatur, sed etiam quãdo apparent *euidẽtia*, aut nota signa, quod si illi non subueniatur, breui tempore deficiet.

Est quoq; extrema necessitas quando homo est in periculo amittendi aliquod membrum principale, uel sensum, uel honorem, & animam. Ratio est, quia priuatio istorum membrorum reducitur ad homicidium, perinde est in extrema necessitate, qui est in periculo incidendi in amentiam, si illi non succurratur: huic necessitati est germana, urgens, & maxima necessitas, in qua est ille positus, quando secundum prudẽtiam, appeteret magis mori, quam tantam miseriam pati. Solet alijs modis diuidi extrema necesitas, sed de iis in proprijs difficultatibus disputabitur.

CONCLVSIO.

Si pauper sit in extrema necessitate, tenetur homo sub reatu mortali de superfluis naturę, & status, ad erogandum eleemosynam.

mosynam. Et ratio est, quia in tali casu non subueniendo, occidere putatur: & est D. Ambro. & habetur Can. pasce. 86. dist. quisq; enim pascendo hominem seruare poteras: si non paueris, occidisti. D. ambr.

Hinc peccant mortaliter, habentes etiam superfluum tantum naturæ, qui non cibant, potant, uestiunt, &c. egentem extreme, & occurrentem, & non uisitant, &c. cum necessitas extrema id exegerit. Appē. 1.

Notanter dicitur occurrentem, quia non tenetur quis sub culpa mortali, querere huiusmodi egentes in carceribus, hospitalibus, & alijs in locis, nisi id ei ex officio incumbat: tenetur tamen ex præcepto charitatis ad opera misericordiæ.

Hinc etiam qui in urgenti, & grandi necessitate constituto non succurrit, cum possit commode eleemosynam præstare, & credit neminem alium eā illi daturum, peccat mortaliter. Appē. 2.

DVBIVM I.

Quid si sint duo in extrema necessitate positi, & non potest aliquis subuenire, nisi uni tenebitur ne illi soli, aut utrique, aut neutri opem ferre.

Respondeo cum nostro Alex. Teneretur, si adesset facultas utrique dare, sed cum non suppetat facultas, tenetur alteri tantum succurrere. Hactenus de superfluis naturæ, & statns, nunc de necessarijs.

3. Diffic. an qui habent tantum necessaria naturæ, & status, teneamur necessitate extrema oppresso subuenire.

Aliqui putarunt non teneri, ut S. Ant. & Rosella, locis citatis: quidam dixerunt, ut S. Th. de ijs eleemosynam facere nō esse sub præcepto, sed sub consilio, idq; in 3. casibus esse laudabile. Primo si mutet statum, nempe per religionis ingressum. Secundo, quando, quæ per eleemosynam sibi subtrahit, facile possunt recuperari. Tertio, quando occurreret extrema alicuius necessitas, uel aliqua magna reip. necessitas.

CONCLVSIO.

Est quidem de illis tunc facienda eleemosyna. Et ratio est, quia de sententia omnium doctorum bona temporalia proxima fratris, cum necessitas postulauerit, exponenda sunt, & 1. Ioan. 3. Qui habuerit huius mundi substantiam, & uiderit fratrem suum necesse habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? qui locus maxime de hoc casu uerificatur, uide cap. pasce. 8 6. dist. & tandem quia in simili casu omnia sunt communia, & diuisio rerum facta est ex iure gentium, hac conditione, alioquin esset iniusta, &

hęc

hæc fuit opinio S. Tho. ubi supra art 5. qui dixit esse de præcepto, eleemosynam pauperi in extrema necessitate existenti de necessarijs ad statum elargiri, quę dicuntur superflua respectu naturæ ipsius hominis, & familiæ sibi comissæ: & ideo dicens, esse laudabile nō negat esse sub præcepto: nam id, quod de præcepto, aut ex necessitate fit, laudabile quoq; simul esse potest.

4. Diffic. *An teneatur aliquis expendere patrimonium opulentissimum, & ducatum, & aliam maximam dignitatem.*

Ratio dubitādi est: quia possunt esse urgentes necessitates, præsertim tempore famis.

Nota duplicem esse necessitatem: una enim est ab extrinseco, ut. u. g. si non das mihi 100. occidam Petrum, uel Ioannem: altera uero est ab intrinseco, ut infirmitas.

CONCLVSIO.

Nemo tenetur totum patrimoniū expendere. Et ratio est: quoniam, & si uita hominis per se loquendo, sit melior quam totum patrimonium suum, & dignitas, nihilominus tamen in ordine ad bonum publicum, quod est magis diligendum, aliqua quantitas pecuniæ siue substantiæ est magis diligenda & expetenda, quam alicuius uita.

Hinc est, quod homo priuatus, pro conseruatione uitæ nō tenetur expendere totum suum censum. v. g. habet aliquis ui gintimillia ducatorum, & si quæreretur medicus, uel medicina ex longinquis partibus, essent omnia consumanda, non tenetur ad illud: ergo neq; tenebitur *pro alijs tantum* censum expendere, neque bono publico expedit.

CONCLVSIO.

Si necessitas sit primo modo, non potest habere certam mensuram, cum possit *in infinitū* malitia eius crescere, & tūc si est parua quantitas, debeo *facere*: si autem magna, *non teneor* dare. Et ratio est, quoniam est maius damnum reipublicæ, ut latrones isti seruentur, & hoc intellige per se, nam per accidens bene potest dare, quia ille talis non est *in* extrema necessitate, sed *in* extrema iniquitate,

CONCLVSIO.

Si necessitas sit secundo modo, paucis potest subueniri: & si multi indigent, multi sunt, qui dent eleemosynam, & si nō dant, Iudex publicus potest illud facere.

Verum est tamen, quod si Iudex non faciat, & aliquis uidet necessitatem, secundum facultatem tenetur subuenire, non

tamen

tamen patrimonium uendere.

5. diffic. Diues non subueniens extreme laboranti, tenebitur restituere damna, quæ ad mortem illius subsequuntur.

Ratio dubitandi est, quia in tali casu omnia sunt cõmunia. Dupliciter potest quis teneri ad tuendam uitam alterius. Primo modo ex officio sicut Iudex, qui accipit stipẽdium ad defendendam uitam ciuium, & medicus, qui propter stipendiũ tenetur curare, & seruire hospitali, idem de procuratore, & alijs id genus. Secundo modo ex charitate communi obligatione, quia unus proximus alteri tenetur, seruato ordine charitatis.

CONCLVSIO.

Qui primo modo scilicet, ex officio tenentur, non solum peccant, uerumetiam tenentur ad restitutionem ex iustitia commutatiua: nam isto pacto tenentur esse patres pauperum ex officio. uerum hæc conclusio in 2.p. in materia de restitutione probatur.

CONCLVSIO.

Si secundo modo teneatur, peccat, si dimittat, sed nõ tenetur ad restitutionẽ. Ratio est, quia tunc eleemosyna est actus charitatis, cuius omissio, cum non sit contra iustitiam, non obligabit ad restitutionem.

6. Diffic. An de superfluis naturæ, & statui, teneatur, qui illa habet, sub pœna peccati mortalis, eleemosynam facere, & si pauperes non sint in extrema necessitate. D. Hier. D. Amb. & Augu.

Circa hanc difficultatem sunt duæ opiniones extremæ inter grauissimos doctores. Prima opinio tenet partem affirmãtem, & est D. Hiero. & continetur dist. 42. c. 1. & D. Ambro. & refertur dist. 47. c. sicut, & B. Augu. & habetur. 14. q. 4. c. quid dicam, & aliquorum doctorum scholasticorum, & Canonistarum, & Summistarum, quæ opinio ualet multum ad perterrefaciendos auaros, qui nihil de pauperibus curantes, diuitias sẽ per congregant, & retinent, ut descendant in infernum uiuentes, & conuertamtur, ne illuc mortui, perpetuo cruciandi, mittantur, contra hos enim loquuti sunt prædicti sancti: nam si in communi de omnibus diuitibus toquerentur, non bene de illorum negotio salutis, atque etiam eorundem confessorum ageretur.

Secunda opinio contraria est mitior, & diuitibus, eorum q confessarijs fauorabilis, quam defendunt Alex. Alen. & S. Tho. ubi supra. Gerson in regulis moralibus, & in 2.p. alphabeto, 32. lite. O. Duran. in 4. S. Ant. in 2.p. agens de eleemosyna

syna. Gabr. & Maior. de hac materia in 4. & alii recentiores Theologi docti, & timorati, iuxta quorum sententiam est sequens conclusio.

CONCLVSIO.

Eleemosina non est de necessitate sub pœna peccati mortalis eroganda, etiam si homo abundet, ubi, aut quando, non occurrit pauper extremam necessitatem patiens, extra quam consilium est eleemosynam facere. Ratio est, quia eleemosyna non de præcepto sub pœna peccati mortalis dandaest, nisi homini ea indigenti: homo autem habens unde possit se, & suos sustentare, non dicitur proprie aliorum bonis indigere, cum possit, sine illis uiuere: & si indiget non absolute, sed conditionaliter, nempe, ut melius illi sit. Deinde non uidetur rationi consonum, ut teneamur sub pœna peccati mortalis procurare extraneo, ut bene illi sit, sed ut sit, & uiuat: nã, si nobis ipsis non tenemur statum aliquem, aut dignitatem, aut diuitias procurare, nec tenebimur extraneis, tandẽ quia nemo tenetur magis proximo subuenire, quam ipse proximus sibi ipsi, & proximus inops non tenetur, nisi necessaria uictui, & uestitui, sibi procurare, cum possit, & laudabile sit omnia abdicare, & in arcta paupertate uiuere, ut constat Matth. 19. Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus. & 1. ad Tim. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus, & cum hæc, qui non extreme indiget, habeat, non erunt diuites sub pœna, &c. ut habet conclusio: uerum enimuero, ut ueritas magis elucescat, nota cum Medina ubi supra, de superfluis naturæ, & statui, necessarium esse subuenire pauperi extremam, uel quasi necessitatem patienti, si nobis de necessitate huiusmodi, quodq; non sint alij, qui tali pauperi uelint, aut possint subuenire, sufficienter constet, & cum dicitur quasi, intelligitur arcta, & notabilis necessitas, etiam si extrema non sit, sed tanta, quod, nisi illi subueniatur, est uerisimile, quod notabiliter uita illius abbreuiabitur, aut in aliquam ægritudinem notabilem incidet, & huic necessitati Scriptura sacra præcipit subuenire, etiam sub pœna peccati mortalis, & non solum de superfluis status, sed etiam de superfluis naturæ.

Appẽ. 1 Hinc pauperibus, communem necessitatem patientibus, non erit de superfluis naturæ, & status, sub pœna mortalis peccati, subueniendum.

Appẽ. 2. Hinc poterũt diuites superflua retinere, modo in bonum finem, illa ferendi: siue ut melior opportunitas pauperib. suc-

curren-

currendi ſe offerat, ſiue alia pia cauſa, quæ in gloriam Dei, & in uiuorum, aut defunctorum ſalutem æternam cedat, ſiue reip. neceſsitas, uel utilitas ea ſeruare ſuadeat.

Hinc non uidetur damnandus, qui talia ſuperflua retinet, ad acquirendum ſibi, aut ſuis honorem, dignitatem, ſtatum aliquem, quem homines honeſte, & licite prætendere ſolent modo cura pauperum extrema, uel quaſi, neceſsitate laborantium, non prætermittatur. Appē. 3.

Hinc, qui hæc ſuperflua acquirunt, & retinent, nihil minus quam pauperes curantes, ſed ſolum diuitias acquirere, & augere & recondere, & cuſtodire ſtudentes, non tam in diuina largitate, quam in ſuis diuitijs fidentes, iam ab omnibus condemnantur, ij enim ſunt ſerui diuitiarum quarum auaritiam B. Paul. ad Eph. 5. idolatriam uocat, & dominus ſeruitutem mãmonis eſſe dixit. Appē. 4. *Ad Eph. 5. Mat. 6*

6. Diffic. Quando aliquis tenetur ex præcepto facere eleemoſynam, adimplebit præceptum, accomodando, uel mutuando ſiue, uendendo. *Med q. 1 ubi ſup. n.*

Adrianus in materia de reſtitutione tractans alia dubia, tenet in hoc caſu diuitem adimplere præceptum mutuando, quæ ſententia niſi ſano modo, ut dicemus intelligatur, eſt falſa.

Nota duplicem eſſe neceſsitatẽ extremã, vna enim eſt ſimpliciter extrema, & eſt quando egens nihil habet: altera uero eſt neceſsitas extrema per accidens, & ſecundum quid, ut ſi Gallus ſit in ſua patria diues, hic uero Matriti nihil habeat.

CONCLVSIO.

In primo caſu tenetur omnino gratis dare, & nõ ſatisfacit præcepto, accomodando. Probatur concluſio: quia eſt ſententia communis, & modus loquendi ſanctorum: ratione etiam confirmatur a priori, quoniam in hoc caſu currit præceptum eleemoſynæ: & cum eleemoſyna ſit gratuita donatio rei neceſſariæ ad ſubleuandam miſeriam, profecto non ſatisfaciet præcepto, accomodando.

CONCLVSIO.

In ſecundo caſu non tenetur dare, & ſatisfacit præcepto, accomodando. Et ratio eſt, quia ille habet res proprias, unde poſsit ſibi ſubuenire. Appen

Hinc ſi ſit homo, qui nullam habet ſubſtantiam, ſed ſolo labore ſolet acquirere uictum, tenebitur diues dare: ſed ut de inceps ſuo labore ſoluat: & in caſu ſecundę cõcluſionis eſt uera Adriani opinio,

QVÆ-

QVÆSTIO IIII.

Qui teneantur eleemosynam facere.

Al. Alē. q. 112. S. Th. ar. 8. Ric. q. 6. Med. q 4 reliqui ubi supra S. Th. 2. 2. ar. 12. & 2. 2. q. 185. ar. 7 Sot. li. 10 de iust. et iure. q. 4. art. 4.

¶ Hæc quæstio, positis quibusdam difficultatibus, finietur.

1. Diffic. An teneantur Episcopi bona sua, pauperibus magis, quam seculares largiri.

In hac difficultate non est sermo de necessitate extrema, uel quasi, uel de urgente necessitate, nam de hac dubitat nemo, ut ex q. præcedenti constat; sed loquimur de superfluis citra illam necessitatem.

CONCLVSIO.

Episcopi præcepto eleemosynæ inter omnes mortales arctissime ligantur, & largiores eleemosynas regulariter, quam seculares ex suo patrimonio, & ex bonis Ecclesiæ facere tenentur. Probatur primo: quoniam ex officio sunt patres pauperum, & uiduarum, & orphanorum, & illis opem ferre tenētur, ne propter paupertatem uiduarum honestas, & uirginū pudor deperdatur, & ne alij fame oppressi, inde furandi, peierandi, decipiendi, & alia id genus mala perpetrandi, occasionem arripiant, quæ episcopi maxima cum uigilantia prohibere tenentur. Secundo quia, cæteris paribus, magis abundant superfluitatibus bonorum quam seculares, cum frugalius, & cum minori pompa, & sumptu, quam seculares uiuere debeant: carent enim uxore, & filijs, quibus patres thesaurizare tenentur.

CONCLVSIO.

Episcopus portionis, quæ sibi contingit, non ita eleemosynas dare obligatur, ut si quas omiserit, ad restitutionem teneatur. Et ratio est, quia de sententia quorundam, sunt illius portionis domini, & ut seculares, qui suorum bonorum habent dominium, non tenentur in hoc casu ad restitutionem, nec Episcopi ad illam erunt obligati: peccabunt tamen propter suum statum. uide in 2. p. florum in q. de clericis restitutioni obnoxijs, ubi conclusio tenet esse dominos, sed securiorem multo oppositam opinionem, scilicet, quod sint dispensatores, censeo, quam sancti, & antiqui patres amplectuntur.

CONCLVSIO.

Si episcopus habet aliqua bona fabricæ, uel hospitali, uel alia ratione pauperibus consignata, quorum est dispensator, si sibi illa usurpat, uel non ut decet, dispensat, & peccat mor-

mortaliter, & ad restitutionem tenetur. Ratio est: quia retinet alienum, inuito domino, & contra eius uoluntatem.

DVBIVM

Quid de clericis dicendum?

Respondeo, Quod de episcopis dictum est, præsertim de illis, qui curam animarum habent annexam.

2. *Diffic. Poterunne Abbates de bonis communibus per uiam eleemosynæ aliquid dare?*

CONCLVSIO.

Poterunt quidem. Et ratio est: quia in bonis communibus nonnullam habent administrationem, & etiam consuetudine per superiores cognita, & approbata, uel saltem permissa confirmatur. quia possunt in quadam certa quantitate suis consanguineis, aut quibus uelint pauperibus subuenire.

3. *Diffic. Potest ne Capitulum de bonis communibus eleemosynas facere.*

Bona Capituli communia sunt duplicia, primi generis sunt quædam communia, quæ collegialiter diuiduntur, quarũ dispositio, seu dispensatio ad omnes simul spectat, ab quę hoc, quod singuli habeant ius ad portiones illorum bonorũ; qualia sunt bona quorundam monasteriorum, aut collegiorum, quæ uictui & uestitui religiosorum supersunt: similia sunt bona quarundam ecclesiarum, quę post distributam unicuiquę suam portionem, iuxta ecclesiæ regulam, & consuetudinem, remanent, a communitate, siue a Capitulo dispensanda.

Secundi generis bona communia singulariter, quorum, scilicet, certa portio unicuiq; debita est, nec ad communem massam aliquid pertinet, quod non inter singulos distribuatur.

CONCLVSIO.

De bonis communibus primi generis potest Capitulum nõ solum ob necessitatem, uerum etiam ob piam causam aliquid per uiam eleemosynæ, aut aliter dare, etsi omnium consensus non adsit. Et ratio est, quia sufficit tunc maior pars Capituli, ut patet de ijs, quæ fiunt a maiori parte Capituli, cap. cum in cunctis.

CONCLVSIO.

De bonis communibus secundi generis non sufficit maior pars capituli ad aliquid tale alienãdum, donãdum, uel in eleemosynam erogandum, nisi omnium quorum interest consensus adsit. hæc conclusio est definita cap. cum omnes. de constitutionibus. lege glos. & Innoc. & alios ibidem, & cõfirmatur per regulam iuris: Quod ad omnes attinet ab omnibus debet approbari.

Appen. Hinc capitulum nõ potest eleemosynã facere extra casum necesitatis de bonis communibus, quæ de iure inter canonicos,& portionarios sunt distribuenda, sine portionariorum consensu expresso,uel rationabiliter præsumpto,& multo minus absq; eorundem consensu poterunt alias gratias de huiusmodi bonis facere. Ratio est: quia aliena bona non sunt, inuitis dominis, contractanda.

Limit. 1. Limita,nisi consuetudo contraria legitime præscripta ius præfato Capitulo non tradiderit ad bona communia, sine portionariorum consensu dispensanda.

Limit. 2. Limita secundo,quod in iis,quę sunt necessaria Ecclesiæ, aut utilia,Capitulum potest de huiusmodi bonis disponere, in qua dispositione portionarij, quãuis actu non consentiãt, æquum tamẽ est,eos consentire,& ideo perinde est,ac si actu consenserint, secus tamen esset,si dispositio capituli non in bonum publicum,sed in priuatum & personale cederet.

Al. Alẽ. m. 1. S. Th. ubi supra. & Syl. nã. 7

Quarta dif. Vtrum religiosi possint, teneanturq; facere eleemosynam.

CONCLVSIO.

Nullus monachus,siue regularis, quatenus talis est, potest regulariter eleemosynas facere. probatur cum nostro Al. quia ad faciendum eleemosynam regulariter,ut ipse ait, multa cõcurrũt,nempe,libera facultas,iustum dominium, uel *ministerium ordinatum*, quibus omnibus monachus caret, *nihil* enim habet,lege Can. non dicatis.12.q.1.& in 2.p. *florum*.q. de dominio.

CONCLVSIO.

Si religiosus habet administrationẽ,potest facere eleemosynam ex eo,quod supereſt,illius necessitatibus subleuatis, & debet in piis & religiosis causis errogare,patet Luc.11. Quod supereſt, date eleemosynam. & habetur cap. quia tua. 12.q.1.

Hinc etiam si sit in scholis de licentia prælati,uel si peregrinetur, poterit eleemosynas, quas alij honesti peregrini, & scholares communiter faciunt,de bonis saltem,quæ usu consumuntur, dare. Et ratio est, quia intelligitur concessa facultas a prælatis faciendi, quod prædicti scholares, & uiri honesti faciunt, & præsumptu superiorum uoluntas: neq; enim putandum est patres,aut Abbates tam strictos esse,quando filijs aut religiosis,bona ad literas discendas tradũt,ut in nullo uelint eos pauperibus subuenire. argumentum c. præterea. de officio delegati. addit quoq; S. Thom. ubi sup. & in 4. dist. 15. posse,absente prælato,dare aliquid sub spe ratihabitionis.

Si

CONCLVSIO.

Si indigens in extrema, uel quasi, & in urgente necessitate extiterit,& prelatus fuerit præsens, debet petere licentiam si non concesserit,uel si non sit præsens,& ipsum adire non potest,propter temporis breuitatem,debet eleemosynam largiri. Ratio est,quia in tali casu omnia sunt communia,& habetur 86. dist. Can. non satis,qui est B. Ambrosij.

Hinc,& prohibente,& contradicente Abbate, homini fame morieti tenetur eleemosynam dare. Et ratio est:quia Deo magis,quam hominibus oportet obedire. lege cap. quæ contra. dist. 8.

Hinc etiam in necesitate magna,quando ad superiorem recursus habere non potest, tenetur eleemosynam facere. Patnor. est in c. si quis. de furt. & glos. in c. non dicatis. 12. q. 1. Et ratio est, præsumpta superiorum uoluntas.

5. *Diffic. An mulier habens uirum,possit eleemosynam facere.* *Al. Alê. m. 2. & alij ubi sũ prã.*

Mulier præter bona communia cum marito,uel habet bona paraphernalia,idest propria præter dotem, uel habet res ex proprio lucro,ut sunt res,quas ex proprio labore absq; subtractione debiti officij in domo lucratur.

CONCLVSIO.

Si uxor habeat res ex proprio lucro,quibus seipsam,& uirũ sustentat,nõ potest eleemosynam facere de illis, si subtractio sustentationis uiri inde sequatur. Et ratio est,quia magis tenetur uiro suo,quam alteri subuenire: si autem tales res superabundant, potest, etiam inuito uiro,ex illis eleemosynas dare.

Limitatur conclusionis ultima pars, quod quando non habet sufficientem dotem ad onera matrimonij sustinenda, non potest:quia tenetur operari uiro,usq; ad supplementum onerum:quo adimpleto,quod supererit,lucro suo,& non mariti adscribetur,& poterit tunc ex illis eleemosynam facere. & ita intelligenda est glos. in l. sicut patronus. ff. de oper. lib.

Hinc poterit etiam idem facere, si uir assignauerit certam quantitatem pro suo uictu,& ipsa abstinuerit, ut eleemosynã conferre possit. Et ratio est,quia hoc uidetur esse suum.

Nec intelligas deducendas esse ex bonis lucratis expensas uictus, quia uir propter dotem & obsequium eam alere tenetur.

Nota idem omnino censendum esse de parapharnalibus bonis;quod de bonis lucro acquisitis,modo diximus.

CONCLVSIO.

De bonis communibus nõ potest sine uiri consensu expres

so,uel rationabiliter præsumpto donationem, siue eleemosynam facere. Et ratio est,quia talium bonorum administratio libera, non uxoribus,sed maritis competit, & habetur ex D. Aug.33.q.5.Can. quod Deo. est enim uxor pene famula uiri, & uir dominus eius, ut D. Amb. docuit.& refertur Can. hęc imago.33.q.5. Ex hac generali conclusione excipiuntur quidam casus,in quibus poterit uxor de communibus *bonis* eleemosynas dare. Notanter dicitur pene,ut ait glosa ibidem ne immoderate uerberentur.

Primus casus est,extrema necessitate,uel quasi,&c.ut in prima q. diximus occutrente:quoniam tunc reclamante uiro,tenetur eleemosynis extreme indigentibus subuenire.

Secundus casus,si ob causam aliquam maritus tali administratione priuetur, quia tunc ad uxorem deuoluitur, ut si factus est amens, nisi aliud per superiores fuerit ordinatum.

Tertius casus,si sit consuetudo in aliqua patria,qua uxores ius acquisierint ad aliqua danda; quoniam consuetudo tunc dat illis iurisdictionem,sed intelligi debet, ut noster Alex. docet,ne sint notabiles eleemosynę,sed leues,ut.v.g. dare panem,aut aliquid,quod ex refectione supereſt:&has leues eleemosynas bene, inquit, Doctor noster(etiam si non sit consuetudo) potest facere prohibita in generali,& debet *conscientiam* formare hoc maritum uelle,& quanuis prohibuerint,debet credere, omnino non prohibuisse,sed,ut eam *ad mediocritatem* traheret,dixisse, debet insuper cogitare, *quod* si uir sciret pauperis indigentiam,uellet dare,*quod* si *nihil* horum credat, & omnino ei interdicatur, *nihil* potest de iis,quæ uiri sunt dare,& patet ex D.Aug.in quadam epistola dicente.mulieri coniugatæ non licet dicere.facio,quod uolo de meo,cũ ipsa non sit sua,sed capitis sui.

D. *Aug.* *epist.*199

Quartus casus,si uxor utiliter agat rem uiri, poterit excommunibus bonis erogare,ut si uir sit crudelis & sceleratus, & occulte eleemosynas largiatur,ut Dei iram contra illum auertat,& diuina gratia,illuminetur. & confirmatur exemplo prudentissimæ Abigail.1.Reg.15.quæ,datis panibus,&alijs certis rebus Regi Dauid,contra uoluntatem uiri sui,eum a morte liberauit. Et ratio est;quoniam tunc adest mariti consensus debitus,licet non elicitur.

Quintus casus, si uir multũ durus,& hoc uergit in infamiã utriusque potest tũc uxor eleemosynam paruam facere: quia nunc uir esset irrationabiliter inuitus,& uxor nõ est ita subiecta,sicut monachus prælato suo.

Et

Et nota in hoc regno Hispaniæ lege humana cautum esse, ut uxor non possit contractum facere, nec aliquid donare sine consensu uiri, unde fit, ut nõ possint sine consensu uiri formali, uel interpretatiuo eleemosynam dare.

Hinc si uxores citra hos casus eleemosynas, uel donationes de bonis communibus fecerint, tenẽtur tantundem, si possũt maritis restituere.

Hinc confessores, qui notabiles eleemosynas extrahunt a mulieribus sine consensu uirorum suorum, contrectant res alienas inuito domino & ad restitutionem tenentur. & legant quæ o c. quod Deo. proxime citatum, ut non amplius alluci-nentur.

6. *Diffic. Filiusfamilias tenetur ne eleemosynas dare.*

CONCLVSIO.

Al. Ale. in 3. S. Th. & alij. ubi sup. Alex. est

Sine præiudicio melioris sententiæ, filiusfamilias sine consensu patris non potest magnas, siue notabiles eleemosynas facere, bene tamen leues, & modicas: & hoc intelligo de illo cui nec capitale, nec procuratio, nec uillicatio, est commissa: tales enim possent ampliores facere, nisi fuerint in damnum possessoris. hæc conclusio ad uerbum est nostri Alexandri. Et ratio est: quia ad faciendum eleemosynam requiritur libera facultas, ut habes supra in hac q in difficultate de religiosis possint ne facere eleemosynam; quare sine consensu patris non potest eleemosynas amplas facere: leues tamẽ poterit de consensu patris præsumpto, & ex ratihabitione. lege totam difficultatem citatam ad meliorem conclusionis huius intelligẽtiam.

Idem dicendum est de filio familias, si sit filius Senatoris, uel alterius dignitatis, & pater dedit ei liberam administrationem peculij, nisi ei specialiter pater hoc denegauerit, perinde si sit in dignitate constitutus, uel ei pater liberam peculij administrationẽ dederit, & iusta ratione motus donet. v. g. matri, uel similibus personis coniunctis. lege Sil. uerbo donatio, num. 3. &c.

CONCLVSIO.

Si filius familias habet peculium castrense, uel quasi potest sine consensu patris eleemosynã facere. Et ratio est: quia quãtum ad illud censetur paterfamilias. ff. ad Macedon. l. 1.

CONCLVSIO.

Si peculium, quod habet, sit profectitium, & aduentitium, poterit de illo eleemosynam facere, si credit patrem permis-

missurum, & non aliter. Ratio est, quia peculium profectitiũ & quicquid ex eo acquiritur, est patris, & aduentitium quo ad usum fructum ett etiam patris. insti. per quas personas nob. acqui. §. 1.

Posset tamen de iis eleemosynam facere, si de licentia patris esset in peregrinatione, uel in scholis, ut supra, de monachis dictum est.

Septima diffic. Serui, famuli, & ancillæ poßunt ne de rebus dominorum eleemosynas facere.

CONCLVSIO.

Sine consensu expresso, uel præsumpto domini sui, uel rati habitione, nullus eorum, etiã si sit liberæ conditionis, potest eleemosynam dare. Ratio est, quoniam ad hoc quod aliquis posit eleemosynam dare, requiruntur libera facultas, iustum dominium, & ordinatum ministerium, quorum neutrum in seruis, famulis. & ancillis reperitur.

DVBIVM II.

Cur igitur poterit filius, ut supra diximus, cum ijs careat.

Respondeo, Quia seruus, nec actu, nec habitu dominatur rebus domini sui: at uero filius licet actu non dominetur, habitu tamen dominium habet.

DVBIVM III.

Qui habet pecuniam apud se depositam, potest ne ex illa eleemosynam facere.

CONCLVSIO.

In extrema necessitate ex deposito debet fieri eleemosyna, dummodo dans non habeat de suo ad subueniendum pauperi Ratio est: quia ibi non est contrectatio rei alienæ: propterea quod, dominus si præsens esset, consentire deberet, & teneretur.

QVÆSTIO. V.

De quibus est eleemosyna facienda.

Al. Alẽ. q. 110. S. Th. ær. 7. Ric. q. 5. Med. q. 4 & 5. Sil. et reliqui ubi supra

CONCLVSIO.

ELeemosyna est facienda de re propria, non obnoxa restitutioni, aut propriæ necessitati, & ab illo, qui habet dominium, & administrationem. Definita est Can. eleemosina. 14. q. 5. ubi dicitur, quod non debet fieri, nisi ex propriis & iuste possessis, & colligitur etiam ex Can. forte eadẽ causa, & ex Canonistit. 1. q. 1. cap. non est putanda. notanter dicitur in

in conclusione, ut fiat eleemosyna ab illo, cui administratio & dominium competit: quod quidē apponitur propter mentecaptos, & minores, qui licet habeant rerum dominium, liberam tamen administrationem non habent, & propter hæreticos, quorum bona, ipso facto, sunt confiscata, qui a die cō missi criminis priuantur dominio rerum suarum, quāuis per homines non sit in eos lata sententia, isti enim extra casum extremæ necessitatis, non possunt eleemosynam facere, quēadmodum nec donare, nec alienare possunt. lege cap. cum secundum, de hæreticis lib. 6.

1. *Diffic. De bonis alienis potest ne fieri eleemosyna.*

CONCLVSIO.

Potest quidem fieri in casu extremæ necessitatis, uel quasi, &c. maxime si aliter huiusmodi necessitati subueniri haud potest. Et ratio est aperta, & clara: quoniam in tali necessitate omnia sunt communia, nec dominus potest rationabiliter esse inuitus, quando de bonis suis alius extreme laboranti subuenit, non potens de propriis, uel aliter succurrere, modo caueat a scandalo.

2. *Diffic. Verum possit aliquis propria, & sufficientia bona habens, de bonis alterius diuitis accipere ad subueniendum extremam necessitatem patienti, ita quod ipse de suis propriis bonis ratam det pauperi, et ab illis diuitibus absentibus, aut subuenire nolentibus, tantundem accipiat, ui de alienis, & suis pauperi necessaria tribuat.*

CONCLVSIO.

Nequaquam licitum est hoc facere. Ratio est manifesta; quia, ut non est licitum alicui aliena subripere sine licentia domini ad propriæ necessitati subueniendum, si ipse habet alias unde possit sibi ipsi succurrere: ita nec erit alicui licitum ad subueniendum alterius necessitati, si habet unde alias ualeat illi succurrere: quod enim non est alicui licitum, ut sibi subueniat, non erit licitum, ut alteri opem ferat. & confirmatur per D. Aug. & refertur 14. q. 5. Can. forte. ubi dicitur, qui a diuitibus auaris aliena accipiunt, ut pauperibus subueniant, addunt peccatum peccato. ubi glo. quia semel peccauit furando, & iterum distribuendo, quoniam alienat, quæ restituere tenebatur: non enim sunt facienda mala, ut eueniant bona.

3. *diffic. Vtrum de bonis communibus possit fieri eleemosyna.*

Hæc difficultas supra q. proxima explicata est, in difficultatibus de Abbatibus, Capitulis, & uxoribus, an possint de ijs eleemosynam largiri. *Med. ibidem.*

QVÆSTIO VI.

Alex. Alen. m. 2. & sequẽtibus, ubi supra. S.Th.Ri. Silu. loco citato. Med.q.4

Potest fieri eleemosyna de rebus turpiter, aut illicitè acquisitis.

PRo intelligentia huius q. animaduerte bonorum illicitè acquisitorum tria esse genera: primum genus est eorum, quæ sunt certis personis, utpote læsis restituenda: qualia sunt, quæ per furtum, rapinam, concussionem, iniustam exactionẽ metum, fraudem, aut per similia media sunt acquisita: secundum genus est eorum, quæ licet non sint certis personis restituenda, licitè tamen a nobis retineri nõ possunt, qualia sunt, quæ per symoniam, aut per sententiam iniquam, siue per falsum testimonium, aut pro alio crimine perpetrando, sunt cõparata: hęc enim licet, non sint ijs, a quibus accepta fuere, restituenda, non possunt licitè retineri, sed sunt pauperibus tribuenda: tertium genus est eorum, quæ turpiter sunt acquisita: nihilominus tamẽ licitè, ueluti: propria, retineri possunt qualia sunt, quæ per actum prohibitum, uel tempore, & loco prohibitis, sunt acquisita, ideſt quando modus acquirendi est prohibitus, non tamen lucri, siue rei acceptio est vetita, seu prohibita, ut est lucrum per meretricium, aut per contractum cum excommunicato, aut per negotiationem in tempore, aut loco sacro factam, comparatum: taliter enim *acquisita*, etsi ex circunstantia sint turpia, efficiuntur tamen *ipsius* acquirentis propria.

CONCLVSIO.

Si pauper extremam necessitatem, *uel quasi*, &c. patiatur, de bonis, cuiuscunque generis ex tribus prefatis sint, debet illi eleemosyna fieri. Ratio est, quia si illi tenemur in tali casu de alienis subuenire, ut ex superioribus constat, nedũ de proprijs, iniustè acquisitis, quando aliter præfatę necessitati succurri non potest: quæstio autem est tractanda circa extremam necessitatem.

Alex. & reliqui ubi supra.

1. diffic. De rebus iniustè acquisitis primi, uel secundi generis potestne fieri eleemosyna.

CONCLVSIO.

De rebus primi, & secundi generis non potest fieri eleemosyna. Ratio est, quia tale datum non est ipsius dantis, & de alienis citra extremam necessitatem, ut supra dictum est, non

B. Greg. Pron. 3.

potest eleemosyna fieri. & est definita a B. Greg. 1.q.1.c. non est putanda, ubi multa de hac materia continentur. unde Pronerb. 3. Honora Deum de tua substantia, quasi dicat, non de

aliena.

aliena. & Isa. 58. Frange esurienti panem tuum: ergo non alienum, non enim Deum talia acceptat, & Eccl. 34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi uictimat filium in conspectu patris sui. lege. c. nolite. 14. q. 5. uerum cum Alexandro colligo sequentes limitationes. Et prima est, ut intelligatur quando non fuit rei male acquisitæ: translatum dominiū, & competit repetitio, uel quando non habet unde soluat usuras, aut furto sublata, restituat: quia si est translatum dominiū, & non competit repetitio, satius est dare pauperibus, quam illis, a quibus acceperunt, ut accidit officialibus, qui multa, inquit Alex. accipiunt per immoderatam improbitatem. lege c. sane. 14 q. 5. & cap. debitores. extra de iur. iuran. & c. uenies, extra de symonia. *Eccl. 34.*

Poterit quoque facere eleemosynam, si per illam non reditur impotens, ad restituendum, super locum Luc. 16. Facite uobis amicos, &c. uide hic apud Alex. 4. expositiones.

2. *Diffic. De rebus tertij generis potest ne fieri eleemosyna.* *Al. Alē. & alij, ubi supra*

CONCLVSIO.

Licite de illis, ut de acquisitis per meretricium, & fornicationem, potest eleemosyna fieri. Et ratio est, quia licet turpiter, & malo modo acquisitum sit, quoniam contra legē egit; nihilominus tamē iuste possidetur: nam acquiritur dominiū, & illi, qui dedit pecuniam pro tali flagitio, non competit repetitio, nec accipiendo agit contra legem.

3. *Diffic. Potestne ecclesia accipere oblationem a meretrice.*

CONCLVSIO.

Si meretrix fuerit publica, & impœnitens, non debet eius oblatio ab Ecclesia recipi. Et ratio est: ne Ecclesia huiusmodi receptione uideatur tali facinori præstare fauorem, & ita olim in lege ueteri Deut. 23. lege cautum erat, Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium carnis in domo Domini Dei tui, quicquid illud est, quod uouerint, quia abominatio est utrumque apud dominum Deum tuum.

CONCLVSIO.

Si meretrix fuerit occulta, uel pœnitens, potest eius oblatio ab Ecclesia recipi. Ratio est: quoniam tunc cessat occasio scandali: tumetiam, quia tunc si pœnitens repelleretur, ea occasione, desperaret: quod Christus Dominus uisus est docere, quando permisit a muliere peccatrice, sed pœnitente, pedes suos lauari, & ungi, tergi, & osculari.

DV-

DVBIVM I.

Quamobrem in usura non transfertur dominium, sicut in meretricio?

Alexan. ubi sup. Respondeo, quia pecunia ex natura sua non habet usum aliquem, ex quo fructum possit producere, atq; ita nunquam pro pecunia ex pacto licitè potest maior pecunia accipi, nec dari debet: at uerò in actu fornicario, quia corpus, quod est liberæ facultatis alicuius, seruit, & uoluntati alterius exponitur, potest lucrari, & transfertur dominium: quemadmodum eius, quod accipitur pro expositione equi, uel domus, in obsequium alterius, transfertur dominium in accipientem, & iustè possidetur.

Appē. 1. Hinc ex acquisitis ab histrionibus potest fieri eleemosyna propter eandem rationem, quia transfertur dominium.

Appē. 2. Hinc de acquisitis per ludum, potest fieri eleemosyna, dum modo dominium transferatur, & colludenti repetitio non competat. lege in 2 p. florum. q. de clericis restitutioni obnoxijs. difficultate. 8. & q. de ludi restitutione.

QVÆSTIO VII.

Quo ordine, & quibus est eleemosyna tribuenda?

Alex. Alen. q. 109 S. Th. ar. 9. q. 7. & 8. Silu. et reliqui ubi supra.

HVic ultimæ quæstioni, declaratis quibusdam difficultatibus, extrema imponetur manus.

Prima diffic. Quo ordine est facienda eleemosyna?

Alex. Alen. q 113 m. 1. & 2. alij ubi supra. Hac difficultate explicatur prima pars tituli quæstionis: postulat autem hæc difficultas disputationem de ordine charitatis, quę cum in floribus secundi libri ubi de gratia, & charitate simul differetur, fit tractanda: modò cum Alex. nostro, quæ præsenti difficultate necessaria sunt, proponemus: ad ordinem explicandum, quærit Alex. quę sunt attendenda in eleemosyna facienda? & respondet idem: nouem, nempe, fides, causa, locus, tempus, modus, necessitas, siue sanguinis propinquitas, ætas, debilitas, conditio, siue nobilitas, & quilibet istorum nouem articulorum habet propriam rationem respectu sui oppositi, siue contrarij, licet inter se comparati, unus alteri prę ferat. exempli gratia. Primus articulus, nempè, fides significat, ut fidelis, in quantum talis infideli anteponatur: & sic de reliquis, quę omnia exposita inuenies in can. nonsatis. 86. dist. qui est D. Ambros.

D. Amb. Nota illos in eleemosyna esse præferendos, quos magis ex cha-

charitate diligere tenemur: unde primo a nobis incipere debemus: secundo a parentibus, a quibus accepimus esse: tertio a filijs, quos carnem nostram dicimus esse: quarto a domesticis, ut B. Pau. ad Tim. 5. docet: quinto extraneis est eleemosina facienda, qui si boni sunt, malis filijs sunt præferendi: uide c. citatum, non satis. hoc autem est maxime considerandum in iis, nempe, quod si unus sit in maxima necessitate, & alter extra illam, ille simpliciter est præferendus, cui dans magis est obligatus ob beneficia potiora, & plura, ab illo recepta: si in necessitate, & debito sunt pares, qui iustus est, uenit alteri præponendus: tum si sunt in bonitate pares, qui domestici sunt, extraneis præferantur, quæ omnia exacte metiri, & iudicare uelle, difficile est, & fere impossibile, quare adsit bona fides, atque conscientia: nam quid agendum sit unctio docebit. hęc de orbine: nunc quibus sit eleemosina largienda, dicamus.

d. 86. ca. fratrē. & c. in sing. Amb. & Al. Alē. est. lege inf. diff. 6

2. Diff. Quibus est eleemosina largienda.

CONCLVSIO.

In extrema necessitate omnibus etiam si mali, & pessimi sint, eleemosina ad sustentationem naturæ, est danda. Ratio est, quia unicuique mandauit Deus de proximo suo. Eccl. 17. & quia omnem proximum diligere tenemur, & nullū occidere, & occideremus, si fame pereunti non subueniremus, ut ex superioribus constat: iam circa extremam necessitatem sit.

Med. q. 7 Leg. d. 86 c. pascę. & d. 47. c. si cuius & c. omnis qui. 7 q. 1.

3. Diff. An possit aliquis sibi ipsi eleemosinam facere.

Si loquamur de eleemosina spirituali, nobis ipsis prius, eleemosinam facere tenemur. constat Eccles. 30. Miserere animæ tuæ, placens Deo: tunc que dicitur quis sibi ipsi eleemosinam facere, quando propriam indigentiam, & miseriam bonis operibus nititur subleuare. unde B. Aug. ait, eleemosina, ut Deo grata sit, a nobis ipsis debet incipere.

Tho. ubi sup. Ric. q. 7. Med. ubi sup.

CONCLVSIO.

Si de eleemosina corporali fiat sermo, si pauper cōstitutus est distributor eleemosinæ ab alio, potest sibiipsi, ut aliis pauperibus, daturus erat, eleemosinā facere. Ratio est, quia adimpleuit dantis mandatum, ductus ratione, quæ ipsum non deterioris conditionis ex eo, q̄ dispensator sit, quam si non esset, dictat; debet. n. se inter pauperes, & extraneos computare, & in persona dantis, a quo fuit distributor libere constitutus absque fraude, tantum sibi, quantum sibi similibus distribuere. lege q. 2. de rest. diff. 6. in 2. parte Florum.

Al. Alē. m. i. Tho. Ric. q. 8. & Med. ubi sup.

4. Diff. Estne eleemosina malis pauperibus danda.

Pauperes mali in triplici sunt differentia. Quidam n. sunt, qui

q ꝑmanet in uoluntate, & statu peccandi confisi, ꝙ eleemosina illis non deerit, quæ si negaretur, forte non ita in peccato permanerent. Alij uero sunt, quorum uitia non sic uerisimile est, per eleemosinas esse fouenda. Tertij autem, qui nolunt dimittere peccatum, & speratur, ꝙ medijs eleemosinis bonifient.

CONCLVSIO.

Pauperibus malis primæ differentiæ non est eleemosina conferenda, quando prædictum inconueniens certũ, aut probabile est; Ratio est, quia subuentio esset tunc fomentum malitiæ, & occasio permanendi in peccato, & confirmatur can. non omnis. 5. q. 5. & est D. Aug. Vtilius esurienti panis tolletur, si cibo securus iustitiam negligit, quã esurienti panis frangatur, ut iniustitiæ seductus, acquiescat, & di. 86. c. qui uenatoribus. eiusdem Aug. & D. Hier. Da pauperibus, non locupletibus, non superbis, quo necessitas sustentetur, non quo augeãtur opes, & uitia. lege c. 12. Eccles.

CONCLVSIO.

Malis pauperibus secundæ, & tertiæ differentiæ est indifferenter eleemosina largienda. Patet, dicente Christo, ut patrem cœlestem imitemur, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, Mat. 5. & Luc. 6. Diligite inimicos uestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos: inimicos autem, & qui nos odio habent, malos esse ignorat nemo, & Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*; & subdit, Hoc faciens, *carbones cõgeres super caput eius*. gl. i. feruorẽ charitatis, uel *Spiritus sancti*, uel urentem pœnitentiæ ardorem.

CONCLVSIO.

Si in peccatore, non peccatum, sed naturam consideremus cuicunque peccatori est eleemosina erogãda. Ratio est, quia temporalia sunt ad naturæ rationalis, quæ secundum se ordinata est, sustentationem; quæ quidem natura licet sit peccatis depressa, nunquam tamen in uita est de illa desperandũ; qđ Christus, Redemptor noster significare uisus est, Luc. 6. dicẽs; Omni petenti te tribue. lege c. sicut hi. dis. 47. quod est D. Ambro. ubi reperies multa.

5. *Diff. Est ne uita pauperis exploranda, ut discretionem in eleemosina illis eroganda habeamus.*

CONCLVSIO.

Nequaquã est exploranda. constat; tum ex sacra Scriptura, ut Tob. 4. ubi dixit filio suo; Ex substantia tua fac eleemosinã, & noli auertere faciẽ ab ullo paupere; tũ ẽt patet ex iure can.

ut

ut c, quiescamus. 42. di. & est D. Chry. ubi docetur, ne examinemus, quales sint, qui eleemosinas postulant, sed sine discretione, omnibus, cum possumus, subueniamus, & in can. si cupis. 16. q. i. idem traditur, & illustro exemplo Loth. conclusionem; ille. n. indifferenter aduenas, & peregrinos, & etiã angelos, putans esse homines, hospitio suscepit.

Hinc colligit Medina, & pie, nõ recte facere rectores reip. qui pauperes, aliunde uenientes, a suis populis expellunt, non permittentes, nisi, ut ibi per unum, aut tres dies commorẽtur, qui forte sunt meliores, & pauperiores, quam sint pauperes in ipso populo enutriti; unde fit, ut sic expulsi, nullibi requiẽ inueniant, aut per uias sine ullo remedio moriantur, aut unde possunt indebite furentur, & pœnã flagellis, uel patibulo luãt quam forte non meruerunt: tum ẽt deberent tales gubernatores animaduertere, multos etiam mẽdicantes in sua patria non posse commorari, quia exulant, aut inimicos, quos merito timent, ibidem habent: uel quia ibi dedecus aliquod, & tale passi sunt, ut malint patriam etiam cũ mortis periculo deserere, quam in ea habitare; uel quia loco pęnitentię hoc fuit illis iniunctum, uel id salus animarum, uel populi pax exigat, aut alias ob causas innumeras, quib. homines coacti, aliena loca quærere, & cũ necessaria nõ habeant, mendicare cogũtur. Appen.

6. Diff. Si bonis, & malis indifferenter subuenire non possumus, tenemur ne bonos præferre.

CONCLVSIO.

Sunt boni malis præferendi. Ratio est, quia id ordo charitatis postulat, ut ex prima difficultate huius q. constat: quoniã extranei quoque si boni sint, sunt malis filijs præferendi; uerum nota patrem malum, stante æquali necessitate, præponẽdum esse cuicunque bono. lege c. i. dis. 30. quia nullum beneficium tantum est, sicut parentum, & in extrema necessitate magis deserendi essent filij, quam parentes; quod ex c. non satis, & c. quiescamus. citatis iuncta gl. colligitur. *Al. Alẽ. m. 2. Th. & Med. & Sylu. ubi sup. et c. fratrẽ. d. 86. Amb. est super illud cãt. 2 Ordinauit in n charitat. & lib. de offic.*

CONCLVSIO.

Eleemosina, ut magis satisfactoria sit pro peccatis, bonis est danda. Ratio est, quia orationes istorum sunt efficaciores apud Deum, & meritis istorum quibus eleemosina confertur, fit celerior liberatio a pœna, quam passuri erant, eleemosinã largientes.

Hinc executores testamentorum deberent eligere bonos, quibus res mortuorum distribuerent, ut expeditius, & citius a pœna purgatorij liberarentur. Appen.

QVÆ.

QVÆSTIO VIII.

An eleemosina sit danda sanis, qui possunt laborare manuum sibi necessaria acquirere.

DEclaratio tit. huius q. notatu dignissimæ expositionem sequentium difficultatum expescit.

1. Diff. *An sit necessarium homini sano, & robusto manualiter, seu corporaliter, uel sub præcepto ad victum acquirendum laborare.*

Alex. q. 109. m. 1 Th. 2. q. 187. art. 3. Medi. ubi sup. Gen. 3.

Nota primum cum nostro Alex. ex quo totam hanc difficultatem accepit Medina: q cum ex fine de unaquaque re sumatur iudicium, uidendum erit, quo fine homines ad laborandum moueantur: est autem iste finis triplex: nam primo solet homines manibus operari ad acquirenda uitæ necessaria, quo modo intelligenda sunt multa utriusque sacræ paginæ loca: vt, In sudore uultus tui, uescaris pane tuo. & Act. c. 20. Ea quę mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Secundo ad euitandum otium, & damna ex otio prouenientia, ut docet B. Hier. ad rusticum monachum: Semper aliquid operis facito, ne te diabolus inueniat otiosum: & ut intelligas de opere manuali loqui, subiungit: uel fiscellam texe iunco, & postea subdit: In desideriis est omnis otiosus. Tertio laborant homines ad corpus exercendum, & illud rationi subiiciendum, & satisfaciendum pro peccatis, quod docet D. Pau. 2. Cor. 6. enumerans ea, quibus corpus castigatur, dicens: In laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in castitate, & 1. Corin. 9. Castigo corpus meum, &c. Nota secundo, quemadmodum uisus est reliquis sensibus principalior, quamobrem reliqui sensus nomen uisus sortiuntur, ut D. Aug. docet: ita etiam quoad plurima opera est necessaria manus, ab Arist. in lib. de anima, organum organorum appellatur: unde in operatione manuum, non solum, quod manibus fit, est intelligendū, uerumetiam quod fit, quocunque corporis instrumento, & vno uerbo, quodcunque negocium homo habeat, uel agat, quo licite potest uictum quærere, labore manuum comprehenditur: non. n. ratione consonum esse uidetur, ut magistri mechanicarum artium possint de sua arte uiuere, & magistri liberaliū artium, ut aduocatus de patrocinio, quod in causa præstat, & medicus, & alij, qui licitis occupationibus nauant operā, non ualeant illis uictum cibi parare.

Non

CONCLVSIO.

Non est omnino simpliciter necessarium pauperibus labore manuum uictui necessaria acquirere, nec est præceptũ necessitate salutis simpliciter exequendum. Probatur iuxta diuisionem primi notabilis: nam primo ad acquirendum uictui necessaria non est simpliciter necessarium, quia si homo habet diuitias, uel per uiam donationis, uel ex hæreditate, uel ex legato, uel per aliam uiam suppetunt illi necessaria uictui sine manuum labore, non est ꝙ laboret: neque secundo ad eui tandum otium: propterea ꝙ alijs modis potest euitari, nẽpe literis incumbendo, legendo, docendo, uisitando, & alia opera misericordiæ exercendo: neque tertio ad corpus castigandum: nam potest corpus affligere per ieiunia, uigilia, orationes, & alia honesta exercitia, quin manibus laboret.

CONCLVSIO.

Qui aliter non possunt nisi per laborem manuum uictui necessaria acquirere, tenentur sub præcepto laborare. Ratio est, quia homines isti, si otio uacant, paupertate oppressi, sunt reip. pernicios̃issimi, & multorum malorum patratores, ut cõstat Prou. 30. Mendicitatem, & diuitias, ne dederis mihi, &c. & infra, Ne egestate compulsus furer, & periurem nomen Domini Dei mei, & ideo B. Pau. Ad prohibendum furtum præceptum de opere manuali dat, ad Eph. 4. Qui furatur, iam nõ furetur, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti, & 1. Thes. 4. Prohibens concupiscentiam alienorum rerum ait: Operamini manibus uestris, sicut præcepimus uobis, & ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis, & tandem 2. Thes. 3. prohibens turpia negotia, ita ait: Audiuimus. n. inter uos, quosdam ambulantes inquiete nihil operantes, sed curiose agentes: ubi gl. i. fœda cura necessaria sibi procurantes.

Hinc optime in regnis inuictissimi Regis nostri Philippi lege cautum est, ut homines otiosi, & uagabundi in exilium mittantur. Appẽ. 1.

Hinc etiam magistratus curam habere deberent, ut pauperes, qui multos filios, & filias habent, & præ nimia paupertate uix, ac ne uix quidem uitam degere possunt, illos ad seruiendum alijs; & ad artes mechanicas discendas collocarent. Appẽ. 2.

Et nota conclusionem esse intelligendam de labore, ut dictum est in secundo notabili: nam qui artem mechanicã non norunt, diuitibus, & nobilibus seruire debet. Tandem ad perfectam

fectam intelligentiam huius difficultatis, nota quæ sequuntur cum nostro Ale. præceptum legis naturæ duplex esse: nam ordinatur ad tollendum defectum singularis personæ: uel spiritualem, sicut præceptum de actibus uirtutum; uel corporalem, ut illud Gen. 2. De omni ligno paradisi comede: alterum uero ordinatur ad tollendum defectum speciei, ut illud Gen. 1. Crescite, & multiplicamini, &c. quo præcipitur actus generationis, quo natura saluatur, & multiplicatur.

Secundo nota: inter duo dicta præcepta hoc interest, q̃ ad primum quilibet, & ordinatur, & tenetur: ad secundum autẽ non quilibet singulariter tenetur: nam in ijs, quæ pertinẽt ad speciem, omnes homines, unus homo, computãtur, iuxta Porphirij dictum, quo ait: participatione speciei plures homines sunt unus homo: unde sicut unus homo habet diuersa mẽbra quibus occupatur in diuersis officijs ad defectum proprium tollendum, quæ omnia non possunt per unum membrum exerceri, ut oculus uidet tori corpori, & pes totum corpus portat: itaque esse oportet in eis, quæ ad totam speciem pertinẽt: non. n. sufficeret unus homo ad omnia, quibus humana societas indiget exequenda, sed ad diuersa officia, diuersos occupari oportet, & confirmatur ad Rom. 12. Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, &c.

Tertio nota, hanc hominum diuersitatem in diuersis officijs emanare: tum ex diuina prouidentia, quæ ita humanum statum disposuit, ut de necessarijs ad uitam nihil deesse inueniatur: tum etiam ex causis naturalibus: quoniam diuersæ inclinationes in diuersis hominibus ad diuersa officia, uel ad diuersos modos inueniuntur: quare cum labore manuũ aliquis possit subuenire proprio defectui, & alieno, & unus homo sibi sufficere in omnibus non possit, sed indigeat alieno auxilio, patet præceptum de labore manuum quodammodo sub utroque genere prædictorum in primo notab. contineri: nã in quantum labore unius subuenitur, necessitatib. aliorũ, pertinet ad secundum genus: quatenus autem sibiipsi soli succurrit, ad primum genus refertur.

Quarto nota, præceptum primi generis, quod ordinatur ad defectum naturalem, uel corporalem tollendum, non obligare, nisi defectu existente, ut est præceptum de comedendo: unde si aliquis posset uiuere sine cibo, non obligaretur ad præceptum comedendi: sita quoque theologandum est de præcepto laborandi, quatenus ordinatur ad defectum singularem tollen-

tollendum, quodquidem non obligat, nisi defectu existente: & ideo qui habet alias unde possit licitè uiuere, manibus operari haud tenetur.

2. Diffic. *Vtrum licitum, & meritorium sit, diuitias propter Christum relinquere.* Al. Alē. q. 106. m. 1. Me di. ubi su.

CONCLVSIO.

Est profecto maxime licitum, & meritorium, diuitias habentibus eas relinquere, & in summa paupertate uiuere. Hāc cōclusionem Christus Redempror noster uerbo, & exemplo docuit, verbo quidem Marci. 10. Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus. & Luc. 12. Vendite, quę possidetis, & date eleemosynam. & Matth. 5. Beati pauperes spiritu, &c. exemplo etiam confirmauit: quia cum dives esset, paupertimus fieri uoluit; tum in infantia, quia ex matre pauperrima natus & in præsepio inclinatus, paruoq; lacte pastus est: tum in uitę progressu; nam uulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos: filius autem hominis non habuit, ubi caput suum inclinaret; & in morte quoque nudus in Cruce mortuus est, & in alieno sepulchro positus. & Nicolaus. 3. illam declarauit in Extra uaganti, exiit. & sancti eā sunt amplexati. ait D. Aug. in li. de Ecclesiasticis dogmatibus; bonum est de proprijs pauperibus erogare, sed melius omnia relinquere, & cum Christo egere. & D. Hier. ad Heluidiam si uis esse perfecta, & in primo dignitatis fastigio stare, sequere Apostolos: da omnia, quæ habes, pauperibus, & nuda nudum Christum imitare.

3. Diffic. *Vtrum sit actus perfectionis Euangelicæ, omnia propter Christum relinquere.* Al. Alē. & Med. ubi supra

Est quidem actus perfectionis Euangelicæ. patet Mat. 19. Si uis perfectus esse, uade, uende omnia, quæ habes, & da pauperibus. & exemplo Christi confirmatur, cuius uita fuit perfectissima, & pauperrima, ut modo diximus, & perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius. Luc. c. 6. & ijs promisit Christus sedes duodecim; tanquam perfectis, ut habes in 2. p. florum in q. de beatitudine, & apud Alex. nostrum reperies multas authoritates sanctorum, qui hoc communi consensu confitentur.

4. Diffic. *An sit actus perfectionis omnia propter Christum in communi; & in particulari, relinquere.*

Est sane actus Euangelicæ perfectionis, non qualiscunque, sed abundantias, relinquere omnia in communi, &

in particulari, tanquam consilium principale, principium fundamentale, & fundamentum sublime Euangelicæ perfectionis. Hæc conclusio est nostri Alex. ad uerbum, & primũ, inquit ille. suadet natura, secundum scriptura, & tertium gratia; est quidem consilium principale, quoniam uiam præbet ad alia: nam abundans paupertas disponit ad carnis macerationem, & mortificationem, & propriæ uolũtatis renuncia tionem, cum nihil sibi determinet, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: natura quoq; ipsa uiam spiritualiter ad paupertatem hanc parat, siue instituta, siue lapsa, consideretur: nam homo nudus formatus, etsi in statu illo stetisset, nihil sibi prorsus appropriasset: homo namq; nudus nascitur, & moritur: & ideo hæc rectissima uia est, non declinans a dictis extremis, natiuitate, scilicet, & morte, & hoc est quod. 1. ad Tim. 6. dicitur: Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus. unde colligit B. Paul. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus. & Iob. c. 1. Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Deinde sicut radix, & fundamentum omnium malorum est cupiditas, ita etiam sublime fundamẽtum perfectionis est perfectissima hæc paupertas, quæ omnino, & in communi, & in particulari cupiditatem exterminat. hanc scriptura docet, pauperes beatos uocãs, ut ex supradictis constat, & Spiritus sanctus inspirat: hic enim est, qui amare cęlestia, & præsentia contemnere facit; nam diabolus, & mundus, semper ad bonum priuatum declinant, & uno uerbo, si actus perfectionis est, ut ex proxime dictis constat, relinquere omnia propter Christum, maioris perfectionis profecto erit relinquere in communi, & in particulari.

Hinc summi Pontifices hunc uiuendi modum Spiritu sancto edocti approbarunt, ut constat ex decretali nimis priua. de excessibus prælatorum, & in fine regulæ nostræ confirmatur. ubi dicit Honorius Papa: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorũ Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

5. Diffic. Verum qui ita in commmuni, & in particulari, omnia relinquunt, exponant se periculo mortis propter famen, & Deum tentent?

CONCLVSIO.

Isti, neque Deum tentant, nec periculo mortis propter fa-

tamen se exponunt. Hanc conclusionē confirmant diuina consilia, & promissa, & exempla, quibus in dies uidemus tales pauperes sustentari. unde D. Aug in tractatu de eleemosyna ait: Helias in solitudine, coruis ministrantibus, pascitur, & Danieli in lacu existenti diuinitus prandium apportatur: & tu metuis, ne bene operanti, & Dominum metuenti desit alimonium, cum ipse in euangelio ad exprobrationem eorum, quorum mens dubia, & fides parua, contestetur, & dicat: Respicite uolatilia cæli, &c. an eis terrena deerunt quibus cælestia, & diuina tribuuntur. Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. unde ad Hebræos 13. Non te deseram, nec derelinquam. & Luc. 22. Quando misi uos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit uobis? at illi dixerunt, nihil: tandem nec exponunt se periculo, habent enim remedium, uel mendicando, uel laborando, exēplo Apostolorum, qui aliquando labore manuum alebantur, & qui dat escam pullis coruorum, & c. nonne dabit iustis eum inuocantibus.

D. Aug. 3. Reg. 17 Dan. 14. Matth. 6 Psal. 36 Iosue 1. ec ad Hebr. 13. Luc. 22.

6. diffic. Vtrum talis renunciatio in communi, & in particulari sit contra Euangelium.

Haud immerito quæritur: quoniam Ioan. 12. legitur locu los Christum habuisse.

CONCLVSIO.

Modus habendi loculos, nullo modo minuit paupertatem in communi, & particulari, nec est talis paupertas Euangelio contraria. probatur conclusio multis rationibus, & primo, quia illos habuit Christus, ut alijs pauperibus eleemosynam largiretur, ut sentit D. Hiero. apud Alex. Secundo, ut condescenderet infirmis. uide glo. in locum, Producens fœnum iumentis, &c. & in locum Ioan. 12. Ea quæ mittebantur, portabat. Tertio, propter institutionem formæ Ecclesiasticæ in pecunia habenda: nam præcipiens non esse cogitandum de crastino, non uoluit prohibere, ne sancti pecuniam haberent, sed ne illi pro pecunia seruirent, & ne præ inopiæ timore iustitiam desererent. Quarto ex B. Aug. homil. 57. super Ioan. quia Ecclesia loculos habitura erat, & intelligeretur, nō esse peccatum illos habere in subuentionem pauperum, sicut est peccatum illos ex cupiditate habere, ut Iudas habuit Quinto ex Chrysost. hom. 7. super Ioan. commisit loculos Iudæ, ut omnem ab eo abscinderet malefaciendi occasionem: ne diceret, propter pecuniarum desiderium, Magistrum vendidisse. Tandem habuit loculos in articulo necessitatis, nēpe, quan

do transibat per Samaritanos, in quo etiam articulo discipulos habere permisit. Iuxta illud Lucc. 22. Quando misi uos sine pera, &c. ubi glos. non eadem regula uiuendi persecutionis, quæ pacis tempore discipulos informat, misis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in uia præcepit, ordinans, ut qui Euangelium prædicat, de Euangelio uiuat: instante autem mortis articulo, & tota illa gente Pastorem simul, & gregem persequentem, congrua tempori regulam decreuit, permittens, ut tollant necessaria uictui, donec sopita persecutorum insania tempus euangelizandi redeat, lege etiam glos. Luc. 12. in locum, Nolite quærere quid manducetis, ubi dicitur, nihil retinere ad usus necessarios, non præcipitur a Domino, sed consulitur.

QVÆSTIO IX.

De mendicitate.

POsitis aliquot difficultatibus, & quæstio absoluetur, & tractatui finis imponetur.

1. Diffic. Vtrum mendicare pro Christo, & de quotidianis eleemosynis uiuere, sit licitum.

CONCLVSIO.

Est quidem licitum: & probatur Matth. 10. dicit Christus duodecim discipulis suis; Nollite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis uestris, nec peram in uia, neque duas tunicas, nec calceamenta, nec uirgam: dignus est enim operarius cibo suo. & Luc. 10. Nolite portare saccum, nec peram, &c. & sequitur deinceps, In eadem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua: ergo iuxta hanc Domini persuasionem, licet, ea, quæ uictui necessaria sunt, mendicare. & confirmatur: quia si non liceret, non dixisset, Matt. 25. Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. tum etiam quia quod lege non prohibetur, licitum est; & mendicare neq; lege naturæ, nec lege scripta, neq; lege gratiæ est prohibitum. Patet quoq; exemplo B. Alexij, qui cum amplissimum patrimonium haberet, relictis omnibus, mendicatione uictui necessaria sibi cõparauit. & exemplo etiam B. Benedicti, & D. Greg. & B. Francisci, & Dominici, & aliorum sanctorum constat.

Hinc confutatur error Ioan. Vuitcleff. qui mendicitatem non esse licitam docebat, quem suscitauit Lutherus hoc nostro seculo dicens, mendicitatem esse lege prohibitam: qui error fuit condemnatus in concil. Vienen. ubi modus uiuendi fratrum minorum per mendicitatem decernitur esse, & licitus,

tus,& meritorius,& in Conc.Constant.Sess.8. lege apud Castrum contra hæreses uerbo,mendicitas hæc. & alia loca sacræ pturæ,quibus conclusio corroboratur.

Al. Alē. m 2.ar. 1 &reliquī ubi supra

2. Diffic. *An sit meritorium mendicare.*

CONCLVSIO.

Est meritorium pro Christo mendicare. Hęc conclusio definita est in Concilio Vienen. proxime citato,& in extrauag. exiit de uerb. signific. tum etiam, quia nihil suadet Dominus directe, uel ex consequenti, quod non sit meritorium. ut patet ex locis Matth.& Luc.10. proxime citatis: Christus ex consequenti mendicitatem persuasit: nam si nullus auditorum Apostolis tunc alimenta præstitisset,ut accidit Christo in die palmarum,quem nullus ad prandium inuitauit, & reuersus fuit usquę Bethaniam,necessario,ne fame perirent,mē dicaturi erant: & Ecclesia aliquando mendicitatem,uel temporalem, uel perpetuam in satisfactionem imponit,quod nō faceret, si mendicitas satisfactoria, & meritoria non esset,& confirmatur exemplo Lazari mendici Luc.16. Et factum est, ut moreretur, ut mereretur ut mendicus,& portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, idest in requiem beatorum pauperū, ut glos.inquit,insinuans prēmium suæ mendicitatis,tandem probatur exemplo B. patris mei Francisci,qui non solum mē dicauit,uerum etiam suos filios in regula mendicare docuit, dicens, In paupertate, & humilitate domino famulantes,uadat pro eleemosyna confidenter; quod nec feciſſet, nec docuisset,nec Ecclesia approbasset,si mendicare pro Christo meritorium non fuisset.

3.*diffic. An sit mendicare perfectionis Euangelicæ opus, & supererogationis.*

Al.ar.2. et reliquī ubi supra

CONCLVSIO.

Mendicare ex necessitate naturæ est miserabile,& tollerabile,& per patientiam laudabile, & meritorium efficitur.v. g. ut cum quis mendicat non solum quia pauper est,sed etiam, quia infirmitatem,uel debilitatem,uel utrumq; simul habet. Patet conclusio exemplo Lazari,qui erat mendicus,iacens ad portam diuitis, ulceribus plenus.& subditur, Mortuus est mē dicus, &c. unde colligitur, mendicitatem ex necessitate peruenientem,occasionem esse in uiam salutis æternæ peruenīēdi. Iuxta illud B Græg. apud Alex. Mala, quæ nos hic præmunt, ad Deum ire compellunt.

Mendicare ex culpa uituperabile est, ut. v. g. mendicare pro otio fouendo, uel pro lucro cumulando, uel utroque

modo probatur cõclusio authoritate B. Ambr. in lib. de offi. Petitionis causa ueniunt ualidi, nullam causam nisi uacandi habentes, & uolunt subsidia euacuare pauperum, exinanire sumptum, &c. & hic medicandi modus est reprehensione maxima dignus, præsertim in illis, qui habent speciem sanctitatis, contra quos agit D. Aug. in lib. de monachorum opere: propterea quod, inquit, non solum pigritiam in seipsis mendicando fouebant, uerum etiam prædicando aliis suadebant.

Hinc, qui plures eleemosynas, quam congruæ sustentationi opus est, petunt, & acquirunt, peccant, & alios pauperes expoliant.

CONCLVSIO.

Mendicare pro Christo uenerando, & imitando, est Euangelicę perfectionis, & opus supererogationis. patet Mat. 19. Si uis perfectus esse uade, & uende omnia, &c. quia opus consilij est opus perfectionis, & supererogationis, & mẽdicare, ut ex proxime dictis constat, opus consilij Euangelici est. patet etiam ex supradictis.

Hinc confutatur error quorundam magistrorum Parisiensium, oppositum asserentium, qui fuerunt condemnati per Innoc. 4. & Alex. uide Medina ubi supra.

4. Diffic. Monachi desistentes ab actibus religiosis, peccant mortaliter utendo eleemosynis, & bonis suo monasterio concessis.

Caie. ubi supra. S. Thom.

CONCLVSIO.

Monachis, qui nullã utilitatem reipublicæ afferunt, sed otiosę uitam degunt, & sine ulla cura, prohibitus est eleemosynarum, & redituum monasterij usus, & ratione ingratitudinis aliquando, mortaliter si ingratitudo fuerit mortalis, aliquando uenialiter peccant. Et ratio est: quia hac de causa, benefactores donarunt sua bona, & eleemosynas conuentibus, ut religiosi diuinis officijs, & religiosis actibus operam nauarent. Psal. 104. Dedit illis religiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. & ideo Oseæ 4. peccata populi comodere dicuntur.

5. Diffic. Tenebuntur ne isti ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Tales monachi,& otiosę uiuentes, & fraudulenter eleemosynis, & monastarijs redditibus utentes, non tenentur ad restitutionem. Et ratio est; quia illa bona fuerunt monasterio donata,& non ex aliquo contractu iustitiæ,atq; ita non tenẽtur ad restitutionem, tum etiam, quia est uere pauper, & peccatum,quod utendo eleemosynis committit, non est in retentione rei alienæ, sed in abusu rei concessæ,ut D. Bona. q.8.super regulam nostram docet.

Hinc prælati deberent expoliare illos eleemosynis,& coge re, ut ad regularem obseruantiam redeant. Appẽ.2.

Hinc religiosi,licet sint inutiles,& inepti ad opera exterio re, si tamen sunt boni in se, licite bonis monasterij utuntur. Ratio est,quia hac da causa, est uita monasterij instituta,ut ipsi sint boni in se, & satis prodest reipub. qui se bonum, & innocentem præbet. Appẽ.1

Al. Alẽ. m. 3. ubi supra.

6. Diffi. *Vtrum perfectius sit simul dare omnia pro christo, & postea mendicare, uel reuinere ad suam, & pauperum sustentationem paulatim sibi, & pauperibus dispensandas?*

CONCLVSIO.

Melius est omnia simul pro Christo dare, & postea mendicare. Probatur primo authoritate D. Hier. contra Vigilantium epistola 57. Quod,inquit,asserit melius eos facere, qui utuntur rebus suis,ut paulatim fructus possessionum pauperibus diuidant, quam illos, qui possessionibus uenundatis,simul omnia largiuntur, non a me, sed a Domino tibi respondetur, Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ueni, sequere me, ad eum, inquit, loquitur, qui uult esse perfectus,qui cum Apostolis patrem, nauiculam,& rete dimittit:iste,quem tu laudas,secundus aut tertius gradus est. lege quoque epistolam eius ad Heluidiũ, & ad rusticum monachum. & D.Aug. de Ecclesiasticis dogmatibus ait; bonum esse de propris pauperibus erogare,sed melius omnia relinquere: & cum Christo egere.

Septimæ diffic. An liceat diuiti aliquando mendicare.

CONCLVSIO.

Diues eliciens eleemosynam humilitatis, aut peregrinationis causa, quam eleemosynam postea pauperibus erogat, nõ peccat, sed honeste operatur. Et ratio est, quia hic homo nõ quærit sibi eleemosinam, sed pauperibus.

8. Diffic. An, qui ficta paupertate, eleemosynam mendicando acquirit, peccet, & ad restitutionem teneatur.

Hũic difficultati responsum est in 2. p. florum in q. de clericis restitutioni obnoxijs. in 8. difficultate, ibi lege.

Nonæ diffic. Qui uere pauper est, si ad eleemosynam extrahendam ab aliquo, fingat se esse eius consanguineum, tenebitur ne restitutione.

CONCLVSIO.

Iste non tenetur restituere. Ratio est, quia huiusmodi homini pauperi debetur eleemosyna arq; ita, licet fingat se consanguineum diuitis, ut ab eo eam recipiat nemini facit iniuriam, item quia causa principalis in hoc casu est paupertas, & in eo nihil huiusmodi fingitur, sed tantum fingitur in eo casu impulsiua, scilicet consanguinitas. quare cum nullus error exitat in causa principali, datio illa eleemosynæ nõ erit in uoluntaria, neque restitutioni obnoxa.

Dices; quid si diues huic homini fingenti consanguinitatem, det eleemosynam, non paupertatis, sed consanguinitatis causa.

CONCLVSIO.

Si is, qui accipit, uere pauper est, & is, qui dat, respondet suæ necessitati proportionabiliter, in tali casu tenetur ad restitutionem. Et ratio est: quia illa eleemosyna sibi debetur ex charitate: ita tenet Medina. C. de restituit. q. 24. ad 5. & Adrian. in 4. in materia de restitutione, in q. quę incipit, Cõtra quæritur.

Decima difficultas. An Christus summam habuerit paupertatem?

CONCLVSIO.

Habuit Christus Dominus summam paupertatem, constat ex locis sacræ scripturæ. Zacharias enim de Christo propheti zans, ait: Ipse pauper, & ascendens super asinam. & Dauid Psal. 29. in Christi persona, inquit: Ego mendicus sum, & pauper: Christus de seipso, Luc. 9. ait: Vulpes foueas habent, & filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet: & tandem Christus prius cepit facere. Actuum. c. 1. quàm docere, & cũ Matth. c. 19. summam, & perfectissimam paupertatem docuerit, dicens: Si uis perfectus esse, &c. erit profectò de fide tenendum, summam paupertatem seruasse. unde D. Pau. 2. ad Corinth. 8. Scitis gratiam Domini Iesu Christi, qui propter uos egenus factus est, ut uos diuites essetis.

Zach. 9.
Psal. 29.
Luc. 9.
Act. 1.
Matt. 19
2. Cor. 8.

Vndecima diffic. Vtrum Christus mendicauerit?

Quatuor fuerunt modi dicendi circa hanc difficultatem; quidam enim falsum esse Christum mendicasse asseruerunt: alij inconueniens esse Christo mendicationem abscribere affirmauerunt. Tertij de mendicitate quoque sanctorum, fuerit ne Deo accepta, dubitarunt, cum sit maximè Deo grata eò quòd in mendicatione humiliatio & vilificatio, quæ plurimũ sunt Deo grata resplendeant, & in Psal. 39. Ego mendicus, & pauper, & Dominus sollicitus est mei, qui quidem non esset sollicitus, si ei mendicitas displicuisset. Quarti fuerunt hæretici, qui mendicitatem esse contra Euangelium, & ab Apostolo prohibitam tanquam malam tenuerunt. cum 1. ad Cor. 16. præ dicauerit collectas fieri pro pauperibus. vide Castrum uerbo mendicitas. contra hæreses.

Alex. A lẽ. q. 107 m. 2. & 4. & Me di. ubi su pra.
Psal. 39.
Hæresis.
1. Cor. 6.

CONCLVSIO.

Christus Redemptor noster mendicus fuit, & mendicitati se exposuit. Et rõ est: quoniã, ut ex proximè dictis constat. Scriptura sacra non erubescit, mendicũ eum appellare: fuit. n. mẽdicus infantili ætate, vt sentit Fulgentius in serm. de Epiphania, dicens: Æstuo, cum inspicio in præsepe mendicum; mendicus

Fulgen:

dicus fuit alieno locatus tugurio, & alieno reclinatus in præ-
B. Bern. sepio: fuit & mendicus in puerili ætate, teste B. Bernardo in
sermone super illud Lucæ: Cum factus esset IESVS anno-
rum duodecim. Luc. 2. qui ait: Vbi eras bone IESV, &c. & se-
Luc. 2. quitur: Quasi vnus ex turba pauperum stipem per hostias men
dicabas: & in uirili ætate quoque mendicauit, ut hospicium a
Luc. 19. Zacheo Lucæ 19. Festinans descende, quia in domo tua opor
tet me manere: & mendicauit potum a Samaritana. Ioan. 4.
Iob. 4. Mulier da mihi bibere. & in Psal. sepe mendicus nominatur.

Hactenus de tribus partibus satisfactionis, de oratione, scilicet, ieiunio, & eleemosyna, sub quibus alia omnia opera penalia comprehenduntur: nam sub ieiunio, omnia opera, quibus caro affligitur, intelliguntur, ut sunt macerationes, afflictiones, flagellationes, & peregrinationes: & nomine eleemosynæ continentur omnia opera misericordiæ corporalia: & oratio suo ambitu omnia opera spiritualia misericordiæ comprehendit. Item nota, quod licet singulæ istarum trium partium singulis peccatis curandis approprientur: quoniam per ieiunium homo reuocatur a concupiscentia carnis, per eleemosynam a concupiscentia oculorum, & per orationem, a superbia vitæ; nihilominus tamen, per quamlibet partem istarum trium, pro quolibet peccato potest fieri satisfactio; quoniam hæc correspondentia, neque est de congruo, neque de necessitate in singulis casibus. patet exemplis positis: pauperi enim, neque congruum, neque necessarium est, iniungere aliquid istorum, si est insufficiens ad ea, ut si pauper nuper nutritur labore, ita ut, quo die non laborat, uictu careat, & si ieiunaret redderetur ad laborem impotens, & orationi labore lassatus uacare non posset; & a fortiori, minus poterit eleemosynam facere, sed in iungendum istis hominibus est, ut labores, & reliqua infortunia, quæ illis accidunt, in satisfactionem suorum peccatorum in Deum referant, quousque opportunitas aliter satisfaciendi se offerat. nam per opera pœnalia possumus Deo satisfacere, ut in difficult. præcedente tractatu orationis diximus, & hoc esset prædicandum, & sæpè, ne huiusmodi uidentes se non posse pœnitentias iniunctas adimplere, desperarent. Patet etiam exemplo diuitis, qui lapsus est peccato carnis, si adeò sit delicatus, ut nollit ieiunare, nec macerationem carnis subire, uel si est præsumptio, quòd ieiunia sibi imposita non adimpleret, & ita de nouo peccaret, erit eleemosyna, uel oratio imponenda, si libentius accipit, & creditur perseuerantius adimpleturum: & si nullam uellet accla-

pere

pere pœnitentiam, & haberet dolorem de peccato, & firm non peccandi propositum, esset absoluendus, ne in desperationem caderet: esset tamen intimanda ei pœnitentia, quæ erat pro suis peccatis iniungenda, & suadendum, ut ea in se, uel in æquiualenti studeat adimplere: alioquin erit eam ad plenum in purgatorio soluturus.

In q. de iniustitia aduocati, &c. in 2. p.

DVBIVM I.

Quando aduocatus dubitat, sit ne causa iusta propter aliqua iuridica fundamenta, erit tutus in conscientia patrocinando.

CONCLVSIO.

Th. 2.2. q. 71. ar. 3. Sylue. uer. aduocatus. nu. 5. Sot. de iust. & iu. li. 5. q. 8. ar. 3. Naua. in sum. c. 25. nu. 28

Quando aduocatus patrocinatur in causa dubia, quæ iudicio suo uidetur anceps: quia utraque pars est probabilis, in cõscientia tutus est patrocinando. Tenebitur tamen admonere clientem de dubietate causę.

Hinc, si causam, quam probabilem in principio iudicauit, in progressum litis iniustam esse, intellexerit, tenetur illã deserere. l. rem non nouam. §. patroni. C. de iud. & clientẽ, & ut causæ cedat, persuadere, uel saltem ad honestam concordiam eum inducere.

CONCLVSIO.

Si causa, quam aduocatus defendit, est mortis, uel sanguinis, uel in ea honor alicuius particularis periclitatur, etiam si aduersa sententia magis probabilis sit, licite poterit eã defendere. Et ratio est, quia melior est conditio possidentis. In causis autem minoris momenti uix absque periculo, quæ infirmior causa, atque debilior est, defendi potest.

DVBIVM II.

Aduocatus uidens se in principali causa iniustitia carere, poterit propter defectus quosdam, & nulli ates processus partis contrariæ, suam causam defendere.

Ratio dubitandi est, quia accidit plerunque, ut iudex proferat sententiam in fauorem aduocati æstimantis se iniustam causam defendere, & contra illum, qui iuridicis fundamentis

tis iustissimæ causæ patrocinatur: hac igitur de causa quæritur an liceat aduocato, &c.

CONCLVSIO.

Aduocato, in principali iniquam causam habenti, non licet aduersarium, assumens aliquod caput extrinsecum, iustũ (respiciens forte processum, uel alios) uexare. argumẽ. glo. in cap. cupientes, in uerb. malignantium. de elect. in 6. impeditur enim, uel differtur hac occasione iustitia parti contrariæ competens, quod nullo modo licite fieri potest. Ratio autem dubitandi ex parte iudicis adducta potius est contra aduocatum, quia facit suis tricis iustitiæ executionem differri: quare & peccat, & ad restitutionem damni aduersæ parti illati tenetur. arg. c. i. de off. deleg.

Doct. ubi sup. Syl. uer. rest. §. nu. 5.

DVBIVM III.

Quid, si aduocatus ex ignorantia litem perdiderit.

CONCLVSIO.

Ad damnum parti aduersæ illatum restituendum est obligatus. l. idem iuris. §. i. ff. ad legem aquil. Ratio est: quia tenetur esse in iure peritus. l. nemini. C. de adi. iud. merita causæ scrutari, diligenter studere, debita remedia adhibere, & cura iuris peritos consulere: nec satis est, ut ijs omissis, propriæ innitatur prudentiæ: nam istorum neglectum latæ culpæ æquiparatur: neque. n. excusat ignorantia aduocatum, nisi quando nihil eorum, quæ adhibere tenebatur, omisit.

DIFFICVLTATES

ALIQVOT AB EODEM AVTORE

nunc primum additæ II. Parti Flor.

Theol. Quæst.

In tractatu de Restitutione, Quis a Restitutione sit liber, post IIII. Dub. V II. Diff. pag. 153.

8. Diff. Si soluto iam pretio, res empta pereat, antequam tradatur, tenebitur ne uenditor pretium restituere.

EXempli causa: Petrus emit a Ioanne equum, siue domum, & soluit statim pretium, sed equus priusquam emptori traderetur, mortuus est, siue domus est combusta, eritne tunc uenditor restitutioni obnoxius? De hac difficultate differit gl. in §. cùm autem. inst. de emp. & uend. cui fit satis sequentibus propositionibus.

Propositio prima.

Si uenditio fuerit facta uerbo tenus, & non scripto ita tamen, ut conuenerint inter se partes, ne sine instrumento uenditio perficeretur, tunc re empta pereunte ante instrumenti confectionem, pretium uenditor restituere tenetur. Ratio est quia non adimpleta conditione, non fuit absoluta uenditio, neque translatum dominium in emptorem, & probat l. cum res. C. de prob.

Propositio secunda.

Si partes paciscantur inter se, ut simplici uerbo fiat uenditio, etiam si postea addiderint, fiet deinceps instrumentum, ut ut possit quilibet nostrum, si opus fuerit, agere in iudicio, non tenebitur uenditor ad pretij restitutionem. Ratio est, propterea quod iam fuit absoluta uenditio, & translatum dominiū in emptorem. Facit l. contrahitur. ff. de pig.

Si

Propositio tertia.

Si uenditio facta fuit sub disiunctione, ut si dicat uenditor, istam, uel illam domum tibi uendo, & non uendatur res certa, & determinata, & ambæ domus perierint, non tenebitur uenditor pretium restituere: si uero altera tantum, erit tunc ad restituendum pretium obligatus. Ratio est, quia una aut altera domus fuit uendita. Probatur l. si emptione. § si emptione. ff. de contrahen. emp.

Hinc, ut non teneatur pretium restituere, necessario res uendita, quo ad numerum erit determinanda: ut uendo tibi unum equum album: alio qui. n. si in genere dicat: uendo tibi equum, pereuntibus omnibus suis equis ad restitutionem pretij obligabitur. Ratio est, quia non dixit unum ex meis equis, sed absolute: equum in genere uendidit.

Propositio quarta.

Si fuerit res uendita post maleficiũ commissum, cuius causa erat confiscanda, pretium erit restituẽdum. Ratio est, quia tunc non poterat illam uendere: quotiescunq. n. uẽditur res, quæ uendi non poterat, uenditori perire dicitur. Prob. tex. & ibi gl. in l. si fundus. ff. loc.

Propositio quinta.

Si res uendita exigat degustationem, si post degustationẽ pereat, pretium acceptum minime erit restituendum: hoc autem est speciale in uino, propter liquoris dignitatẽ: ut si quis dicat: Vendo tibi totum hoc dolium uini. Hæc propositio est definita in l. si uina. ff. de peric. & commo. rei uend.

Propositio sexta.

Si pactum apponatur, ut res donec tradatur, pereat semper uenditori, tunc uenditor restitutioni erit obnoxius. Ratio est quia uenditor tunc iuri suo cedere uidetur. Prob. l. si in uenditione. ff. de peric. & commo. rei uend.

Propositio septima.

Si uenditor fuit in mora tradendi rem, quia noluit monitus, uel die signata tradere, illam erit ad restituendum pretiũ astrictus. Ratio est, propterea quod mora uenditoris emptori nocere haud debet.

9. Diff. Quid si uterque fuit in mora.

V.g. Vẽditor fuit in mora in tradendo, quia requisitus noluit tradere, postea uero dixit emptori, defer rem tuam, & ipse distulit differre: cui tunc rei interitus imputabitur.

Propositio prima.

Peribit emptori. Ratio est, quia uenditor iam moram suã, requirendo emptorem, purgauit.

Est tamen limitanda propositio dummodo uenditor non fuerit causa moræ emptoris, quia fortassis illum admonuit tẽpore quo rem differre non poterat. Probat tex. iuncta glo. in l. si per emptorem, in fi. ff. de act. emp. & uend.

Propositio secunda.

Calliditas, & fraus cessare debent ex parte uenditoris, ut ad pretium acceptum restituendum non teneatur. Ratio est, quia si sciebat rem uenditam, quam citissime perituram, & tacuit, sibi imputabitur. Prob. l. si quis uestra. de pericu. & commo. rei uend.

5. Dubium. Cuius erit fructus rei uenditæ post pretij solutionem.

Huic dubio respondetur infra, in q. de usura ratione emptionis, &c.

Syl. uer. emptio nu. 24. Couar. li. 2. uar. resolut. c. 19.

10. Diffic. Quid si uenditor accepto pretio, alteri rem uenditam tradat.

CONCLVSIO.

Peccat mortaliter, & tenetur restituere pretium, ualebit tamen secunda uenditio; prima pars huius conclusionis patet, quia proximo in re graui nocet. Secunda pars est definita in l. quoties. C. de periculo. & commodo rei uend. ubi dicitur. Quoties duobus insolidum pretium iure distrahitur, manifesti iuris est eum, cui prius traditum est, in retinendo dominiũ potiorem esse.

In

In Quæstione de iniustitia aduocati, post V. Diff. pag. 201.

1. Dub. *Quando aduocatus dubitat, sine causa iusta propter aliqua iuridica fundamenta, erit tutus in conscientia patrocinando.*

Tho. 2.2. q. 71. ar. 1. Syl. uerbo aduocatus nu. 5. Sot. de iust & iur. li. 5. q. 8. ar. 3. Nau. in sũ. c. 25 nu. 28

CONCLVSIO.

Quando aduocatus patrocinatur in causa dubia, quæ iudicio suo uidetur anceps, quia utraque pars est probabilis, in cõscientia tutus est patrocinando. Tenebitur tamen admonere clientem de dubietate causæ.

Hinc, si causam, quam probabilem in princip. iudicauit, in progressum litis iniustam esse, intellexerit, tenetur illam deserere. l. rem non nouam. §. patroni. C. de iudi. & clientem ut causæ cedat, persuadere, uel saltem ad honestam concordiam eum inducere.

CONCLVSIO.

Si causa, quam aduocatus defendit, est mortis, uel sanguinis, uel in ea honor alicuius particularis periclitatur, etiam si aduersa sententia magis probabilis sit, licite potest eam defendere. Et ratio est, quia melior est conditio possidentis. In causis autem minoris momenti uix absque periculo, quæ infirmior causa, atque debilior est, defendi potest.

2. Dub. *Aduocatus uidens se in principali causa iniustitia carere, poterit propter defectus quosdam, & nullitates processus partis contrariæ, suam causam defendere.*

Ratio dubitandi est, quia accidit plerumque, ut iudex proferat sententiam in fauorem aduocati æstimantis se iniustam causam defendere, & contra illum, qui iuridicis fundamẽtis iustissimæ causæ patrocinatur: hac igitur de causa quæritur, an liceat aduocato, &c.

CONCLVSIO.

Aduocato, in principali iniquam causam habenti, nõ licet aduersarium, assumens aliquod caput extra secum, iustum respiciens forte processum, uel alios) uexare. argumento glo. in cap. cupientes. in uerb. malignantium, de electione in sexto, imp e-

impeditur.n.uel differtur hac occasione iustitia parti contra riæ competens, quod nullo modo licite fieri potest. Ratio autem dubitandi ex parte iudicis adducta potius est contra aduocatum, quia facit suis tricis iustitiæ executionem differri, quare & peccat, & ad restitutionem damni aduersę parti illati tenetur, arg. c.i. de off. del. g.

3. Dubium. Quid si aduocatus ex ignorantia litem perdideris.

CONCLVSIO.

Ad damnum pati aduersæ illatum restituendum est obligatus. l. idem iuris. §. i. ff. ad leg. aquil. Ratio est, quia tenetur esse in iure peritus. l. nemini. C. de adi. iud. merita causæ scrutari, diligenter studere, debita remedia adhibere, & cura iuris peritos consulere, nec satis est, ut ijs omissis, propriæ innitatur prudentiæ, nam istorum neglectus latæ culpæ equiparatur neque. n. excusat ignorantia aduocatum, nisi quando nihil eorum, quæ adhibere tenebatur, omisit.

In tractatu de vsura ratione emptionis. Post difficultatem 6 pag. 220.

7. Diff. Moatras a filiofamilias acceptas teneturne pater filio mortuo soluere.

QVoniam frequentissime accidit, ut primogeniti, dum sunt sub patria potestate, accipiant a mercatorib. moatras soluendas, post susceptam hæreditatem; proinde quæritur in hac diff. an filio antea mortuo, moatras a filio, &c.

CONCLVSIO.

Pater, mortuo filio, non tenetur in conscientia huiusmodi moatras soluere. Constat conclus. per l. ciuilem Vallisoletæ de moatris. & confirmatur, nam ut uirtute legis præscriptionis, bona fide præscribens, finito præscriptionis tempore, non tenetur pretium rei præscriptæ soluere, etiamsi postea non fuisse suam intellexerit; ita quoque pater, mortuo filio, uirtute legis Vallisoletanæ non tenebitur, &c. lege supra in

hac parte q. quis sit liber a restitutione. diffic. 8. Nihilominus tamen propter æquitatem iuris naturalis uidetur: rationi cõsentaneum, ut pater soluat debita, quæ filium contraxisse cõstiterit, uel duobus testibus, uel per chirographum filij, & iuramentum, uel per testem unum medio iuramẽto: lex. n. Vallisoletana instituta fuit in odium moatristarum, & primogenitorum, qui bona paterna exemplo filij Prodigi luxuriose uiuendo consumunt.

In quæstione de contractu locati, & conducti, in fi. pag. 269.

Diff. Qui conducunt domos suas meretricibus, peccantne mortaliter, teneanturque ad restitutionem.

CONCLVSIO.

Qui conducunt domos suas huiusmodi mulierculis, si deprauata intentione careant, quia nolunt illas ad peccãdum inducere, & nulla alia mala circunstantia intercueniat, non peccant, nec ad restitutionem tenẽtur. Ratio est, quia domos conducere est res ex se indifferens: possunt. n. illis, & bene, & male uti: quare si mulierculæ domibus conductis abutantur, illis imputandum illarumque uoluntati, & culpæ erit adscriuendum: neque enim in domibus conductis uiuere per se, & necessario ad illarum pessimam uitam ordinatur: unde perspicuum fit, deficiente prauta intentione, &c. conducentes domos, neque peccare, neque obligari ad restitutionem.

FINIS.

INDEX

INDEX

RERVM ET SENTENTIARVM,

Quæ in toto opere Flor. Theol. Quæst. continentur, vbi Nota quod i.p. primam partem, & s.p. secundam partem significant: vbi autem inuenies in add. significat in additionibus in fine primæ partis appositis.

Abbatissa quam iurisdictionem habet & quomodo potest subditas obligare. s.p. 11

abrogatio quid. 124

absolutus a censura, uel ab excõmunicatione Papæ reseruata propter aliquod impedimentũ tenebitur cessante impedimento, coram superiore comparere. 232

absoluendus non est, qui generaliter tantum confitetur. 217

absolui potest excommunicatus in articulo mortis ab excõmunicatione Papæ reseruata per quemcunque sacerdotem, etiã excommunicatum: deficiente tamen sacerdote non impedito 248

absolutio ab excõmunicatione facta sine solennitate tenet. s.p. 49

absolui potest ab una excommunicatione, & non ab alia, qui pluribus excommunicationib. est ligatus. s.p. ibi.

absolutione unica quãdo potest pluribus excommunicationib. ligatus absolui. s.p. ibi.

absolui potest excommunicatus ab excommunicatione extra sacramentalem cõfessionem. s.p. 50

absoluere ab excommunicatione canon. si quis suadente quis possit. s.p. 54

abstinentia quando iure naturæ seruanda, &c. in add. i.p. 65. 66. & 74.

abstinentia Christi, Io. Bapt. &c. admirãda, sed non imitanda. in add. i.p. 11. & infra.

abſtinentia ciborum conuenientiſſime fuit ab eccleſia pręcepta in add.i.p. 93
abſtinentiæ præceptum inter leges poſitiuas primũ ſibi uendicat locum. ibid.
abſtinentia a carnibus, & alijs cibis cultioribus familiaris fuit Apoſtolis,& olim Prophetis,ibidem.
abſtinentia a carnibus in diebus ieiunij quadrageſimæ, & alijs, quomodo ſeruanda. in add.i.p. 93.& 94.uerbo caro.
abſtinentiam a carnibus in dieb. ieiunij quando licet omittere, &c. 96. multi ſunt ibi caſus. in addi.i.p.
abſtinere quomodo nõ licet,&c. 89.& infra.in add.i.p.
abſtinendum tempore ieiunij a cibis, qui corpori uires nimis miniſtrant.92. uerbo cibus. in add.i.p.
abſtinendum ne magis ſit a quanto,uel a quali. in add.i.p. 95
abſtinere non tenentur diuites in die ieiunij,ita ut cibis pauperum ueſcantur. 96
accidentia in euchariſtia ſine ſubiecto mediato,quod eſt ſubſtãtia,exiſtunt. 142
accidentium eadem eſt notitia ſenſitiua ante,& poſt conſecrationem,notitia uero iudicatiua intellectus hominis fidelis non eſt eadem poſt,& ante conſecrationem. 141
accidentia relata in accidentib. abſolutis ſubſtantiæ panis fundantur,abſoluta uero facta conſecratione in quantitate ſubijciuntur. 142
accidens ſeparatum actione reali,ſiue intentionali poteſt in obiectum, quemadmodum & accidens coniunctum agere:neutrum tamen inſtrumentalis cauſa generandi ſubſtantia eſſe poteſt. 142
actus uolitio non eſt peccatum, ſi actus non eſt peccatum. 238
actus principalis,& ſecundarius quid. 6
actus idem poteſt eſſe diuerſorũ uitiorum, & uirtutum. in add. i.p. 21.& 55
actus humanus quid requirat.
actu eodem poteſt duobus præceptis ſatisfieri. 45
actus charitatis perfectior actu intellectus.ſ.p. 296
actus ſtudioſus quibus conſtituatur.in add.i.p. 55
actus uirtutis, & non habitus eſt in præcepto. ib.
accommodare quid.ſ.p. 207
accuſatoris uicem,quæ ſupplent. ſ.p. 193
accuſator quot modis iniuſtitia committit,& peccat,& ad reſtitutionem tenetur. ſ.p. 207.& 208
accuſatus,uerbo reus.
accuſare nullus tenetur crimẽ publicum.ſ.p. 64
accuſator tenetur probare crimẽ ſ.p. ibi.
accuſare nemo tenetur infamatorem, & quomodo poſſit. ſ.p. ibid.
accuſator non tenetur priusadmonere quam accuſet, & quando mortaliter peccat.ſ.p. 65

accusationis finis.f.p. ibi.
admonitio quãdo necessario prę mittenda, &c.57.60.& 61
admonitionis finis. f.p. 61
adoptio quid,& quotuplex. 359
adulator quando tenetur ad restitutionem.f.p. 144
adultera, quando tenetur crimẽ reuelare,&c.f. p. 150
adulter tenetur ad restitutionẽ. f.p. 151
adulti in lege naturæ uirtute sacrificiorum iustificabantur,& habebant sacrificandi præceptum. 7
adulti,habita fidei notitia an possint baptismum differre,&c. 52
adultus habens peccati præteriti complacentiam, uel uoluntatẽ peccandi, non est baptizandus. 53
adultus baptizatus non tenetur peccata ante baptismum cõmissa confiteri,neque pro illis satisfacere, neque contritionẽ habere,quia attritio,etiam cognita, est satis. ibid.
adultus uoluntatem,& intentionem recipiendi baptismũ habere debet. ibi.
adultus,ut recipiat gratiam baptismalem, fidem debet habere. 55
adultus accedens impenitens ad baptismum,characterem solũ,nõ autem fidem infusam recipit. 58
adulti prius catechizandi, quam baptizandi. 62
aduocato quando licet causam dubiam defendere,&c.f.p. 201
aduocatus, si ex ignorantia litẽ perdiderit,tenetur ad restitutionem,&c.f.p. ib.
aduocatus quæ habere debet, & quando ignorantia excusatur.f. p.in add.2.p. 6
aduocatus quando tenetur ad restitutionem,&c.f.p.145. 198. & 200
affinitas quid,& quotuplex. 354
affinitatis effectus. 355
Agilitas corporum beatorũ.f. p. 320
alimenti sumptio est præcepto diuino, & naturali necessaria.in add.i.p. 41
amicitia perfecta duo habet.199
amicitia quid.f. p. 296
animarum receptacula.f. p. 282
animæ electorum an statim, ut sunt purgatæ in cœlum deducãtur,&quorũ ministerio.f.p.284
animæ an possint ad hanc uitam redire.f p. 285
animæ existentes in purgatorio, quomodo cognoscunt, quæ apud nos geruntur.f.p. 289
anima Christi,quæ uidet in Deo f.p. 312.& 313
animæ dotes.f.p.317 lege uerbo defunctus.uer.beatus,& uer.dãnatus.
annihilatio. 142
apostatæ,qui dicantur. 277
apostoli habuerunt claues a Christo,& quando eis illas contulit f.p. 2.& seq.
apostoli quoad gubernationem omnium tantam habuerũt ptãtẽ,quantam B.Pet.habuit.f.p.6
appetitus naturalis beatitudinis quid.f.p. 305

appetitus beatitudinis in cõmuni an sit liber. f. p. 306
assertioni simplici sine uerbis p missorijs obligatur nemo. f. p. 69. & 71
attentionem habere quid sit. in add. i. p. 17
attentio quãdo est sub pœna peccati mortalis habenda, & quando subuenialis pœna, &c. in add. i. p. 18
attentio an sit per totam orationem habenda, &c. ibid.
attentio actualis, & uirtualis, ibidem.
attentio necessaria ad quid referenda, &c. in add. i. p. 19
attentio ad sensum uerborũ quãdo necessaria. in add. i. p. 20
attentio triplex, & quæ illarum præstantior, & magis habenda. ibid.
attentiones tres non sunt necessario simul habendę. ibid.
attendere, dum oratur, ad Christi passionem, & uirginem sanctissimam, &c. quomodo licet, ibidem.
attendendi propositum, ut fiat satis præcepto orandi, quale esse debet, &c. in add. i. p. 21
attendendi propositum dupliciter deperditur. ibid.
attentus in oratione semper est aliquis in ecclesia.
attritio quid. 192
attritionis actus idem numero quomodo potest fieri cõtritio. 205
attrito quando remittuntur peccata uirtute clauium. f. p. 13
auctio publica naturam contractus non mutat f. p. 226
auctio publica res minoris pretij reddit f. p. 263
aureola quid, & quo tuplex, & quibus datur. f. p. 322

B

Baptismus quid sit. 29
baptismi materia sola aqua naturalis, &c. ibi.
baptismi forma, Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti in qua exprimẽdus est necessario actus baptizandi & persona baptizata, & persona ministri exprimenda, uel subintelligenda est. 31
baptismus quando erit ualidus, si formæ dictæ addatur, & humanitatis Christi, &c. ibid.
baptismus nõ fit sub hac forma, Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & spirati. 32
baptismus, an ualeat sub hac forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti. ibi.
baptismus collatus in nomine Christi tantum, uel Trinitatis implicitæ, uel unius tantũ personæ non ualet, &c. ibi.
baptismus collatus per aspersionem, uel effusionem aquę est ueru sacramentum. 33
baptismus, si pars minima corporis baptizaretur, esset sub conditione reiterandus, non autem si pars principalior, ut caput, &c. 34
baptismo necessaria non est triplex immersio, sed sequenda est ec-

ecclesiæ matricis consuetudo. ibid.
baptismus triplex, & unus altero præstantior. 35.& 36
baptismi lotiones, & ablutiones ueteris legis, figuræ fuerunt. 36
baptismus collatus ab hæretico, habente intentionem faciendi quod Christus instituit, uerus est baptismus. 26
baptismus errore personæ quando est nullus. 27
baptismus non est reiterandus,& quando sub conditione reiterari debet. 37
baptismus quando uirtutē regenerandi,non tamen obligandi,habuit. 38.& 39
baptismus quando, & ubi cœpit esse sub præcepto, ibi.& 44
baptismus, ut sufficienter promulgaretur,quæ desiderabātur. 45
baptismi præceptum,post euāgelij promulgationem in toto orbe factam, est necessarium ad salutem in re, uel in uoto. 46
baptismus ita est in præcepto, ut si adultus nullum aliud haberet peccatum, præter baptismi contemptum,in æternum damnaretur. 45
baptismus aquæ necessarius est paruulis, ita, ut sine illo saluari non possint, nisi sanguinis baptismo baptizentur. 46
baptismus tam in paruulis,quam in adultis requirit uoluntarium consensum, & quo modo. 53
baptismus,ut baptizatus gratiam recipiat, fidē postulat: non autem, ut characterem accipiat. 55
baptismus amentibus, furiosis,& dormientibus quando non est conferendus. ibi.
baptismi minister quomodo debet esse unus, & quomodo plures eundem baptizare possunt. 56
baptismus per gratiam, culpā originalem, & omnem actualem, & omnem pœnam in alia uita pro peccatis luendam tollit, non tamen temporalem huius uitæ. 57
baptismo paruulis, & adultis gratia cum fide,& spe,& charitate, infunditur,uirtutes autem morales uirtualiter tantum infunduntur. 58
baptismo cur non auferatur cōcupiscentia. ibid.
baptismus post passionem Christi ianuam cœli aperuit nobis.ibidem.
baptismus solus recedente fictione suum sortitur effectum. 60
baptismi præparatoria. ibi.
baptismus ianua sacramentorum est. 75
baptismi effectum per uotū interpretatiuum paruuli suscipere non possunt. 94
baptizans loco,quando uere baptizat. 26
baptizare solis presbyteris cōuenit ex officio, & diaconis suo modo. 56
baptizare potest laicus cuiuscun-

que conditionis, uel religionis sit in extrema necessitate, & tenetur, & illa non urgente, peccat mortaliter, nisi ignorantia inuincibili excusetur. ibi.
baptizans pater filium, necessitate urgente, est laudandus, & extra illam peccat grauissime, & ius petendi debitum perdit, ibidem
baptizatus puer sine intentione baptizandi, si moriatur, non cõsequetur gratiam. 27
baptizatus ab angelo bono esset uere baptizatus, non autẽ si ab angelo malo. 28
baptizatus sanguine proprio, si superuixerit, aquæ baptismo erit baptizandus. 36
baptizato puero secrete, sunt benedictiones ecclesiæ repetẽdæ, &c. 38
baptizandi sunt pueri ante usum rationis, & cum peruenerint, ad illum legem Christi, quã in baptismo susceperunt, obseruare tenentur. 46. & 50
baptizandi sunt filij infidelium quomodo, inuitis parentibus. 47
baptizandi paruuli intra uteros matrum quomodo. 48
baptizatus ad fidem tenendã obligatur ab ecclesia. 63
baptizatus, in baptismo an emittat uotum. 63. & s.p. 77. lege uerbo adultus.
baptismus Ioannis congrue fuit ante baptismum Christi institutum. 62
baptismi Ioannis modus fuit a Deo institutus, & effectus illius fuit ab homine. ibid.
baptismus Ioannis non debuit statim post Christum baptizatum cessare. ibi.
baptismo Ioannis baptizati baptismo Christi erant baptizãdi. ibid.
baptismi Ioannis forma. ib.
beatæ nõ uouent solenniter. s.p. 93
beatitudo quid, & quæ ad illam desiderantur. s.p. 295. & 296
beatitudo in quo cõsistit, & eius locus. s.p. 283. & 293
beatitudo formalis quid. s.p. 299
beatitudo formalis an sit intellectus operatio, & quomodo se habeant potentiæ respectu illius. s.p. 295. & 296
beatitudo, an sit uoluntatis operatio. s.p. ibi.
beatitudinis in particulari an habeat homo naturalem actum? & an necessario illam cognitã uelit. s.p. 304. & seq.
beatitudo in generali, & in particulari. s.p. 305
beatitudinis an damnati appetitum habeant. s.p. ibi.
beatitudinis appetitus an sit liber. s.p. 306
beatitudinem an possint cõsequi angelus, & homo uiribus naturæ. s.p. 307
beatitudo angelorum, & hominum an sit æqualis. s.p. 311.
beatitudo accidentalis. s.p. 321
beatus non potest uidere Deum uisione increata. s.p. 294
beati omnes esse cupiunt. s.p. 314

beati quæ uident in Deo,&c.f. p. 310
beatus in patria an liberefruatur Deo &c. f.p. 314
beatorum corporum dotes. f.p. 317
beati quo motu, & quo modo mouebuntur.f.p. 318
beatorum corpora erunt lucida, & unde habebunt lucem. f.p. 320
beatorum corpora opaca, & habebunt colorem.f.p. 321
beatorum corporum fulgor, & splendor, & an possint uideri. f. p. ibid.
beati quo modo uidebũt damnatorum pœnas.f.p. 325
beatifica uisio.f.p. 308
bellum gerere an liceat.f.p. 181
belli iusti causæ.f.p. ibid.
bello,quando rem suam recuperare non licet, si plus accipiat, ad restitutionem tenetur, &c.f. p. 182. & 183.
bellum iustum gerens adquid tenetur. f.p. 184. & quando a bello abstinere tenetur.f.p.ibid. & quando clericos expoliare possunt, & quando excommunicãtur,clericos, & ecclesias,& monasteria expoliantes.f.p. 185. & quos alios expoliare non possunt,f.p. ibid.
bellantes iniuste quando licite interimuntur.f.p.222. lege uerbo princeps,& uerbo milles.
beneficium obtinens animo dimittendi,quo modo teneturad fructuum restitutionem. f. p. 184
Beneficium curatum habens,intra annum ordinem sacrum recipiat.f.p.& 170.& 171.
Beneficium conferens indigno, uel minus digno ad quid tenetur.f.p.170.&. 173.
beneficium canonicatus, dignitas, Episcopatus, qua ætate obtineri potest.f.p. 711
beneficium simplex nullus, quia sit clericus,potest obtinere, bene tamen præbendam f.p. 172
beneficium, nec excommunicatus, nec filius presbyteri habere potest.f.p. ibid.
beneficij uacantis fructus cuius sint.f.p. ibid.
beneficij consequutionem impediens ad quid tenetur f.p. 173.& seq.
beneficium acquirens simulata sanctitate, ad quid tenetur.f.p. 174
beneficiorum permutatio. f.p. 269
bigamia,& bigamus multis modis dicitur, & sunt irregulares. 295
bigamia quo iure est prohibita, &c 414.uer.uxor.
blasphemantem quilibet sub pœna peccati mortalis tenetur reprehendere.f.p. 82
bonorum tria genera.in add.i.p. 122
bona paraphernalia, & ex lucro, in add.i.p.131.lege uerbo peculium.
bona capituli.in add.i.p. 129
bona illicite acquisita: 220
bona fortunæ quando bonis corporis præferẽda.in add.i.p. 154

bono-

bonorum illicite acquisitorum tria genera.in ad. 1.p. 136
bona castrensia,vel quasi.s.p.102
bonum temporale postponendum bono spirituali proximi. s.p. 59
bulla circa casus reseruatos intelligitur de commissis, & cõmittendis. 248
bullam habens non potest eligere confessorem, nisi approbatũ ab Episcopo. 247
bullæ uirtute quando licet ab excõmunicatione absoluere. s. p. 48.
bullę uirtute possunt habentes illam interesse diuinis interdicti tempore.s.p. 52
bulla quando non prodest recipienti.s.p. 24
bullarum prædicatores quid effi cere debent.s.p. ibid.
bullæ sufficiens causa est eleemosyna, quæ datur.s.p. 25
bullarum uirtute quo pacto uota sunt commutanda s.p. 108
bullę uirtute quid conceditur circa uota.s.p. 121
bulla compositionis quando liberatur quis a restitutione.s. p. 162.

C

CAlumniator quis sit.s p.179
cambiũ quid, & quotuplex s.p. 240
cambium per officium.s.p. 241
cambium permutum.s.p. 241
cãbiũ per literas s.p. 242. & 243
cambium fictum.s.p. 242
cambire pecuniam unius regni, ubi est penuria &c.s.p. 244
cambiorum pretia uaria natur.s.p. 246
cambiendi uariæ formæ,&c.s. p. 240 & seq.
campsori quando non licet aliquid ultra sortem exigere s.p. 242. & seq.
campsori an liceat recãbire. s.p. 248
campsori an liceat pecunias suas ad diuersas nundinas eiusdem regni cambire.s.p.249.& quando tenetur ad restitutionem. 288
canon si quis suadente, & qui gaudeãt illius priuilegio,& qui illo priuantur,&c. eius sententia quando non incurritur,& quis possit ab eius sententia absoluere,&c. s.p. 45. & seq. lege uerbo clericus.
cantus orãtum conuenit ecclesiæ in addi. 1.p. 50.
capituli bona cõmunia sunt duplicia.in add.1 p. 129
capitulum generale quando potest aliquid supra regulam præcipere.s.p. 88
carnium usus quando cœpit. in ad d.1.p 93.
carnes pueris,& senibus ministrare quando licet.in ad.1.p.75.& 97.
carnes in diebus quadragesimæ comedere quando licet &c. in add.1. p. 96
carnes,& oua & lacticinia,&c.in add.1.p. 97
carnes in die sabbati comedere uni non est consuetudo, mortale peccatũ est &c.in add.1. p. 68.& 98
carnes licite comedẽs in die ieiu

nij, an sit liber à ieiunio. in add. i.p. 99
carnes manducare in feria sexta quando licebit. s.p. 315. & 316
castitatis uotũ quoties transgreditur aliquis peccat, nõ autem uirginitatis uotum. in add. 1. p. 107.
casus reseruati, quomodo absoluendi. 228
casus reseruatus, eritne, non reseruatus, si pœnitens, obtenta authoritate, ficte confessus fuerit. 231
casus reseruati concessa authoritate a prælato, censentur non reseruati, quanuis subditus ab illis non absoluatur. ibid.
casum reseruatum habens, si Superior nolit authoritatem concedere, tenebitur illi confiteri. ibid.
casus reseruati præteriti, quando conceditur authoritas, censentur nõ reseruati, & qui infra spacium a superiore concessum cõmituntur. 232
casum reseruatorum absolutio facta authoritate iubilei, ante feriam sextam, si pœnitens feria 6. non ieiunauerit, est nulla licet ualeat quantum ad non reseruatos quoad remissionẽ culpæ. ibid.
casus reseruatos Papæ habentes, dummodo sint occulti possunt in foro conscientię ab Episcopis absolui. ibi.
causa principalis, & instrumentalis. s.p. 22
causa pia. s.p. ibid.
census quid, & quotuplex. s.p. 188. & 264.
census an sit licitus. s.p. 255
census redimibilis. s.p. 256
census uitalitius. s.p. ibid.
census personalis. s.p. 257
cẽsus uariæ conditiones. s.p. 259
cessatio a diuinis. s.p. 56
character quid sit, & est in delebilis. 15. 16
character imprimitur in anima per sacramenti interabilis receptionem, si recipiens non ponat obicem, & quæ sint sacramẽta hæc. 15
character in uolũtate, tanquam in subiecto est. 16
character, quo Sanctissimæ Trinitati assimilamur, gratia est. 18
character sacramentalis Christi character est. ibid.
characteris causa principalis Deus instrumentalis minister, ibid.
character ordinis ad consecrandum penes sacerdotes tantum est. s.p. 11
charitas quid. s.p. 296
charitatis præcepto quando tenetur aliquis se uitæ periculo exponere. s.p. 59
christus ut homo, quomodo est causa gratiæ, & nostræ iustificationis, & eius etiam merita. 20
christus quadruplicẽ habuit potestatem. ibid.
Christus totus est sub utraq; specie, & sub qualibet speciei parti cula. &c. 121. & seq.
christus in Eucharistia quas operationes sensitiuas. &c. habet. 130. & 131.
christus non mutatur, quãdo corruptis

ruptis ſpecieb. deſinit eſſe ſub ſacramento. 131
chriſtus in Euchariſtia nō poteſt aliquam operationem potētiæ naturalis habere, licet mere ſpirituales poſſit. ibid.
Chriſtus an ſit in hoſtia, apparēte carne. 135
chriſtus ſummam paupertatem habuit, & mēdicauit. in add. i. p. 145. & 153. lege uerbo corpus Chriſti.
chriſtus quomodo habuit clauē. ſ. p. 8
ciborum delectus in ſtatu legis antiquæ, & in eccleſia primitiua non fuit ſub pręcepto in diebus ieiunij, magis quā in alijs. in add. i. p. 94
cicatricem inferens ad quid tenetur. in add. i. p. 18.
cibus quadrageſimę. in add. 92. 93
circunciſio fuit batiſmi figura. 51
circunciſio conuenientius fuit data Abrahæ. ibid.
circunciſio quomodo fiebat. ibi.
circunſtantiæ, quæ confitendę. 224
circunſtantia diei feſti, non eſt confitenda. 226
circunſtantiæ loci ſacri, quando eſt confitenda. ibid.
Circunſtantia ſtupri neceſſario confitenda. ibid.
ciuitatis defenſio ab hoſtib. principes, & non ſingulos ciues obligat. 284
clauis definitio ſ. p. 5
claues regni cęlorum non fuerunt in lege naturali, uel ſcripta. ſ. p. 6
claues habuerūt Apoſtoli a Chriſto ſ. p. ibid.
clauium poteſtas ad tria ſe extendit. ſ. p. ibid.
claues quando fuerunt Apoſtolis traditę & quomodo B. Petro & alijs ſ. p. 6. & ſeq.
claues quomodo habeāt Epiſcopi. ſ. p. 12
clauis quomodo poteſt eſſe in fęmina. ſ. p. ibid.
clauis uirtute, quomodo poteſt ſacerdos pœnitentem abſoluere, culpam remittere, ut & gratia conferatur, & pœna pro peccatis debita remittatur, ſ. p. 12. & ſeq.
clauium uirtute compelli poteſt pœnitens ad pœnitentiam acceptandam. ſ. p. 14
clauem quomodo habuit Chriſtus ſ. p. 10
clerici quomodo ſunt a poteſtate ciuili exempti. 280
clerici quomodo tenentur legis regni in quo uiuunt ſeruare. 281
clerum cur inſtitutum fuit. in add. i. p. 44
clerici, licet patrimonium ſufficiens habeat, non tenentur gratis miniſtrare, & quod pro miniſterio debetur, in iudicio petere poſſunt, & ſtipendiorum domini dicuntur. in add. i. p. 111
clerici percuſſor quis, & quando erit excommunicatus. ſ. p. 52
clerici nō ſoluentes diuinum officium, quomodo ad reſtitutionem tenentur. ſ. p. 165
clerici qui non tenentur horas ca-

canonicas soluere ſ.p. ibid.
clericorum reſidentia,& quando non reſidentes tenentur ad reſtitutionem, & quando licite poſſunt non reſidere.ſ.p. 166.& ſeq.
clerici quomodo poſſunt plura habere beneficia.ſ.p. 168
clerici luxurioſe uiuentes teneãtur ne ad reſtitutionem, & an ſint domini redituum.ſ.p. lege uerbo canon. 174
collecta quid ſ.p. 192
college quando tenentur ad reſtitutionem.ſ.p. 143
collecta cur ita nominatur. in add.i.p. 36
collectæ cur per Dominum noſtrum Ieſum &c. finiuntur, & multo plures ſunt,quæ ad Patrẽ quam quæ ad Filium referũtur. in add.i.p. 35
columbaria habẽtes quando peccant,& ad reſtitutionem tenentur,& columbas capientes. ſ.p. 193
cœlibatus expedit miniſtris Eccleſiæ,& quando cœpit. 234
communicare cum excommunicato licet in odium temporale & in fauorem ſpiritualem,& miniſtrando uictui,& ueſtitui neceſſaria,uel ratione uitandi ſcãdalum,vt vxor,& filij,&c.ſ.p.37 & ſeq.
communicare cum Epiſcopo excommunicato,quando poterũt familiares eius,& ſubditi cũ Prælato excommunicato.ſ.p. 39
communicans poteſt fructum alteri applicare.ſ.p. 286
communicare cum excommunicato poterunt,ignorantes illum eſſe excommunicatũ, & non habentes unde neceſſaria emant,niſi ab illo.ſ.p. 39
compenſatio quid, & quando compẽſans peccat.ſ.p.179. & lege uerbo recompenſatio. 182
communicantes cum excommunicato in diuinis, & quando participant in crimine excommunicationis, peccant mortaliter,etiam quando excommunicatio eſt contra participantes, uel excommunicatur ex contemptu clauium,aliasvenia liter peccatur.ſ.p. 40
communicans cum excommunicato a Papa ſcienter, & ſponte eadem excommunicatione ligatur ſ.p. ibid.
communicandum cum excommunicato, quando non erit, ſed potius mors ſubeunda. ſ.p. ibid. lege uerbum excommunicatio.
commutare uota quis poteſt & quomodo commutanda.ſ.p. 107.& 110
commutare nouitiorum uota poteſt eorum magiſter. ſ.p. ibidem.
commutandi uotum cauſa,& praxis.ſ.p. ibid.
cognatio ſpiritualis,& legalis. 358
concilium poteſt diuinam ſcripturam interpretari, & quando eſt ſupra Papam. ſ.p. 7. & 46
concionator,quando in mortali exiſtens, concionando peccat mortaliter. 74

concionator quando tenetur ad restitutionem.ſ.p. 147
concupiſcentia cur non eſt ſublata per baptiſmum. 63
cõditionibus de preſenti, aut de futuro cum uerbis de præſenti, iam exiſtentibus ſtatim ualet matrimonium. 297
conditio de futuro in ſe neceſſaria, ſi apponatur uerbo de preſẽti, ſtatim eſt uerum matrimonium. ibid.
conditione de præſenti, uel de præterito per uerbum de futuro appoſita, vera ſponſalia fiunt ſimiliter ſi dies ſub conditione neceſſaria, uel contingenti apponatur. 298
conditio contingens de futuro uerbo de præſẽti appoſita, ſi impleatur eſt nouus conſenſus neceſſario præſtandus. ibid.
